
DE NECESSARIA AD SALUTEM GRATIA, OMNIBUS, ET SINGULIS DATA SECUNDUM...

Carolus Joseph Tricassinus (Tricassinus)




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 E
37

DE NECESSARIA AD SALVTEM
GRATIA,
OMNIBVS, ET SINGVLIS
DATA
SECVNDVM AVGVSTINVM.


VBI TAM IN GENERE QVAM IN SPECIE ostenditur, dari gratiam verè sufficientem omnibus, & singulis hominibus.

Item & explicatur modus peculiaris, quo illa descendit ad singulas quasi hominum species, V. G. ad Christianos, infideles, hæreticos, induratos &c.

Et tandem multa produntur singularia, & Arcana Augustini principia, ex quorum cognitione, plena pendet, & perfecta totius illius doctrinæ, præsertim quoad gratiam, intelligentia.

Authore P. F. CAROLO-IOSEPH TRICASSINO Concionatore Capucino.





PARISIIS,
Apud ÆGIDIUM ALLIOT, Bibliopolam Juratum, viâ Jacobæâ, sub signo sancti Norberti.

M. DC. LXXIII.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

POST tractatum de indifferenti lapsi hominis arbitrio sub gratia & concupiscentia, compositum, mihi necessarius visus est alius de gratia sufficiente tractatus addendus, propterea quod, mihi videbatur imperfecta fore illa materia, nisi tractatum illum adderem, per quem alteri, de gratia, principali quæstioni, quantum possem, satisfacerem, cùm hæ duæ præcipuè quæstiones agitentur in Scholis in tractatu de gratia, & in eis decidendis bene & laudabiliter attendatur ad magni mentem Augustini, tanquam ad oraculum gratiæ, & Prædestinationis æternæ. Quapropter licet aliàs statuissem istos tractatus diversis in temporibus edere, satius esse iudicavi, ad perfectius, pleniusque assequendam de gratia doctrinam, & magni simul mentem Augustini circa eam, simul & semel istos tractatus in lucem proferre.

Quanquam autem multa monenda essent quoad istum tractatum, sicut & quoad alterum: quia tamen ea non differunt ab iis quæ jam monui in præcedente tractatu, ideo nihil peculiare hîc monendum habeo, nisi quod

multa in eo singularia Augustini principia & fundamenta retego, quæ necessaria prorsus sunt ad solvendas objectiones ex eo sumptas, contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam, ex quorum ignoratione factum esse existimo (quoniam pauci sunt, qui volunt illius scripta cum attentione perlegere) ut hæc doctrina videretur aliquibus, esse ipsi Augustino contraria, imo vero (quod horribile dictu est) Pelagiana aut Semipelagiana: quia nempe quasi validissimis ex Augustino sumptis argumentis oppugnabatur, & quasi parum validis responsionibus, itemque paucioribus contra oppositam sententiam argumentis ex eodem Augustino sumptis, defendebatur: adeo ut tales Augustinianæ doctrinæ defensores, viderentur adversariis, vix aliqualiter delibasse seu legisse Augustinum & propter hoc ipsi quererentur ambitiosissime, neminem hucusque qui aliter sentiret, quam ipsi, scripta eius perlegisse. Spero autem quod ii non querentur, me non legisse Augustinum; an vero per responsiones meas eorum impugnationibus abunde satisfecerim, iudicabit ipse Lector, quem postulo esse sincerum, & opinione contraria non præventum, prout necesse prorsus est, ad rectè, & verè de quacumque materia iudicandum.

Cæterum si non tam abundantem hîc probationum supellectilem profero quam in præcedente tractatu de indifferenti &c. non est attribuendum negligentię meę, aut imbecillitati causæ susceptę, sed securitati Augustinianę: cùm enim hęc veritas non impugnaretur ab illius adversariis, quantum attinet ad generalitatem illam bonę voluntatis Dei circa salutem omnium, & singulorum quam defendimus, sed potius ab utraque parte in eam

conveniretur : hinc factum eſt, ut multò pauciora de hac quæſtione Auguſt. attigerit, ut non ſibi neceſſaria, quam de illa, de qua egimus in præcedente tractatu, in qua, ut vehementiſſime premebatur ab adverſariis, quaſi tollens arbitrii libertatem per ſuam gratiam neceſſariam, quam ipſi putabant eſſe libertati contrariam : ita & neceſſe habuit ad amoliendam à ſe hanc invidiam, multa, & multoties dicere pro libertate, ſeu pro indifferentia lib. arbitrii ſub gratia & concupiſcentia, ſervata, quod neceſſe non habuit dicere pro defendenda ſupradicta bonæ voluntatis Dei generalitate circa ſalutem omnium, & ſingulorum, cùm de ea ab adverſariis non accuſaretur, ſed potius ab illo & ab illis in eam conſentiretur.

Vnde cùm in utroque tractatu non ſecuti fuerimus mentem noſtram ſed ſolùm Auguſtinianam, ideo ubi pauca nobis ſuppeditavit Auguſtinus, ibi pauca tibi reddimus, ubi multa, multa, quamquam in utroque ſatis multa, ſed in iſto tantum pauca, in comparatione longe plurium quæ in præcedente tractatu tradidimus. His itaque fruere bone Lector & de his, ſi tibi placent, laudem Deo tribue, ſi non placent non pigeat orare, ut, aut tibi placeant, ſi bona ſunt, ſin minus, ut alia tibi, & nobis velit Deus inſpirare.

ADM. VENERABILI IN CHRISTO PATRI

CAROLO-JOSEPHO TRICASSINO

PREDICATORI CAPUCINO.

F. STEPHANVS A CÆSENA Ordinis FF. Minorum Sancti Francisci Capucinorum Minister Generalis, Lic. im., Sal.

CUM Paternitas vestra tractatum *de necessaria ad salutem gratia omnibus & singulis data secundum mentem D. Augustini* composuerit, postuletque licentiam, ut ipsam Typis mandare valeat, præsentium virtute ipsi facultatem elargimur, quatenus præfatum tractatum à duobus Ordinis nostri Theologis, revisum & approbatum servatis aliàs, de jure servandis, prælo committere valeat. Datum in conventu nostro Cremensi Provinciæ Brixiensis die 23. Martij 1672.

Fr. STEPHANUS Minister Gen.

Facultas R. P. Provincialis Parisiensis.

VISIS Theologorum nostri Ordinis approbationibus permitto quantum in me est, ut imprimatur liber, cui titulus est: *De necessaria ad salutem gratia omnibus & singulis data secundum Augustinum.* Authore Patre F. CAROLO-JOSEPHO Tricassino concionatore Capucino. Datum Parisiis die 22. Aprilis anni 1672.

F. BASILIUS Parisinus Pr. Parisiensis
Min. Provincialis indig.

EGo Frater Joannes Chrysostomus Ambianus, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum in Theologia Lector & definitor Perlegi librum cui titulus est: *De necessaria ad salutem gratia omnibus & singulis data secundum D. Augustinum*, à venerabili P. CAROLO-JOSEPHO Trecensi Theologo Concionatore Capucino editum: in quo sæpe miratus sum subtilem fœlicemque authoris in perscrutanda enucleanda, & stabilienda mente D. Augustini, satis alioquin abstrusa, & in sensus minus Germanos hactenus à pluribus detorta. Censeo igitur hoc opus dignum quod prælo detur, ut in publicam utilitatem cedat, & propterea subsigno libens & approbo. Datum Parisiis Anno D. 1672. 9. Aprilis.

F. JOAN. CHRYSOSTOMUS Ambianus qui supra.

LIBER hic. *De necessaria ad salutem gratia omnibus & singulis data secundum D. Augustinum.* Authorem suum V. Patrem CAROLUM-IOSEPHUM Trecensem Theologum & Concionatorem Capucinum; verum esse magni Augustini discipulum manifestat: quippe egregium illum Ecclesiæ Doctorem in omnibus redolet; mentem ejus utcumque inuolutam, à paucis devolutam, & bene intellectam aperit; obscuriora ejusdem loca, & abstrusiores sententias clarè explicat; perdifficilem de gratia quæstionem ab annis pluribus variè agitatam ita resolvit, ut nulla imposterum difficultas superesse videatur; denique nihil continet orthodoxæ fidei contrarium, nihil bonis moribus dissonum, sed doctrinam sanam ad sedandas fidelium conscientias valde utilem, ideoque librum qui in lucem prodeat, dignissimum censeo.

Parisiis in nostro majori Capucinorum Conventu die 13. Aprilis anni 1672.

P. F. CYPRIANUS GAMACHÆUS
Concionator Capucinus.

SVMMA PRIVILEGII.

LUDOVICI XIV. Regis Christianissimi diplomate cautum est, ne quis librum, *De necessaria ad salutem gratia omnibus & singulis data secundum D. Augustinum*, A P. F. CAROLO-JOSEPHO Tricassino, Concionatore Capucino compositum, intra quinquenninm vel Typis mandet, vel mandari curet, aut venalem habeat, nisi ex consensu prædicti P. F. CAROLI-JOSEPHI Tricassini, Capucini, ejusdem libri Authoris: idque sub interminationibus in diplomate contentis. Datum in vico Sancti Germani die 11. Janvarij 1672.

Signatum, SOUFFLOT.

Ius autem illud suum, idem P. CAROLUS-JOSEPHUS Tricassinus Capucinus, *cessit, & concessit* ÆGIDIO ALLIOT Bibliopolæ Parisiensi Jurato, *ut patet ex illius Chirographo diplomati apposito.*

Enregistré sur le Livre de la Communauté des Marchands Imprimeurs & Libraires de cette Ville de Paris, le 14. Octobre 1672.

Signé, D. THIERRY, Syndic.

SERIES

SERIES EORVM QVÆ IN PRIMA PARTE CONTINENTVR.

PRIMA PARS.

Quæ est de gratia sufficiente in genere.

SECTIO PRIMA.

SECTIO SECVNDA.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QVARTA.

SECTIO QVINTA.

SECTIO SEXTA.

SECTIO SEPTIMA.

SECTIO OCTAVA.

SECTIO NONA.

SECTIO DECIMA.

SECTIO VNDECIMA.

SECTIO DVODECIMA.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

SECTIO DECIMA-QVARTA.

SECTIO DECIMA-QVINTA.



SECVNDA PARS.

Quæ est de gratia sufficiente in specie.

SECTIO PRIMA.


SECTIO SECVNDA.

SECTIO DECIMA.

SECTIO NONA.

SECVNDÆ PARTIS.

SECTIO QVINTA.



ELENCHVS ERRATORVM.

PAgina 17. linea 36. 2. pone 5.
p. 21. l. 30. alium. p. alius.
p. 43. l. ult. certit vine. p. certitudine.
p. 52. l. 31. scire. p. sciri.
p. 77. l. 28. dele. (
p. 84. l. 14. resisteres haberes (unde. pone. resisteres (haberes unde.
p. 101. l. 22. infidelibus invincibiliter, ignorantibus. p. infidelibus, invincibiliter ignorantibus.
p. 113, l. 37. per noc. p. per hoc.
p. 114. l. 27. sentient. p. senties.
p. 125. l. 18. invitam p. invitum.
p. 147. l. 5. sive. p. sine.
p. 150. l. 28. alite. p. aliter.
p. 191. l. 27. posse. p. posset.
p. 202. l. 1. solatum. p. solatium.
p. 206. l. 23. consilij, adde. quibus. l. 41. Paganis. p. Paginis.
p. 211. l. ult. cùm. adde. hæc.
p. 230. l. 32. capies. p. capiet.
p. 237. l. 12. vel adde. ad spem futuri sæculi, vel.
p. 238. l. 22. impleret. p. implevit.
p. 262. l. 7. XI. p. II. l. 31. frustra. p. frusta.
p. 271. l. 28. erant. p. erunt.



DE NECESSARIA AD SALUTEM GRATIA, OMNIBUS ET SINGULIS DATA, SECUNDUM AUGUSTINUM.

PARS PRIMA.

SECTIO PRIMA.

QUAEDAM PRAENOTANDA.

Ut plenius capiatur quicquid in hoc opere disputare prætendimus, annotanda valde tria sunt: primum est: quod hîc per gratiam necessariam intelligimus eam gratiam sine qua salvari nemo potest: & non solùm hoc; sed etiam, & præcipuè talem intelligimus gratiam quæ vere sufficiat ad salutem cum effectu consequendam: parum enim, aut nihil prodesset nobis habere gratiam necessariam, seu talem sine qua salvari non possumus, nisi etiam talis esset, cum qua salvari possemus, seu nisi etiam sufficiens illa esset ad salutem nostram consequendam. Quapropter talem gratiam toto hoc opere prosequemur, quæ est necessaria, & sufficiens ad salutem, & non solum necessaria, quia sine ea non possumus: sed etiam sufficiens, quia cum ea possumus, quod est præcipuum ad salutem, & sic de tali gratia toto hoc opere disseremus. Secundum autem, quod bene notari volumus, est: quod longe aliter

ſumpſit Auguſtinus iſtam gratiam ſufficientem & neceſſariam quam nunc ſumunt Doctores ſcholaſtici: illa enim gratia, ſufficiens Auguſtino viſa eſt, quæ æquales habebat vires cum effectu, ſive illum actu poneret ſive non: de qua gratia ſufficiente, ut prorſus homini neceſſaria formaliter diſputavit cum Pelagianis, & Semipelagianis Auguſtinus: his contendentibus gratiam illam ſufficientem eſſe ſolùm in intellectu, illo vero contra contendente non ſufficere gratiam in intellectu, ſed præterea requiri aliam in voluntate neceſſariam per quam ipſa voluntas ſufficiens, & ſatis potens fieret ad bonum agendum, & ſine qua nihil poſſet niſi malum. Doctores vero ſcholaſtici aliter definire voluerunt gratiam ſufficientem, & præter æqualitatem virium, quam requirunt in ea ad effectum ponendum ſicut Auguſtinus, adhuc volunt eam non habere effectum: non ſane quod ei repugnet effectus, aliàs non jam eſſet ſufficiens, imo vero nec potens, ſed quia ſi haberet effectum, non jam pertineret ad gratiam ſufficientem, ſed ad gratiam efficacem, cui ſoli tribuunt effectum, & non alteri: Quæ diviſio, ut voluntaria eſt, ita & reprehendenda non eſt, niſi quod aliqui abutentes iſta diviſione, & naturalem eam, & non voluntariam exiſtimantes, hinc ſumpſerunt occaſionem calumniandi gratiam ſufficientem velut inutilem, cùm numquam habeat effectum: non ſatis advertentes, aut certe advertere nolentes iſtam diviſionem ſumptam eſſe ab effectibus, non autem à naturis, & proinde non eſſe inutilem gratiam ſufficientem, cum non minus vere poſſit efficere quam efficax, ſed per accidens eſſe, quod non habeat effectum, quia nempe non lubet arbitrio humano dare illi effectum, cùm poſſet, & deberet, & ſic illa, effectu caret, non ex defectu ſuo intrinſeco, ſed ex culpa illius ad quem adjuvandum miſſa fuerat, qui noluit eam audire, nec in ea ſibi complacere, ut poterat, & debebat, ſed maluit ſibi complacere in oppoſita motione concupiſcentiæ, & cum ea male agere, quam cum gratia Dei bene: & inde eſt tota hominis miſeria, quam ſæpe lamentatur Auguſtinus, & eam exprobrat humanæ malitiæ, quæ magis amat inimicæ favere concupiſcentiæ, quam amicæ Dei gratiæ; quid enim poterat Deus amplius in favorem hominis, quam dare ei vires potentiſſimas contra concupiſcentiam, ad conſequendam ſuam ſalutem, & illas illius arbitrio dimittere, ne libertas ejus læderetur, & meritum tolleretur: hæc fecit Deus in gratiam hominis, & homo in contumeliam Dei, mavult ſæpe eligere partes diaboli quam ipſius Dei, abutendo ſua poteſtate, abutendo gratia Dei ſufficiente, raro conſentiendo illi gratiæ, ſæpe vero concupiſcentiæ.

Sic ergo ſumimus cum Auguſtino gratiam ſufficientem, pro ea quæ poteſt ponere effectum intentum à recipiente, ſive ille effectus actu ponatur, ſive non: hoc enim indifferens eſt ad illam gratiam ſufficientem ſecundum Auguſtinum, quandoquidem loquitur de ea, nunc ut habente effectum, nunc ut non habente illum prout videre eſt in præcedentibus noſtris tractatibus.

Denique notandum eſt quod gratiarum ſufficientium aliæ ſunt pro-

ximæ, aliæ remotæ : illa enim dicitur gratia sufficiens proxima, quæ proxime & immediate potest attingere effectum, remota vero dicitur illa, quæ non nisi alia mediante potest ad effectum intentum pertingere, vere tamen, & proprie utraque sufficiens est, quia nihil hoc detrahit de ratione sufficientiæ, quod non proximè possim bene agere, si aliunde possim obtinere id unde proximè benè agam, vel orando, vel eleemosynas faciendo, vel alia facilia præstando ad quæ Deus dat ordinariè gratias proximas ut per illa nos disponamus ad difficilia, ad quæ non ita solet Deus dare gratias proximas secundùm Augustinum : unde & ipse monet omnes fideles lib. de Nat. & Gr. cap. 68. quod ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis, & perseverantissimis precibus, & misericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant. Et infra capite 69. ait, quod quia firmissime creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus (in quo est gratia proxima & immediata ad actum) & in difficilibus quid petamus (in quo est gratia solûm remota ad actum) & adhuc infra : petat quo destituitur (scilicet gratiam proximam) ut impleat quod jubetur. Et sic patet quod ad facilia immediatum auxilium datur secundum Augustinum, ad difficilia vero non nisi mediatum, utrumque tamen vere sufficiens, ut supra expositum est.

Sed quia posset aliquis putare secundum errorem aliquorum, quod gratia sufficiens dividi deberet in exteriorem & interiorem : quasi nempe illa fuisset Pelagianorum, hæc autem Augustini, & Catholicorum : ideo hîc monemus quod hæc divisio falsa est : ex quo enim Pelagiani cœperunt dicere se admittere aliquam gratiam, admiserunt interiorem, non solùm in hoc quod ponerent illam in libero arbitrio, quod quiepiam internum est, sed etiam in hoc quod admitterent legem, & doctrinam, per quas intelligebant gratias internas ad intellectum, & cognitionem pertinentes, scilicet divinas illuminationes, & revelationes (quæ omnino internæ sunt) ipso interpretante Augustino libro de gr. Christi capite 7. & sequentibus : unde numquam fuit inter illos scilicet inter Augustinum & Pelagianos disputatio de tali gratia sufficiente, sed tantum, ut diximus, de gratia pertinente immediate ad voluntatem, & de gratia pertinente ad intellectum, hanc solam admittentibus Pelagianis, ut vere sufficientem, alteram autem adhuc requirente Augustino ut necessariam præter prædictam, ad hoc ut homo vere sufficiens esset ad salutem : de quo quia satis alibi disputavimus, ideo non est necesse quicquam hic ibi dictis adjicere.

His itaque prælibatis, hæc erit methodus totius nostri tractatus. Primo probabimus in genere dari gratiam necessariam, & sufficientem ad salutem, omnibus & singulis hominibus. Deinde id probabimus in specie, aut potius explicabimus, quomodo id fiat in speciebus singulis : diversæ enim illæ species diversas habent difficultates, ex quarum nitida (facem nobis præferente Augustino) sigillatim expo-

ſitione ſpero non minimam percepturum eſſe lectorem jucunditatem ; & noſtro labori eſſe gratulaturum : alia enim difficultas eſt ; quomodo gratia ſufficiens communicatur fidelibus, ſeu Chriſtianis, alia quomodo hæreticis & Judæis, alia quomodo paganis, alia quomodo parvulis nondum uſum rationis habentibus, quas Deo optimo dante, & fideliſſimo ſervo ejus Auguſtino ſuffragante, ſuo quaſque ordine explicabimus : Primo itaque proponemus generalem concluſionem, & eam confirmabimus contra generales objectiones. Deinde ſubjiciemus ſingulares concluſiones, & eas ſimiliter pro viribus explicabimus, atque confirmabimus contra particulares objectiones.

SECTIO SECUNDA.

Proponitur generalis concluſio, & ejuſdem prima probatio, ſumpta ex eo quod voluit Auguſtinus cum Apoſtolo, Deum velle omnes ſalvos fieri : ſumens omnes *pro* ſingulis

Sit itaque unica illa generalis concluſio : Gratia vere ſufficiens ad ſalutem, datur omnibus, & ſingulis hominibus ſecundum Auguſtinum.

Probatio I. Probatur 1° ex eo quod libro de ſp. & litt. c. 33. adducens textum illum Apoſtoli : Deus vult *omnes* ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, nullam ibi apponit limitationem, quaſi hoc pertineret ad omnes ut multos, non vero ut ad ſingulos, ſed tantum indicat, illam bonam voluntatem ita debere intelligi, ut non imponat neceſſitatem hominibus, ſed relinquat eis libertatem, tam ad malum quam ad bonum, ut patet ex his verbis quæ illi textui adjicit : non ſic tamen, ut adimat lib. arbitrium quo vel bene, vel male utentes juſtiſſime judicentur. Ubi vides clariſſime, nihil prorſus Auguſtinum excipere ab illa generali bona Dei voluntate quoad ſalutem omnium, niſi quod vult ita illam intelligi operari in unoquoque homine, ut non adimat liberum eorum arbitrium, ſed bene compatiatur cum eo, per quod ſolùm excludit gratiam determinantem, ſeu neceſſitantem arbitrium & nihil prorſus aliud. Nam quod per particulam illam, omnes, intelligat ſingulos Auguſtinus ipſe ſatis indicat ſerm. 101. de diverſ. c. 2 : ubi referens aliquam ſententiam alicujus ſancti Epiſcopi, nomine Fructuoſi, qui hanc interpretationem jam dederat illi termino, laudat, & approbat eam, & aliis verbis eam repetit dicens : audiſtis perſequentium interrogationes, audiſtis confitentium reſponſiones, cùm ſanctorum paſſio legeretur. Inter cætera, quale erat illud beati Fructuoſi Epiſcopi : cum ei diceret quidam, & peteret, ut eum in mente haberet, & oraret pro illo, reſpondit : me orare neceſſe eſt pro Eccleſia catholica ab oriente uſque ad occidentem diffuſa ; quis enim oret pro ſingulis (id eſt ſigillatim pro unoquoque in particulari) *ſed neminem ſingulorum præ-*

terit, qui orat pro universis : ab eo nullum membrum prætermittitur, cujus oratio *pro toto corpore* funditur. Ubi vides clarissime omnes seu universos sumi pro singulis supra quod sic ait Augustinus; quid ergo vobis videtur admonuisse istum Christi beatum confessorem, à quo rogabatur, ut oraret pro eo, quid putatis, sine dubio intelligitis : commemoramini & à nobis : rogabat ille ut oraret pro illo, & ego, inquit, oro pro Ecclesia Catholica ab oriente usque ad occidentem diffusa, *tu si vis, ut pro te orem, noli recedere ab illa, pro qua oro.* Ubi clare vides, Augustinum, sicut illum sanctum, censuisse universitatem comprehendere singulos, & per hoc eum censuisse, particulam omnes, de natura sua significare singulos, & ita debere semper exponi, nisi scilicet obstet subjecta materia, seu loci circumstantia, vel adversariorum fallacia, quod semper supponendum est : hinc enim est, quod cum alibi Pelagiani vellent supradictum textum Apostoli intelligi de voluntate Dei absoluta salvandi omnes, quorum tamen aliquos non posset salvare, eo quod id non penderet primitus ab eo per gratiam suam prævenientem, sed ab homine ipso, prius incipiente per arbitrium suum, quod erat apertissime contra gratiam Dei prævenientem, & omnipotentiam divinam, qua potest, & debet Deus disponere de voluntatibus hominum prout vult, & non expectare, ut homo incipiat, ad hoc ut ipse solum perficiat. Cito vult abjici istam absurdissimam, & Deo, & gratiæ injuriam interpretationem generalem & ad alias confugi, sed tantum, ut evitetur tale inconveniens: unde & ibi permittit quaslibet volueris etiam generales interpretationes, modo non sint contra prædictam gratiam Dei, & ejus omnipotentiam, ut alibi demonstravimus. At vero ubi potuit illam particulam, omnes, sine ullo inconveniente intelligere de omnibus ut singulis, illã ita intellexit Augustinus, ut patet ex libro contra mendacium c. 1. ubi explicans illud *Psalmi 7.* Odisti Domine omnes qui loquuntur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium; sic ait : non enim aliquos excipit (quid clarius) aut indefinite dixit, perdes loquentes mendacium, ut quosdam, non omnes intelligi sineret, sed universalem sententiam protulit dicens : perdes omnes qui loquuntur mendacium. Ubi clare apparet omnes opponi omissioni aliquorum, & per hoc sumi pro singulis: & lib. 2. contra litt. petil c. 22. loquens de illis verbis quæ dixit Christus Apostolis, Iam vos mundi estis, sed non omnes, sic ait : dictum est, mundi erant *sed non omnes, quia erat illic unus immundus.* Ubi clare vides eum sumere omnes pro singulis. In quo sensu etiam in eodem libro c. 32. opponit omnes quibusdam; & lib. 10. de Genesi ad litt. c. 16. explicans illum locum Apostoli. Sicut in Adam omnes moriuntur, vult ibi omnes sumi nullis exceptis : seu quod idem est, non quibusdam exceptis : & idem indicat in explicatione illius loci ad Rom. 5. quo dixit Apostolus : per unum hominem peccatum intrasse, & in *omnes* transisse mortem : quem volebat Julianus intelligi solùm de multis, qui imitatione, & non de omnibus, & singulis, qui generatione peccassent, in quo

negabat peccatum originale: vult Augustinus eum intelligi de omnibus, & singulis, qui generatione peccassent. Et revera ita intelligitur, & debet intelligi secundum fidem Catholicam, unde & id acerrime propugnat Augustinus contra prædictum hæreticum libro 2. operis imperf. c. 114. 145. 147. 148, & multis aliis. Item & hunc locum Joannis 16. ubi ait Christus: *omnia*, quæ pater habet, mea sunt: quem Arriani volebant solùm intelligi de aliquibus bonis, ut negarent divinitatem Christi: contra, ipse vult Augustinus intelligi de omnibus, & singulis bonis, quæ erant in patre ut patet ex his illius verbis: *dum dicit omnia, nihil reliquit* (id est nihil excepit) quod minus haberet à patre: omnia, id est unius deitatis potentiam, substantiam, majestatem. Item & hunc locum psalmi 103: *omnia* à te expectant, ut des illis escam in tempore opportuno: vult intelligi de omnibus, & singulis & non tantum de aliquibus, dicens: *Si omnia omnes: si omnes & nos*, ubi clare vides eum sumere omnes pro singulis & proinde illum voluisse, istum terminum, omnes, sumi pro singulis. Item & explicans istum locum Joannis. Christus Salvator omnium. Serm. 2. non longe ab initio in 2. parte supplementi, sic ait: si salvator *omnium* hominum: *ergo & Ioannis*. Neque enim Joannes non homo. Et paulò post: agnoscit *itaque* (scilicet Joannes) omnium salvatorem (esse) *suum*. Ex quibus omnibus manifestum est, Augustinum voluisse semper, omnes sumi pro singulis, quando scilicet non obstaret loci circumstantia, vel adversariorum fallacia: unde dicendum est quod cùm in aliquibus locis, contra Pelagianos scribens, interpretatur illum textum Apostoli supra allatum: scilicet Deus vult omnes salvos fieri, aliter quam pro omnibus, & singulis hominibus: id solùm facit, eo quod illo abutebantur isti errantes contra gratiam Dei prævenientem, & omnipotentiam divinam, ut dictum supra est. Propter quod necessariò confugiendum fuit ad alias interpretationes, ut evitaret illud inconveniens. Et hinc est, quod cùm solum illud inconveniens evitare vellet, dat cuivis liberam eum quomodo voluerit interpretandi facultatem, modò non sit contra prædictam Dei gratiam, & omnipotentiam divinam, ut late explicuimus in nostra disput. de prædest. ad gl. parte 1. sect. 7. §. 2 puncto 5.

Serm. 6 de temp. non longe ab initio.

Serm. 72. de temp. cap. 5.

Volebat Augustinus, verba scripturæ simpliciter sumi, ut sonant quando nullum hinc inferebatur inconveniens: si secus autem, volebat ea sumi aliter: ut clare indicat libro 8 de Genes. ad litt. c. 1. & 7.

Unde non est mirum, quod cum nondum abusi fuissent supra allato Apostoli textu Pelagiani, quando usurpavit eum in loco præallegato (cùm locus præallegatus decerptus sit ex libro qui conscriptus fuit longe antequam scriberet Julianus pro eis) illum Augustinus intellexerit generaliter de omnibus, & singulis hominibus cùm nullum tunc inconveniens hinc timendum esset: quandoquidem non intelligebat eum de voluntate Dei absoluta, quemadmodum interpretati sunt eum postea Pelagiani, quo pacto erat contra gratiam Dei prævenientem, & omnipotentiam divinam, ut supra explicatum est: sed de voluntate Dei affectiva, & conditionata, & gratiarum ad salutem vere sufficientium præparativa, quo pacto nihil continet contra gratiam

Dei prævenientem, cùm supponat gratiam ante actionem arbitrij: nec contra omnipotentiam divinam, cùm per prædictas gratias sufficientes, quarum aliquæ sunt effectum habituræ, ex voluntate tamen hominis, aliæ non habituræ, possit Deus facere de voluntatibus hominum quicquid ipse velit, dando scilicet quas volet gratias ex his omnibus secundum futurum earum exitum quem præviderit & intenderit, ut alibi explicuimus, scilicet in tract. de indifferent. 1. parte. Ex quibus manifestum est, quod in loco Apostoli supra allato pro prędicta bona Dei voluntate erga salutem omnium, sumpsit Augustinus particulam illam, omnes, pro singulis: cùm ut dixi nihil ibi obstaret illi interpretationi per se germanæ, & naturali, & ut tali ab eo aliquando admissę, & usurpatæ, ut vidimus, quandoquidem nondum Pelagiani, per os supradicti Juliani, textum illum corruperant, nec generalitatem ipsius contra gratiam Dei prævenientem, & omnipotentiam divinam, ut supra explicatum est, depravaverant. Unde quantum ad hoc nullam superesse video dubitationem vel difficultatem.

Ita naturalis est sumptio termini, omnes, pro singulis: ut cum Christus Dominus vellet laudare suos Apostolos de eorum puritate, & munditia, noluit tamen dicere quod omnes erant mundi, ob unicum Iudam qui non erat mundus, sicut alij. Et vos, inquit, mundi estis sed *non omnes*: sciebat enim inquit Evangelista *quisnam* esset qui traderet *eum, propterea dixit, non estis mundi omnes.*

§. PRIMUS.

In quo ostenditur: prædictam Dei voluntatem salvandi omnes, & singulos, esse collativam gratiæ sufficientis, & necessariæ: nec umquam id inficiatum esse Augustinum.

At vero, quod illa bona Dei voluntas erga salutem omnium, & singulorum, non sit sterilis, & inactiva secundum Augustinum, facile probare est ex prędictis verbis Augustini, quibus exponit textum illum addens quasi correctionem contra illorum calumniam, qui ita potuissent explicare bonam illam Dei voluntatem quasi imponeret hominibus necessitatem, & tolleret ab eis liberum eorum arbitrium, seu liberam ab eis boni, vel mali electionem. Vult, inquit, Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: *non sic tamen ut eis adimat lib. arbitrium*, quo vel bene, vel male utentes justissimè judicentur. Per quod satis aperit, quod ipse putavit Deum ex vi bonæ voluntatis istius aliquid operari in nobis, sed non ita tamen, ut per actionem suam determinaret, aut necessitaret arbitrium nostrum ad bene agendum, sed tantùm ita ut præberet ei necessarium auxilium ad sic agendum, & postea relinqueret illud indifferens, & liberum ad agere, vel non agere, ad uti gratia data, vel non uti, ut juxta bonum, vel malum illius usum justissime judicaretur: nam si talem voluntatem, putasset sterilem, & inactivam, & nullius gratię largitricem; quid opus erat ista quasi correctione, & commonitione, cùm à mera voluntate inactiva nihil sit metus, aut periculi in aliis, quod ab eis ipsa auferat libertatem, & imponat necessitatem. Unde cùm illam quasi correctionem, & commonitionem ibi addiderit Augustinus, manifestum est, quod per illam voluntatem non intelle-

xit sterilem, & inactivam, sed alicujus gratię operativam, à qua quidem absolute penderet arbitrium in bene agendo, sed id omnino libere, & expeditè: ita ut ea uti, vel non uti ex ejus libito penderet, & per hoc secundum illum usum sibi prorsus liberum justissime judicaretur.

Et sane si putasset Augustinus, illam voluntatem Dei generalem sterilem esse, & inactivam, & non prævenientem arbitrium per aliquam gratiam positivam, & necessariam, omnino ex tunc tenuisset posteriorum opinionem Pelagianorum, qui sic postea interpretati sunt textum illum Apostoli, quasi voluntas illa Dei expectaret solùm, ut homo per se bonum inciperet, ut post modum cooperans cum illo, eum coronaret, prout infra videbimus ex ipsomet Augustino: unde illam sine dubio sententiam retractasset, ut erroneam, & hęreticam quod non videmus factum in retractationibus libri illius, licet exactissime retractet ea omnia, quę aliquando scripsit etiam tantisper accedentia ad errorem Pelagianum. Ex quo manifestissimum est, quod putavit illam voluntatem esse largitricem gratię, sed non talis gratiæ, quæ labefactaret arbitrium, aut liberam ejus electionem, sed potius faceret ipsum vere liberum & indifferens ad bonum & malum dando ei potestatem boni, cum prius solùm haberet potestatem mali, ut sæpe alibi explicuimus. In hoc enim uno formaliter dissidebant Augustinus, & Pelagiani, quod licet utrique tenerent libertatem, atque indifferentiam ab bonum, & malum esse in homine lapso, tamen volebat Augustinus, illam libertatem esse à gratia sine qua nihil prorsus boni fieri posset ab homine: Pelagiani autem id pernegarent, perperam existimantes, illam dependentiam à gratia in agendo, esse libertati contrariam, ita ut assererent: non esse lib. arbitrium, si gratia Dei indigeret: unde cum explicarent illam Pauli sententiam; Deus vult omnes homines salvos fieri &c. dicebant Deum, ex vi bonæ illius voluntatis velle quidem coronare hominem, sed prius expectare ut homo per se Deum quæreret, & oraret, & pulsaret ad eum, quibus pręcedentibus conatibus mere humanis, & sine gratia Dei factis, bona Dei voluntas suam gratiam, ut eis debitam, & ab eis promeritam retribueret quod longe diversum est ab interpretatione Augustini & nostra, quæ non alia est quam Augustini, qui è contrario nolebat bonam illam Dei voluntatem expectare ullam actionem, seu motionem arbitrij, per se quærentis, orantis aut pulsantis ad Deum; sed volebat quod illa bona Dei voluntas prorsus præveniret, & præmoveret omnem talem actionem, ita quod ipsa Dei voluntas causa esset cur homo quæreret, oraret, & pulsaret ad Deum: ita tamen præmovendo, & præexcitando per gratiam voluntatem hominis ad agendum, ut non adimeret ei suum liberum arbitrium quo bene vel male utens, ut poterat libere & indifferenter, postea justissime propter acta sua judicaretur. Quam differentiam interpretandi locum illum Apostoli non advertentes quidam ex adversariis, mirum est, quam graviter

In tractatu de indifferent. lapsi hominis.

lapsi

lapsi sunt in indagando vero sensu Augustini quoad bonam illam Dei voluntatem circa salutem omnium: ita, ut veram, & Catholicam, & Augustinianam sententiam imaginati sint esse opinionem Pelagianam: unde & putarunt supra allatum textum Augustini, esse objectionem Pelagianam, & non assertionem Augustinianam, quod alibi fuse confutavimus. Certe ista duo longe differunt: Deus vult omnes salvos fieri, *sine* præsupposita necessaria in voluntate gratia: & Deus vult omnes salvos fieri *ex* præsupposita necessaria in voluntate gratia: prior sensus erat Pelagianorum, contra gratiam prævenientem, ut jam explicuimus: posterior Augustini, & ejus discipulorum, pro gratia ipsa præveniente, ut etiam supra explicuimus. Unde cum impugnant Augustinus, & illius discipuli scilicet Prosper, & Fulgentius, abusum illius textus in Pelagianis, & Semipelagianis nihil aliud arguunt, & reprehendunt in eis, quàm negationem gratiæ prævenientis, & præquisitæ ad bene agendum, ad quærendum, ad orandum, & ad pulsandum ad Deum & non aliud: non gratiam indifferentem, non determinationem propriam, non denique quippiam eorum quæ pertinent ad plenam, & perfectam libertatem arbitrij lapsi hominis quoad bonum, & malum; sed meram, & puram negationem gratiæ prævenientis, ut patet etiam ex ipsis Augustini textibus, quos perperam ipsimet pro se citant adversarij. Et primò id patet ex illo quem citant ex libro 4. contra Iul. c. 8. ubi sic loquitur Augustinus Pelagianis perperam utentibus supradicto loco Apostoli. Ibi vos, ut video, ponere jam cœpistis *merita gratiam præcedentia* quod est petere, quærere, pulsare (scilicet ante gratiam, ut patet ex his verbis: merita præcedentia gratiam: & patebit ex sequentibus) ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur, tanquam *gratia nulla præcesserit*, *&c.* ubi solùm vides redargui negationem gratiæ prævenientis: unde & paulo post subdit locum supra allatum Apostoli dicens: ut videlicet intelligamus docentibus vobis, ideo non omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere (per merum scilicet lib. arbitrium sine gratia ut patet ex prædictis) cùm Deus velit dare; nolunt quærere, (per merum scilicet arbitrium sine gratia) cùm Deus velit ostendere; nolunt pulsare (per idem scilicet merum arbitrium sine gratia) cùm Deus velit aperire.

Lib. de prædest. ad gl. 1. parte sect. 7. § 2. puncto 2.

Ubi luce ipsa clarius vides, nihil prorsus in istis reprehendi quam meram, & puram negationem gratiæ prævenientis, seu quod idem est, meram, & puram actionem arbitrij, per se solum bene agentis ante gratiam: cùm in eorum sensu dicat, quod ideo homo non accipit gratiam, quia ipse per se non vult agere bene, cùm bene posset agere sine illa, si vellet: ubi quidem est conditio prærequisita, ad hoc ut Deus actu salvos faciat, sed longissime diversa ab ea quam postulant Catholici, ad hoc ut Deus actu salvos faciat: cùm illa Pelagianorum, sit actio meri arbitrij sine gratia, hæc autem Catholicorum, sit actio arbitrij cum gratia, seu consensus in gratiam. Unde non est quod ex-

Adversarij utramque conditionem confundunt. & volunt nostram eandem esse, ac Pelagianam, quod falsum est: nam quod conditionẽ aliquam postulaverit Augustinus, patet ex nostro tract. de indifferenti &c. parte 2. tota. sed præcipue arg. 8. & 9.

probrent nobis adversarij quod ad illam salutem de qua fit mentio in textu Apostoli prærequirimus conditionem sicut Pelagiani, cùm illa conditio quam requirimus sit longe diversa ab ea quam prærequirebant isti errantes: quandoquidem illa quam prærequirebant Pelagiani, erat, ut supra vidimus, prævenienti gratiæ contraria, & per hoc hæretica; ea autem quam requirimus, ita est gratiæ prævenientis amica, ut sine illa gratia, hæc conditio subsistere prorsus non possit, cùm prorsus supponat eam, unde & est Catholica, & Augustiniana, & ipse Augustinus exprimit eam lib. de Catechis. rud. c. 26. ubi ait: quod *Deus à pœnis sempiternis homines vult liberare* (quod est velle salvare) si sibi ipsi non sunt inimici, *si non resistunt misericordiæ creatoris sui.*

Nec verò minus clarum est, Augustinum idem solùm reprehendisse in Semipelagianis gratiæ prævenientis negatoribus quoad initium fidei: ut patet ex illo ipso altero textu quem citant ibidem prose adversarij ex Epistola 107. ad Vitalem. Semipelagianisantem, ubi verba ista tribuit illi erranti, seu ut errorem suum defendenti Augustinus. Operatur quippe ille dicis, quantum in ipso est, ut velimus: *cùm nobis nota fiunt ejus eloquia*: sed si eis acquiescere nolimus, nos, ut operatio ejus nihil in nobis prosit, efficimus. Ubi vides solùm commemorari gratiam intellectus, seu cognitionis, per hæc verba: cùm nobis nota fiunt ejus eloquia: sileri autem penitus gratiam voluntatis, seu in voluntate residentem, & præexcitantem illam ad bonum, quæ erat sola gratia præveniens hominis lapsi secundum Augustinum, cùm altera esset tantum Adami, seu hominis stantis, & sani, quam libenter admittebant Semipelagiani cum Pelagianis; putantes naturam esse sanam quoad initium fidei, alteram autem repudiabant, cum supponeret naturam ægram, quod fateri nolebant isti errantes quoad initium fidei. Unde & adhuc infra referens ejusdem errantis opinionem Augustinus, sic ait. Hîc tu rursus fortasse dicturus es hoc fieri (id est gressus hominis dirigi) à Domino, *dum doctrina ejus legitur* (audis meram intellectus gratiam) *vel auditur, si homo veritati, quam legit, vel audit* (quæ solum indicant gratiam in intellectu) sua consentiat voluntate (scilicet per illam solam gratiam acceptam ut etiam mox sequitur) ac per hoc *tantum* putas à Domino gressus hominis dirigi ad eligendam viam Dei, *quia sine doctrina Dei* (quæ est mera gratia intellectus) *non ei potest innotescere veritas* (per quod adhuc solùm indicatur gratia intellectus seu cognitionis) cui propria voluntate consentiat. Cui si consentit, inquis, quod in ejus lib. arbitrio constitutum est: rectè utique dicuntur ab illo dirigi gressus ejus, ut viam ejus velit, *cujus doctrinam suasione præcedente* (quod adhuc solam indicat intellectus gratiam) subsequente consensione sectatur: quod libertate naturali (id est innata, & non data à Deo per gratiam in voluntate necessariam, & supernaturalem) si vult facit, si non vult non facit; pro eo quod fecerit præmium recepturus (scilicet gratiam perficientem, & augentem fidem incœptam) vel suppliciũ (id est negationem istius gratiæ, quemadmodum supra dicebant

Pelagiani, & mox sequitur) hæc est illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritoque reprobrata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari in orientalium Episcoporum judicio damnata sententia: qua dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari (hi autem negabant dari ad initium fidei) sed in libero arbitrio esse vel in lege atque doctrina (quod est gratia intellectus) & usque adeo, frater, erimus graves corde? ut de gratia Dei (scilicet præveniente, quam solam negabant Pelagiani) nemo adversus gratiam (scilicet prævenientem) eam Pelagianam sententiam teneamus, quam pectore quidem ficto, sed tamen Catholicos judices timens Pelagius ipse damnavit. Ubi solùm vides reprehendi ab Augustino in isto Semipelagiano negationem gratiæ prævenientis, ut supra fecerat in Pelagianis. Quod & late prosequi possemus si vellemus, cùm reliqua omnia, quæ nobis objiciunt adversarij, nihil aliud innuant, quàm negationem gratiæ prævenientis in voluntate necessariæ, & solam asserant gratiam intellectus esse necessariam, quæ non erat gratia pręveniens lapsi hominis secundum Augustinum. Vnde non multum me movent quædam interpolata Augustini, Prosperi, & Fulgentij, non tam testimonia quàm verba, quæ postea suis assuunt adversarij, ut conficiant suum intentum, non audentes afferre testimonia ipsa integra, ne fraus eorum detegeretur: cum satis pateat ex dictis, in quo sensu dicebant, & reprehendebantur ab istis patribus isti errantes, dum dicerent Deum velle omnes salvos fieri quantum in ipso est, aut si ipsi homines vellent, cùm supra satis ostenderimus quod ipsi id ita intelligebant, ut Deus suæ isti bonæ voluntati præsupponeret actionem hominis, seu bonam hominis voluntatem, quærentem, orantem, & pulsantem ad eum ante gratiam, cui quasi in compensam ipse Deus cooperaretur, quantum in se est, ad æternam ejus salutem, cum ipse homo jam per seipsum semetipsum disposuisset ad hanc cooperationem Dei: qui sensus, quantum distet à nostro, satis patet ex dictis, cùm nos è contra dicamus bonam Dei voluntatem nihil prorsus supponere in nobis, quod mereatur ejus gratiam, aut divinam ejus cooperationem, sed ipsam potius Dei voluntatem ponere initium boni in nobis per gratiam suam sufficientem, omne prævenientem bonum opus arbitrij, cui gratiæ si assentiamur, cooperabitur nobiscum ad æternam nostram salutem, & sic salvos faciet nos Deus secundum prædictam suam bonam voluntatem. Vbi vides oppositum Pelagianicæ sententiæ, quę, ut satis demonstratum est, priores partes dabat naturę, seu lib. arbitrio, & posteriores gratię, seu Deo ei cooperanti per gratiam, cùm vellet lib. arbitrium incipere, & posteà Deum perficere: nos autem è directo priores partes damus gratiæ, seu Deo nos excitanti per gratiam suam ad opus bonum, posteriores autem naturę, seu libero nostro arbitrio illi gratiæ consentienti, prius tamen excitato per eamdem gratiam, & ab eo per eam usque ad consummationem adjuto: quę est ipsissima Augustini sententia de gratia, & lib. arbitrio.

§. II.

In quo quædam opposita supradictis instantiæ diluuntur.

QUantum autem ad id, quod adhuc urgent adversarij dicentes: illam conditionem quam adjiciunt Catholici: scilicet, si homines velint, seu consentiant: non minus pendere à voluntate Dei, quam salutem hominum. Respondeo id esse verissimum, sed non in eo genere dependentiæ quam ipsi putant, qui volunt id pendere à Deo per talem gratiam, quæ simul ac data est, determinet arbitrium ad agendum, nam nos id dicimus pendere quidem à Deo, sed non per talem gratiam determinantem, sed potius per gratiam indifferentem, præmoventem, & præexcitantem arbitrium hominis ad bonum, cui si ipsum arbitrium consentiat, & consequenter agat bonum, debet Deo agere gratias, qui excitavit illud ad illud opus, sine cujus prævia excitatione nihil quicquam boni poterat: si autem non consentiat, & sic agat malum, & non bonum, sibi ipsi tribuat, & non gratiæ, quæ non solùm non excitavit illud ad istud opus, sed potius illud ab illo, quantum poterat, deterruit, sed ipsum arbitrium per seipsum id commisit, quod solùm facere poterat sine gratia, ut optime dicit Augustinus libro de gr. Christi cap. 14. simul ostendens indifferentiam arbitrij, & propriam ejus ad utrumque sive bonum sive malũ determinationem, dicens: quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire *arbitrio voluntatis* (ergo determinatio pendet ab arbitrio voluntatis, ut veniat vel non veniat, ut consentiat, vel non consentiat, ut velit, aut nolit) sed hoc arbitrium *potest esse solum, si non venit, non autem potest nisi adiutum esse, si venit.* Ecce qualem dependentiam vult Augustinus nos habere à gratia, scilicet liberam, & indifferentem, non vero determinatam ab alio, & non liberam, qualem fingunt adversarij: imo & idipsum est, quod dicit adhuc Augustinus ab ipsis allegatus, cum ait libro 4. contra Iul. cap. 8. quod qui jam utuntur voluntatis arbitrio, *nisi* eo volente, ac subveniente, à quo præparatur (id est prævenitur, ut alibi ex Augustino ipso explicuimus) voluntas, velle non possunt. Vbi tantum vides gratiam sine qua id est liberam, etiam in sensu adversariorum, à qua vult nos pendere in agendo, talem scilicet gratiam ut solùm præcedat, atque præveniat, seu præparet voluntatem, non autem ut determinet, aut ut necessitet eam ullo modo, nec aliud quicquam indicat ille alius textus qui sequitur ex libro de prædestin. sanct. c. 8. ubi ait Augustinus: quare inquiunt (scilicet Semipelagiani) non omnes docet: si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet (quod dicitur in persona Semipelagianorum, & in eorum sensu quem vidimus, quasi scilicet Deus prærequireret actionem arbitrij ante gratiam, ut doceret, & salvaret, & conferret gratiam per modum præmii, & mercedis, aliàs eam negaret. In quo est negatio gratiæ prævenientis necessarię in volun-

tate, quam semper exigit Augustinus ad bonum opus) Respondebitur nobis (in persona scilicet Semipelagianorum ut supra loquentibus) & ubi est quod ei dicitur : Domine *tu convertens* (per gratiam tuam scilicet prævenientem, & non expectantem ullum bonum opus prævium arbitrij, ut volebant isti Semipelagiani, quo pacto Deus non converteret, seu non esset convertens, sed homo potius se converteret, & eum Deus sic conversum coronaret, ac perficeret) vivificabis nos : aut si non facit volentes ex nolentibus Deus (per gratiam scilicet prævenientem, & præoccupantem arbitrium, antequam ipsum agat, sed expectet necessario, ut prius homines volentes sint, petendo, quærendo, & pulsando ad eum & sic non amplius sint nolentes) quid orat Ecclesia pro persecutoribus suis, &c. (cum ipsi nondum volentes sint, sed potius nolentes : si ad hoc ut operetur Deus in eis per gratiam suam, necessarium est, ut prius velint, seu ut sint volentes, & non nolentes) quid autem oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus operetur in illis & velle : id est ideo autem nos oramus pro istis nolentibus, seu nondum habentibus ullam bonam voluntatem præviam ad credendum, quia ipse Deus prævenit eos, per gratiam, & non expectat eos, ut non amplius nolentes sint, & increduli, sed facit eos volentes, & credentes per gratiam suam, & non expectat id ab eis, ut prius operantibus & solis, ut volebant isti hæretici. Quod nihil aliud prorsus indicat, quam gratiam prævenientem in voluntate necessariam ad initium fidei, quam negabant isti hæretici, non autem ullam gratiam determinantem, aut necessitantem arbitrium ut prætendunt adversarij : sed de iis terminis alibi latius disseruimus, ut solam exprimentibus gratiam prævenientem ut prævenientem, non autem ullam determinantem, aut necessitantem arbitrium, quos ibi videre poteris.

In tractatu de gratia indifferenti parte 1. sect. 1.

Quantum autem ad instantiam quam sumunt adversarij ex salvatione parvulorum, de quibus dicit Augustinus : quod licet ipsi non velint salvi fieri, cùm nondum habeant velle, aut nolle, tamen multi eorum salvantur : per quod inferunt quod reprehendit Augustinus eos, qui volunt Deum expectare voluntates nostras, ut salvet nos. Respondeo id dici, & reprehendi, non in sensu nostro, qui supponit Dei gratiam pravenire voluntates nostras, sed in sensu Pelagianorum supra explicato, qui volebant Deum expectare voluntates nostras per se primò quærentes, & orantes, & pulsantes ad Deum sine gratia, quibus tanquam præcurrentibus, & necessariis meritis, & prædispositionibus ex parte hominis, conferret Deus gratiam, & salutem : iis autem non præcurrentibus, non conferret gratiam: qui sensus damnatur ab Augustino in textibus ibi allegatis, ut contrarius gratiæ prævenienti ut sic, cùm faciat eam pedissequam arbitrij, & subsequentem post ejus actum, non verò antecedentem, & præcurrentem, ut volebat eam esse Augustinus, ut quæ verè dabatur secundum eum, aut negabatur, sine ullo intuitu præcedentis actus arbitrij : quod cla-

re patet in ipsis illius textus terminis. *Sed hunc sensum vestrum* (ait Augustinus adversus Pelagianos) infantes illi ipsa sua taciturnitate convincunt , *qui nec petunt , nec quærunt , nec pulsant* (audis præcedentes illas dispositiones rejectas , ut fatuas , & insanas) *imo etiam cùm baptizantur , reclamant , respuunt , reluctantur* (quasi diceret : imo habent dispositiones contrarias) & accipiunt tamen , & inveniunt , & aperitur eis , & intrant in regnum Dei , ubi sit eis æternitatis salus , & agnitio veritatis , longe pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo , qui vult omnes homines salvos fieri , & in agnitionem veritatis venire , *quibus dicere non potest : volui , & noluistis* (per quod etiam rejicit meritum negationis gratiæ , in parvulis , cùm ipsi non essent culpabiles ex eo quod non vellent , nec quęrerent , nec orarent , nec pulsarent ad Deum , cùm necdum ista velle possent , aut nolle , & tamen negabatur illis gratia , quæ dabatur aliis parvulis similiter non volentibus , nec quęrentibus , nec pulsantibus , imo vero iis reluctantibus , & reclamantibus , ut prædictum est : quod erat contra ea quæ paulo ante dixerat Julianus : ideo non omnes salvos fieri , & in agnitionem veritatis venire , *quia ipsi nolunt petere , cùm Deus velit dare , nolunt quærere cùm Deus velit ostendere* , cum ecce isti parvuli , qui nequidem possunt nolle , nec ullam contrariam Deo voluntatem habere , quandoquidem , nondum habent usum liberum voluntatis suæ , & tamen negatur eis gratia , nec recipiunt baptismum , per quem intrent in regnum Dei ubi sit eis æternitatis salus , & agnitio veritatis) qui si voluisset ; quis eorum , qui nondum habent voluntatis suæ arbitrium , voluntati ejus omnipotentissimę restitisset ! Idem & paulo post repetit , dicens : si Deus omnes homines vult salvos fieri , & in agnitionem veritatis venire , sed *ideo non veniunt , quia ipsi nolunt* ; cur tot millia parvulorum , qui non percepto baptismate moriuntur , non veniunt in regnum Dei , ubi est certa agnitio veritatis ; numquid aut homines non sunt , ut non pertineant ad id quod dictum est , omnes homines : aut aliquis potest dicere : *Deus quidem vult , sed ipsi nolunt* , qui nondum velle , seu nolle ista noverunt. Ubi solùm rejicit omnem dispositionem præviam , & necessariam ante collationem gratiæ , aut negationem ejus : & ostendit eam esse prævenientem , & pręcedentem omne meritum arbitrij , cùm detur , & negetur sine ullo intuitu meriti , aut demeriti , iis qui necdum ullum meritum , aut demeritum habere possunt. Quod adhuc ostendit in sequenti textu citato ab adversariis ex Enchiridio , ubi ait Augustinus : *quando quæritur causa , cur non omnes salvi fiant , responderi solet : quia hoc ipsi nolunt* : quod quidem de parvulis dici non potest , quorum nondum est velle , seu nolle. Ubi adhuc solum rejicitur dispositio pręvia ad gratiam , & nihil aliud.

Nota obiter , ibi in hoc textu sumi ab Augustino omnes pro singulis : cùm sufficiat secundum eum quod quispiam sit homo , ut pertineat ad illud omnes : unde cùm illi parvuli essent homines , vult eos pertinere ad illud omnes.

§. III.

Vni quæsito Respondetur : & eadem nostra prima probatio confirmatur ex Augustino & Prospero.

VErum forte quæri posset ; cur Pelagiani sibi sic persuaserant Deum non posse conferre pro libito salvationis gratiam , iis qui non per seipsos prius disposuissent se ad illam recipiendam.

Respondeo primo , id forte eos intellexisse de potentia Dei ordinata , qua statuit Deus neminem salvare nisi ob merita : at nullum ibi meritum agnoscebant , ubi non adesset indifferentia , & nullam etiam indifferentiam agnoscebant ubi esset dependentia à gratia , juxta illud eorum pronunciatum multoties à nobis jam repetitum , & etiam repetendum , cùm sit basis , & fundamentum totius illorum erroris circa gratiam : quo dicebant , non esse liberum arbitrium , si gratia Dei indigeret: unde volebant ante eam esse pręcedens meritum arbitrij, & ante negationem ejus esse demeritum ejusdem arbitrij , alias si gratia pręcurrat meritum arbitrij,ipsam esse fatum , & fatalem nobis imponere necessitatem,ut expressè queritur Julianus in supracitato capite libri 4. contra eum , ipso referente Augustino his verbis : *vestra* quippe , non nostra *sententia est , fato fieri quod merito non fit* : & ne secundum istam definitionem fato fiant hominibus , si meritis non fiant, quęcumque fiunt : *ideo merita , vel bona* (respectu collationis gratię) *vel mala* (respectu negationis ejusdem gratię) *quantum potestis , asseritis ne fatum sit consequens , si merita negaretis.* Quod & alibi sępe repetit , ut libro 2. ad Bonif. c. 5. 6. 8.

Respondeo secundò , id forte eos dixisse, quia *videbatur eis iniquum , si gratia Dei peccatoribus daretur* , ut ait Cælestius alter priorum Pelagianorum dux , & magister lib. de gestis Pelagij c. 14. circa initium : unde & ipse volebat eam secundum merita nostra dari. Aut ut ait Iulianus libro 2. ad Bonifacium c. 6. quia si Deus daret gratiam suam sine ulla discretione meritorum pręcedentium , sed pro suo mero libito, & voluntate , *ipse esset acceptor personarum* , quòd est contra justitiam:unde cùm hæc non possint cadere in Deum , qui neque iniquus , neque acceptor personarum esse potest , quod etiam longe rejicit à Deo Augustinus cap. 7. sequente , non est mirum quod dicerent : Deum non dare , aut negare gratiam hominibus nisi secundum merita bona , aut mala meri eorum arbitrij , & proinde (quantum ad locum Apostoli) Deum solùm velle omnes homines salvos fieri , si ipsi per merum suum arbitrium sine gratia Dei pręvia quęrerent , orarent , & pulsarent ad Deum , cùm putarent eam esse conditionem necessariam sine qua Deus, nec daret , nec posset dare gratiam , qua salutem suam consequerentur.

Ad id autem quod addunt de prædictis parvulis, circa quorum omnium , & singulorum salutem , negant fuisse supradictam Dei bonam

voluntatem, satis respondimus in disputatione nostra de prædest. ad gl. parte 1. sect. 7 §. 1. punct. 3. 4. & 5. & infra iterum eamdem materiam funditus explicabimus cùm de iis loquemur sigillatim, ut promisimus: interim accipe duo Augustini testimonia, quibus, ut arbitror, ea quæ diximus de prędicta bona Dei voluntate circa salutem omnium & singulorum valde confirmantur.

Primum est ex serm. 81. de diversis in fine, ubi ita commendat Augustinus generalem Dei voluntatem circa salutem omnium, ut satis innuat, eam esse pro singulis, & non tantum pro omnibus, ut sumitur pro multis, dicens: Deus quos seminavit (id est creavit, condidit, fecit) *spicas vult invenire* (id est bonos aut electos) *non spinas*: id est, non vero pravos aut reprobos: atqui omnes & singulos Deus creavit, & non tantum aliquos. Ergo vult omnes & singulos, esse bonos aut electos; non verò pravos, aut reprobos. Et consequenter dat omnibus, & singulis gratias sufficientes, ut electi sint, cum aliter id esse non possint.

Alterum testimonium est in tract. 12. in Joannem non longe à fine, ubi comparans Deum medico respectu hominum lapsorum, tanquam ęgrorum, sic ait: *quantum in medico est, sanare venit ægrotum*: ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit salvator in mundum, quare salvator dictus est, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum: *salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis* Vbi clare vides, Christum quantum in ipso est (qui est modus loquendi Scholasticorum, quem tam præfracte damnant adversarij) velle sanare, non ęgrotos in confuso, & in genere, sed ęgrotum in singulari, tanquam individuum vagum, & per hoc indicans omnem singulum hominem, qui ægrotus est, scilicet per concupiscentiam: at quis hominum non est ægrotus hac ęgritudine? certe nullus negare potest se ęgrotare hac ęgritudine; ergo nullum non hominem lapsum vult sanare per gratiam, & per hoc, omnem, & singulum hominem lapsum vult sanare per gratiam: sed per gratiam sufficientem, cùm hęc sola sit gratia sanans, & expugnans concupiscentiam: unde & consequenter dicit unicuique reprobo; *sanari non vis ab ipso*, scilicet per gratiam sufficientem pręstitam, quæ à solo Deo est: ex te judicaberis, id est ex peccato tuo, quod ex te solo est, & non à Deo nec à gratia ejus, cui consentire noluisti, condemnaberis.

Et sic manifestum est, Augustinum censuisse, Deum omnes, & singulos homines velle salvos fieri, quantum in ipso est: & per hoc in temporibus antiquis præbuisse, & nunc etiam præbere omnibus, & singulis hominibus gratias ad id sufficientes, quibus si consentiant, salvabuntur per gratiam, & cooperationem suam, si non consentiant; damnabuntur per seipsos solos, quia noluerunt gratiæ præstitæ consentire, & sic salvari, ut poterant, si voluissent pręcurrente eos ista gratia: qui est sensus catholicus, & antonomasticè Augustinianus. cui concinit fidelis Augustini interpres, & discipulus D. Prosper lib. 2. de vocatio-

de vocatione Gent. cap. 26. circa medium ubi ait: quod *opitulatio Dei per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur*, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, *& gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ* Cap. 28. sub finem sic ait: sicut qui crediderunt, juvantur ut in fide maneant, sic & qui nondum crediderunt juvantur ut credant: & quemadmodum illi in sua habent potestate ut exeant, ita & isti in *sua habent potestate ne veniant*, fitque manifestum, quod *diversis, atque innumeris modis, omnes homines vult Deus salvos fieri*, & in *agnitionem veritatis venire*: sed qui veniunt Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur. Quod luce ipsa clarius ostendit, omnes & singulos habere gratiam sufficientem, cùm ibi faciat adæquatam hominum partitionem, quorum uni consentiunt gratiæ datæ, alteri verò resistunt eidem gratiæ, cui sane non resisterent, aut reluctarentur, si non eam haberent: ergo omnes & singuli habent illam gratiam.

SECTIO TERTIA.

In qua proponitur secunda nostra probatio, sumpta ex morte Christi quam agnovit Augustinus esse pro omnibus & singulis hominibus, exponens quosdam textus Apostoli.

PRobatio 2. est, quia censuit Augustinus cum Paulo Apostolo, Christum pro omnibus, & singulis esse mortuum: ergo & censuit eum dedisse omnibus, & singulis gratias vere sufficientes ad salutem.

Consequentia clara est, nam vel ideo dicitur Christus mortuus pro omnibus, quia mors ejus sufficiens erat pro omnibus redimendis quoad valorem pretij, vel quia impendit eam pro omnibus, & quasi per eam, ut ait Augustinus, emit orbem terrarum: non primum, quia sic non esset magis mortuus pro hominibus, quam pro dæmonibus, ad quos redimendos sufficientissimũ istud est pretium sicut & ad homines: quod tamen absurdum est: ergo dicendum secundum, scilicet quod ideo dicitur Christus mortuus quia mors illius impensa est pro acquirenda omnium salute, seu quod idem est mortuus est pro acquirendis gratiis ad salutem omnium sufficientibus, atque necessariis. Unde cum D. Prosper in Respons. ad primam object. vinc. dicit: mortem Christi quoad potentiam pretij esse pro omnibus (ut objicit nobis Estius commentans hunc locum Apostoli 2. Cor. 2. Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt) non per hoc excludit alias etiam causas, quales sunt prædictæ gratiæ præstitæ ad salutem æternam sufficientes, sed tantum excludit voluntatem efficacem pro salvandis omnibus, & singulis, aut saltem convertendis ut satis explicuimus in disputatione nostra de prædest. ad gl. parte 1. sect. 7. §. 2. puncto 9. sub finem: ubi etiam multos ex eodem Prospero lo-

Infra adducetur ille locus Augustini.

cos citavimus, in quibus ipse admittit tales gratias sufficientes pro omnibus (ut ibi videre potes) propter quas gratias longe magis proprie Christus dici potest pro omnibus mortuus, quam propter solum valorem sui pretij, propter quem, potest dici mortem Christi solùm aptam fuisse, quæ impenderetur pro omnibus, si eam pro iis impendere voluisset, non vero ex hoc proprie potest dici illam fuisse actu impensam, & datam pro omnibus, ut vult eam dici Augustinus lib. 4. de Trinit c. 3. circa medium & prout necessarium est fateri ad hoc ut dicatur Christus vere & proprie mortuus pro omnibus, ut dicitur in scripturis; quid enim est aliquem mortuum esse *pro aliquibus*, nisi mortem ejus fuisse impensam pro iis, & per eam satisfecisse pro eis, ut etiam dicitur in quodam textu de morte Christi pro omnibus, quem allego ubi supra in margine ex aliquo concilio generali. Unde & ista nostra consequentia ita visa est certa, & rationabilis aliquibus ex adversariis, ut sincere fateantur genuinius, & verius aliter respondendum esse, quam negando illam, quapropter speramus illam ut certam, & rationabilem esse etiam ab aliis admittendam. Unde jam probatur antecedens: scilicet quod vere censuit Augustinus, ut & Paulus Apostolus, mortuum esse Christum pro omnibus, & singulis hominibus: nam fere omnes locos quos habet Apostolus pro ista morte, ut ad omnes, & singulos pertinente, urget, & inculcat Augustinus contra inimicos fidei: nam istum locum Apostoli 2. ad cor. 5. Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt (qui locus apertissime indicat mortuum esse Christum pro omnibus, & singulis, cùm ex ista morte pro omnibus, inferat mortem omnium per peccatum originale, quæ non est mors omnium, ut multorum, sed omnium ut singulorum, ut per se manifestum est) sic illustrat, & inculcat libro 6. contra Iul. c. 4. dicens: si unus, inquit (scilicet Apostolus) pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse, ut moreretur nisi pro mortuis: *ex hoc enim probavit, omnes mortuos esse* (scilicet per peccatum origin. quę est mors omnium ut singulorum) *quia pro omnibus mortuus est unus* (ubi vides mortuos per peccatum, inferri ab Augustino, ut & ab Apostolo, ex morte Christi pro omnibus, & proinde indicari mortem Christi pro omnibus, fuisse pro omnibus, ut singulis, cùm ex ea inferatur mors omnium, ut singulorum, quæ est mors omnium nostrum per peccatum originale, & non tantum infertur, sed etiam inculcatur, & urgetur vehementer, ut patet ex sequentibus, cum ait) impingo, inculco, infercio recusanti, accipe salubre est, nolo moriaris, unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: *vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur esse mortui, si pro omnibus mortuus est.* Ubi vides clarissime, inculcatam istam Christi mortem pro omnibus, ut peremptorium argumentum mortis omnium in peccato, quæ est omnium, ut singulorum, & non tantum ut multorum: unde necessario sequitur, quod tam certum fuit Augustino, & Apostolo, mortuum esse Christum pro

omnibus, & singulis, quam omnes mortuos esse, & singulos per peccatum, imo vero etiam forte certius visum est, cùm, secundum leges rectæ doctrinæ, notiores debeant esse præmissæ quam illatio: mors autem Christi pro omnibus, tenet locum præmissæ in hoc argumento, & mors omnium per peccatum, illationis: unde est quod multoties capite sequente inculcat idem argumentum contra Iulianum, itèm & cap. 9 ubi etiam dicit Christum esse mortuum pro mortuis: unde cum nullus parvulus non mortuus sit, ita nullus est parvulus pro quo Christus non mortuus sit. Quod & videas in aliis ejus operibus contra eumdem Julianum.

Lib. 1. op. imperf c. 115 & lib. 2. c 30 & 175 & lib. 3. op perfect c 37.

sed mirum est, Augustinum, cum toties locutus sit de peccato orig. ut in omnibus, & singulis, numquam tamen excepisse B. Virginem, licet in iis locis sæpè exceperit Christũ, imo dixerit illum solum esse exceptũ: verumtamen non hinc certò inferendum est illum noluisse B. Virginem etiam ab illo peccato esse exceptam, quandoquidem libro 5. contra Iul c. 1, initio, ubi expressissime asserit, nullum exceptum esse à peccato orig. præter Christum, tamen sub finem illius capitis dicit: quod nullus habuit peccatum orig. qui postea non peccaverit actualiter, si diu supervixerit, ponens quasi ex æquo, habere peccatum origin. & actuale, in adultis, aut non habere ullum ex illis: ut patet ex his illius verbis: ubi loquens de Christo sic ait: profecto peccatum etiam maior fecisset, si parvulus habuisset: nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum, præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu. Vbi vides, eum asserere in iis solis locum habere peccatum orig. in quibus fuit peccatum actuale, cum adoleverint: At satis clare indicat lib. de nat. & gr. c. 36. initio quod B. Virgo numquam peccavit actualiter, ut patet ex his illius verbis: excepta S. Virgine Maria; de qua propter honorem Domini, *nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem*, inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit *ad vincendum omni ex parte peccatum*: quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Vbi solùm loquitur de peccatis actualibus, & non etiam de origin. ut perperam aliqui locum illum interpretantur, quia sermo ibi erat de peccatis actualibus, sine quibus dicebat Pelagius quamplurimos sanctos vixisse, & negabat August. tum etiam quia loquebatur de peccatis quæ possunt vinci à peccante, qualia non sunt originalia, sed solum actualia: cùm ergo dicat hic Augustinus B. Virginem non peccasse, & in supra allato loco dixerit, quod qui habet orig. peccatum peccavit actualiter, si ad annos discretionis pervenerit: manifestum est quod in his aliqua intervenit inadvertentia, aut certe quod more suo noluit hanc incidentem quæstionem dirimere, an scilicet B. Virgo etiam exempta fuerit ab illo peccato. Et ita, sub dubio est quam opinionem tenuerit de immaculata Virginis conceptione.

In eodem sensu usurpavit Augustinus illum alium consequentem textum Apostoli, ubi dicit Apostolus: pro omnibus mortuus est unus, ut *qui vivunt*, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Ubi clarus est sensus mortis Christi pro omnibus, & singulis hominibus, cùm ibi exhortetur omnes qui vivunt, ut non sibi; sed ei qui pro ipsis mortuus est, vivant, & operentur: ac qui sunt qui vivunt; nonne omnes & singuli, ergo pro iis omnibus, & singulis mortuus est Christus. Deinde ibi arguit quod omnes qui vivunt, debent vivere Christo, ac qui sunt illi singuli, seu singulares homines qui non debent vivere Christo: ergo pro iis omnibus mortuus est Christus, ergo pro omnibus, & singulis. Vnde non possum non vehementer mirari Estium, qui pro sua, in sufficientem gratiam omnibus, & sin-

gulis præstitam, inimicitia, voluit tam clarum, & apertum textum corrumpere, tam crassa, & inepta corruptione, ut nemo sit qui non facillime possit illius errorem advertere. Nam cùm videret magnam esse vim pro gratia sufficiente, omnibus, & singulis data, in his verbis: ut *qui vivunt* jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est: ubi maxime claret, quod ij pro quibus mortuus est Christus sunt omnes qui vivunt, qui sunt omnes, & singuli qui sunt in hoc mundo, & qui vita naturæ potiuntur: sic alienavit hunc sensum dicendo, quod ij pro quibus mortuus est Christus, *quamvis vivant* vita naturæ, debent tamen vivere Christo: quod est omnino sensum Pauli, & scripturæ subvertere. Quare enim mutare ista verba, propositioni illi intrinseca, scilicet: *qui vivunt.* In hæc alia verba, *quamvis vivant.* Nam pronomen illud, qui, determinat ibi quinam sunt ij, qui debent vivere Christo, nempe omnes viventes vita naturali: ergo tollendo illud, & mutando in, quamvis, tollis sensum intrinsecum isti propositioni, & mutas in alium, & proinde subvertis illum, mutas enim ibi subjectum in prædicatũ, & prędicatum in subjectum: quod nihil aliud est, quam subvertere totum propositionis illius sensum: subjectum enim prædictæ propositionis est, qui vivunt: & prædicatum, est, quod pro iis mortuus est Christus, ut non sibi, sed Christo vivant: ut patet ex terminis, ut qui vivunt, inquit Apostolus, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & tu facis contrarium, cùm dicis in tua expositione: ut illi, pro quibus mortuus est Christus (ecce subjectum quod erat prædicatum) quamvis vivant vita naturali (ecce prædicatum quod erat subjectum) deinceps tamen non sibi vivant, sed Christo, quo nihil dici poterat corruptius, atque infidelius, cùm in sensu, & verbis Apostoli, omnes viventes debeant vivere Christo, qui pro ipsis mortuus est: in tuo verò sensu, ij soli pro quibus mortuus est Christus, qui non sunt omnes viventes secundùm te, sed soli prædestinati, debent vivere Christo. Quod omnino diversum est. Sed ut nemo sibi persuadeat nos ei tam falsam & tam infidam imponere D. Pauli expositionem, tota illa afferenda est, ut per hæc judicet lector, quid censere debeat de isto expositore, quem multi magni faciunt in exponendis his epistolis, quas tamen sæpe corrumpit, ubi cum suis sensibus, & opinionibus propriis non concordant: ecce ergo quod dicit in expositione prædicti loci. Sensus, inquit, periodi est: ad hoc unus ille, scilicet Christus, pro omnibus mortuus est, ut iidem illi; pro quibus mortuus est, *quamvis vivant* vita naturali, deinceps tamen non sibi vivant quasi libere facientes quicquid suggesserit propria voluntas, sed sibi mortui, vivant ei, qui pro ipsis mortuus est, id est omnes vitæ suæ actiones instituant ad nutum, & voluntatem, & honorem sui Domini, qui ipsos sua morte redemit, eoque redemptionis jure servos suos effecit. Vbi vides caute sileri ista verba Apostoli: ut qui vivunt: qui sunt scopulus opinionis Estij, & similium, contra gratiam sufficientem universalem, & ea commutari in hæc verba: ut ij pro quibus mor-

tuus est: qui non sunt omnes viventes secundum Estium, sed soli prędestinati: per quod proinde non solùm totus sensus, sed etiam totum Pauli intentum subvertitur: quando quidem volebat Apostolus invitare omnes viventes qui non sunt soli prædestinati, sed & omnes alij, ut non vivant amplius sibi, sed Christo, qui pro ipsis mortuus est, ut patet ex Pauli verbis cum ait: ut *qui vivunt*, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est: & hîc tantum invitat prædestinatos (pro quibus solis mortuus est Christus secundum Estium) & non alios cum solùm invitet eos pro quibus Christus mortuus est, ut patet ex his ipsius Estij verbis: ut iidem, inquit, illi *pro quibus mortuus est*... non sibi vivant, sed ... ei qui pro ipsis mortuus est. At secundum estium Christus mortuus est pro solis prædestinatis: ergo secundum eum, Paulus solùm invitat prædestinatos, & non alios ad non vivendum sibi, sed Christo, quod est contra sensum Apostoli, ut ex prædictis clarum est. Sed numquid etiam tibi videtur mira ista ratiocinatio quam hîc tribuit Apostolo, cujus ne minimum quidem vestigium videas in pauli textu, scilicet: ut *quamvis* vivant vita naturali, deinceps non sibi vivant, sed Christo: quasi vero vita naturalis in aliquo contraria sit vitæ spirituali in Christo, adeo ut necesse sit admoneri homines, ut quamvis vivant vita naturali, debeant tamen etiam vivere vita spirituali: cum è contra vita naturalis, ita necessaria sit vitæ spirituali, non solùm in hominibus, sed etiam in angelis, ut hæc sine illa prorsus esse non possit. & sola vita vitiosa, & irrationalis seu quæ est contra naturam rationalem vitæ spirituali contraria sit, de qua vita vitiosa, seu irrationali dici non potest, quod quamvis tali vita vivant homines debent tamen vivere Christo, cùm tali vita viventes, non possint vivere Christo, seu vivere vita spirituali, quæ cùm illa prorsus incompossibilis est. Sed de his obiter, & non sine ratione, cùm ita hic perscrutemur sensum Augustini, ut non negligamus sensum Apostoli, supra quem fundatus est textus Augustini quem allegavi. & alium quem allego pro hac nostra probatione antec. qui sumitur ex fragmento 19. ubi ait Augustinus: debet enim vita humana in se deficere, in Christo proficere: ut *qui vivunt*, non jam sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit, & dicat *unusquisque nostrum* (audis singulos generum, non genera singulorum) quod dicit Apostolus: vivo autem jam non ego vivit vero in me Christus. Ubi vides, Augustinum, sicut & Apostolum, absolute censuisse, mortuum esse Christum pro omnibus, & singulis, cùm ex consideratione mortis illius ut pro omnibus, velit unumquemque nostrum ita vivere Christo, qui pro unoquoque (scilicet) nostrum mortuus est, ut possit dicere cum Apostolo, vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.

Eodem modo intelligit Augustinus hunc alium locum Apostoli ad Rom. 6. ubi dicit Apostolus: commendat dilectionem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Supra quod sic ait Augustinus tract. 110. in Joannem cir-

ca finem: habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitias adversum eum exercentes, operaremur iniquitatem, & tamen ei verissimè dictum est [Odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem] proinde miro, & divino modo, & quando nos oderat, quales ipse non fecerat (quod odium, est in omnes & singulos, cùm sit ob peccatum originale, quod est in omnibus & singulis) & quia iniquitas nostra opus ejus non omni ex parte consumpserat, noverat simul *in unoquoque nostrum* (audis adhuc singulos generum, non genera singulorum) & odisse quod feceramus, & *amare quod fecerat*. Vbi vides Augustinum velle, amorem illum ex quo dicit Apostolus Christum subiisse mortem pro nobis, esse pro iisdem, pro quibus prius erat ejus odium ob peccatum originis: sed in omnes, & singulos erat ejus odium ob peccatum originis secundum Augustinum, ergo in omnes, & singulos, est ejus amor, seu dilectio, ex qua pro nobis mori dignatus est juxta sensum Apostoli, & etiam Augustini recte illum explicantis.

Prosecutio ejusdem probationis sumptæ ex morte Christi, quam etiam agnovit Augustinus esse pro omnibus, & singulis hominibus loquens ex mente propria, & exponens sensum suum.

SEd non tantum explicando locos illos Apostoli voluit Augustinus Christum esse mortuum pro singulis, seu redemisse singulos sufficienter, sed etiam loquens ex seipso, & indicans sensum suum peculiarem extra explicationem scripturæ, id apertè indicavit, ut patet ex serm. 67. de temp. circa med. ubi Christus alloquens primum hominem, ut repræsentantem seipsum, & totam posteritatem suam, qui sunt omnes, & singuli homines, sic ait. Ego te ô homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi imaginem nostram, similitudinemque conferre dignatus sum, ego te inter paradisi delicias collocavi, tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi, quam Deum maluisti: cùm expulsus de paradiso jure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis pariendus introivi, in præsepio expositus, & pannis obvolutus jacui, &c. *flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morte animam in tormentis dimisi* en clavorum vestigia, &c. *cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti* (hoc non spectat Adamum ut innocentem, quandoquidem ut innocens non redemptus est, ergo hoc spectat ad quemlibet hominem lapsum, tanquam individuum vagum) non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam pro qua meam dedi: redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum *indesinenter occidis*, (certe hoc non spectat ad Adamum antiquum sed ad omnes præsentes, & ad singulos ejus posteros maxime autem ad impios, obduratos, & reprobos de quibus major est dif-

ficultas quoad gratiam sufficientem, & quoad ejus mortem & ad omnes, & singulos, qui hoc faciunt indesinenter) cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram, *luxuriæ sordibus polluisti* (certe hoc non spectat ad Adamum, de quo numquam auditum est, quod luxuriæ peccatum commiserit, sed ad ejus posteros, maxime autem ad prædictos) cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti, cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, afflixisti: gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam illa, in qua tui misertus, mortem tuam occisurus, ascendi. Et cętera, quæ ibi late prosequitur, quæ nimis clara per se sunt de morte Christi pro omnibus, & singulis hominibus descendentibus ab Adam, quam ut exponi singulariter hîc indigeant. Et serm. 122 circa med. loquens Augustinus diabolo, quem per mortem suam Christus spoliaverat, sic ait: o quam bene te tuo impetu diabole percussisti, crudelitas tua tibi exitium, nobis attulit commodum: dum nulli parcis, teipsum tandem interimis, *per unius delictum, omnes captivasti* (qui omnes sine dubio sunt singuli, cum sint omnes ij qui sunt irretiti peccato originali) *per unius justitiam omnes* (certe omnes, & singulos, ut æqua sit comparatio & ut non minus detur Christo liberanti quam diabolo captivanti) *nihilominus amisisti*. Ubi si dixeris, omnes significare solùm paucos illos qui salvantur, aut qui credentes fuerunt in Deum; quid ridiculius, & absurdius ista comparatione, & exprobratione Augustini in diabolum, cùm exprobraret ei, quod cùm captivaverit infinitos, & suæ ditionis omnes illos fecerit, amiserit tantum paucos, imo vero paucissimos, & fere nullos, quales sunt prędestinati, si soli considerentur, in comparatione captivatorum, qui sunt innumerabiles: unde ut rationabilis sit ista comparatio, & exprobratio, debent omnes, & singuli qui fuerunt captivati à diabolo, redempti esse à Christo: quod & mox inculcat Augustinus, dicens ipsi diabolo. Effudisti innoxium sanguinem, *redde damnatam progeniem*. At quæ est illa damnata progenies, nisi omnes, & singuli homines, qui captivati fuerant à diabolo, & vult Augustinus eos reddi Christo, ut pote emptos ab eo magno sui sanguinis pretio. Quod & adhuc inculcat sermone sequente circa med. ubi ait quod Deus carnem assumpsit ut *humanam naturam* (quæ est illa progenies damnata, de qua locutus fuerat in sermone præcedente, quę omnes omnino, & singulos significat homines à diabolo captivatos, & non prædictos paucissimos ad ęternā fœlicitatem prędestinatos, aut in Deum credentes) *erueret à diabolo, & regno restitueret æterno*; promerendo scilicet eis per mortem suam gratias ad illud regnum assequendum sufficientes, quibus utendo, & consentiendo, in ęternum salvi fierent, si vellent. Et in 2. parte fragmenti 7. clare indicat, eos omnes esse redemptos, quos ab eo novimus esse creatos, qui sane sunt omnes, & singuli: *Servi tui*, inquit sumus, creatura tua *sumus, fecisti nos, redemisti nos* (id est illos redemisti quos creasti) emere quisque potest servum suum, creare non potest:

(ecce vides quod loquitur de singulis) Dominus autem *servos suos* (at quis non est servus Dei: id est subditus Deo idem enim ibi est servus, & subditus unde & supra quos vocavit servos, vocavit creaturas Dei) *& creavit, & redemit* (ecce adhuc vides, eos esse redemptos, quos novimus creatos, qui sunt omnes, & singuli) *creavit ut essent, redemit ne semper captivi essent* (ubi semper vides constantem comparationem creationis & redemptionis, ut in iisdem locum habentem) *incidimus* enim *in principem hujus sæculi* (at quem hoc non respicit) qui seduxit Adam, & servum fecit, & cœpit nos tanquam vernaculos possidere, sed venit redemptor, & victus est deceptor. Et in psalm. 95 ante med. loquens de eadem Christi redemptione quoad omnes, sic ait: tenebantur *homines captivi* sub diabolo, & dæmonibus serviebant, sed *redempti sunt à captivitate* (ecce ij qui erant captivi sub diabolo, redempti sunt à captivitate: at quinam erant captivi sub diabolo; certe omnes, & singuli: ergo omnes, & singuli sunt per Christum liberati, & redempti) vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit redemptor, & *dedit* pretium (ergo mors ejus non est pretium dandum, sed datum, & proinde non ideo solùm dicitur Christus redemptor, & mortuus pro omnibus, quia mors ejus solùm habet valorem equivalentem salutem omnium, sed quia actu data, & impensa fuit pro omnibus, seu pro salute omnium: unde & sequitur) fudit sanguinem suum, *emit* orbem terrarum (ecce adhuc emptio, quæ arguit pretium datum, quod etiam mox sequitur) queritis *quid emerit; videte quid dederit*, (ecce adhuc pretium datum) *& invenite quid emerit* (ecce ergo totum orbem terrarum hoc pretio emptum, omnes & singulos homines emptos, & redemptos per Christum, cùm ex valore pretij dati, colligat Augustinus emptæ rei quantitatem, quæ sane sumpta pro tota hominum massa seu pro omnibus & singulis hominibus, parum est pro tanto, & tam infinito pretio dato: unde & sequitur) sanguis Christi pretium est, tanti quid valet, *quid nisi totus orbis* (ecce ergo quod consequens erat ex valore dati pretij ut totus orbis terrarum, seu, quod unum, & idem est, omnes, & singuli homines per illud redimerentur) *quid nisi omnes gentes* (sed nota valde quod sequitur) *valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis sit datum*: ex quo necessario sequitur quod empti sunt omnes, & singuli. Nam si dicant prædestinati, quod ipsi soli sunt redempti, seu quod pro iis solis datum sit pretium, rectè potest dici secundum Augustinum quod valde sunt ingrati & superbi: item si id dicant justificati, valde sunt ingrati & superbi: si id dicant credentes, valde sunt ingrati & superbi, si id dicant aliqui soli, & non omnes, & singuli, valde sunt ingrati & superbi secundum Augustinum qui se tam magnos esse dicunt, pro quibus solis, sit datum tantum pretium. Unde dicendum est secundum Augustinum, quod redempti sunt omnes, & singuli, seu quod pro omnibus, & singulis datum est pretium sanguinis Christi: propter quod

mox

mox ſequitur contra prædictos ingratos, & ſuperbos, qui volunt pretium ſanguinis, eſſe datum tantum pro ſeipſis, Non ergo exultent, non ſuperbiant: pro *toto* dedit, quantũ dedit: *novit quid emerit, quia novit quanti emerit, & quanti dederit.* Vbi adhuc ex valore pretii dati, quod infinitum eſt, & proinde multò magis valens quam omnes homines, & ſinguli, infert quantitatem rei emptæ, quæ proinde limitanda non eſt ad aliquos, ſed ad omnes extendenda, & ſingulos, ut aliquo modo æquet ſuum pretium, quod eſt ſine ulla limitatione infinitum. Et ſane impropriiſſime hîc diceret Auguſtinus Chriſtum emiſſe totum orbem terrarum, ſi ſolam minimulam ejus particulam emiſſet, quales ſunt ſoli prædeſtinati, aut juſtificati, aut ſoli credentes in Deum: unde contra iſtam calumniam clare dicit ſub finem expoſitionis illius pſalmi: quod non partem orbis emit, ſed quod pro toto pretium dedit; æquans ibi omnes redemptos, omnibus in fine mundi judicandis, qui ſunt omnes, & ſinguli. nam exponens illum verſiculum hujus pſalmi ultimum: judicabit orbem terrarum in æquitate, ſic ait: *non partem, quia non partem emit* (quod tamen eſſet falſum, ſi ſolos prædeſtinatos, aut ſolos juſtificatos, aut ſolos credentes redemiſſet, cùm illi partem ſolam, eamque minimulam orbis terrarum particulam, potius quam partem conſtituant: unde & ſequitur) *totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit,* Vbi multitudinem judicandorum arguit ex multitudine redemptorum, quapropter dicendum eſſet, quod Chriſtus non judicaret omnes, & ſingulos: ſi non redemiſſet omnes, & ſingulos: at certum eſt quod omnes, & ſingulos judicabit: ergo & certum eſt quod omnes & ſingulos redemit ſecundum Auguſtinum, qui ex hoc illud colligit.

Et libro 2. de Symbolo ad Cathecum. c. 6. loquens de Iuda proditore, qui ſane, ſi quis redemptus dici non debuit redemptione ſufficienti ad ſalutem æternam, certe iſte non debuit, cùm fuerit obduratiſſimus peccator, & ut talis vitam ſuam finierit: & tamen dicit Auguſtinus, quod *à Chriſto redimi debuit*, ſcilicet efficaciter ad vitam æternam, ſi gratiis ſibi datis bene uſus fuiſſet: quod ſi pro ſalute ęterna tam impij deicidæ, & tam atrociter obdurati peccatoris mortuus eſt Chriſtus, licet iſta redemptio non habuerit in eo effectum, cùm damnatus in æternum ſit; quis audeat dicere illum non eſſe mortuum pro aliis impiis, & eos non eſſe ab eo redimendos efficaciter quoad vitam æternam, ſi gratiis ſibi datis bene uti velint, licet ex propria illorum malitia, ſeu negligentia ſua ſalutarem in eis non habeant effectũm: certe qui hoc diceret, valde Auguſtino contradiceret.

Et tandem tractatu de tempore barbarico cap. 7. in fine, loquens de latrone illo ſalvato, qui propter ſcelera ſua crucifixus ſimul fuerat cum Chriſto innocente ſic ait: oſtendit enim latro *quò debeant omnes intrare* (ſcilicet in regnum cœlorum, ſed qui ſunt illi omnes, certe omnes, & ſinguli, nemine prorſus excepto, ſi nempe velint gratiis ſibi datis bene uti, ut ſequitur) *neminem* ſuo exemplo docuit deſperari.

Ecce ergo neminem excipit, omnes, & ſingulos docuit, quò debeant intrare, quod debeant ſperare, quod valde inutiliter doceret, atque oſtenderet, ſi non omnes, & ſinguli haberent gratias ſufficientes, quibus poſſent in illud regnum intrare, & ſoli quidam illas haberent. Vnde eſt, quod capite 8. ſequente, non vult quemquam excipi à redemptione æterna Chriſti, dicens: *integro* Chriſto *integrum* aſſignate prædium: quod eſt genus humanum: quaſi diceret, nolite quemquam ſeparare à Chriſto per privationem gratiæ ad ſalutem neceſſariæ, cum ſint omnes, & ſinguli, illius prædium, & illius hæreditas, à qua ſi aliquid tollitis, injuriam ei facitis, & prędium ejus imminuitis, quod eſſe debet integrum, & complecti totum genus humanum: at vero quis dicat iſtud prędium, ſeu iſtud genus humanum, eſſe, ſeu aſſignari Chriſto integrum, ſi ab eo excipiantur omnes reprobi, qui numquam fidem receperunt, quorum multitudo longiſſime ſuperat omnem multitudinem credentium, multo magis prædeſtinatorum, quos ſolos volunt adverſarij à Chriſto eſſe redemptos. Ex his ergo manifeſtum eſt, Chriſtum omnes, & ſingulos redemiſſe, eum pro omnibus, & ſingulis mortuum eſſe, ut habeant vitam ęternam, ſi gratiis quas eis morte ſua promeruit bene uti ipſi velint.

§. PRIMVS.

Reſpondetur quibuſdam objectionibus contra noſtram probationem factis, & primò iis quæ ſumuntur ex Proſpero.

In probatione 1.

VErum contra hęc, multa objiciunt adverſarij, quorum aliqua ſolùm continent doctrinam à nobis jam ſupra confutatam de Semipelagianorum ſenſu quoad illum locum Apoſtoli quo dicebat Apoſtolus: Deum velle omnes ſalvos fieri: quaſi videlicet id intellexiſſent in ſenſu noſtro: ſcilicet, ita ut Deus vellet dare gratiam omnibus ſufficientem ad ſalutem, quod ſupra late confutatum eſt, ubi oſtendimus ex ipſomet Auguſtino, quod talem ipſi gratiam omnino rejicerent, & merum lib. arbitrium ſufficiens aſtruerent, quod longiſſime à noſtro ſenſu diſſitum eſt.

Vide etiam tractatum noſtrum de indifferẽti &c parte 1. ſect. 5. § 1. 0. & ſequentibus.

Deinde objiciunt adverſarij aliqua ex Proſpero, quæ non ſunt contra gratiam ſufficientem, ut pro omnibus, & ſingulis, ſed contra gratiam efficacem, ut iiſdem omnibus, & ſingulis datam, ut patet ex illis ipſis locis: quorum primus talis eſt: quod ad magnitudinem, & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, *ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi* (hoc non eſt contra gratiam communem, & univerſalem pro ſingulis, ſed potius pro ipſa, ut per ſe manifeſtum eſt) ſed qui hoc ſæculum *ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis ſacramento pertranſeunt*, redemptionis alieni ſunt (hoc, eſt contra gratiam communem: ſed non eſt de gratia ſufficiente, ſed de gratia efficaci, ut patet, cùm loquatur de iis qui fidem Chriſti non

Proſper in reſpõſione ad object. 1. vincent.

Putarunt adverſarij, quod ubi commen-

datur solùm potentia, virtus, & magnitudo preti passionis Christi, ut pro omnibus, & singulis: ibi tantum indicatur potentia sterilis, & non influens aliquid in aliud: sed illi valde hallucinantur, cùm illa potentia non aliter commendetur; quam ut influens aliquid, non quidem uniforme, sed diversum: scilicet, sufficiens, vel efficax ad salutem: ut patet cùm illa passio vocetur pretium, & redemptio, quæ significant aliquid actuale, & non mere potentiale. Non enim v. g. pecunia proprie dicitur pretium, nisi actu impensa sit, aut data sit ad emendum, aut redimendum aliquid, nec illa potest dici redemptio captivorum, nisi ipsi redempti sint actu per eam, aut data sit eis ad redimendos se si velint: quod etiam adverterunt aliqui ex adversariis dicentes: quod ipsa phrasis, qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in usum, ac liberationem captivorum offerri, ac dirigi, quæ oblatio, ac directio Christi, inanis esse non potest: & quia alioquin etiam pro omnibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus sufficiens est. Ex quo patet, quod, ut diximus, illa potentia passionis Christi, non est mere objectiva, ut volebant adversarii, sed collativa auxilij, vel efficacis, vel saltem sufficientis ad salutem.

habuerunt (quod solum indicat negationem gratiæ efficacis) non vero loquatur de iis, qui eam habere non potuerunt, quod indicaret negationem gratiæ sufficientis) cùm ergo propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, *recte omnes dicantur redempti* (neque hoc est contra gratiam communem, sed potius pro ipsa, ut clarum est) & tamen *non omnes* à captivitate *sunt eruti* (hoc est contra gratiam communem, sed non spectat ad gratiam sufficientẽ, sed ad gratiã efficacem, cùm loquatur ibi solùm de iis, qui actu nõ sunt eruti, quod indicat negationem solius gratiæ efficacis, non vero sufficientis) redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, *de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi* (hoc est contra gratiam communem, sed non spectat gratiam sufficientem, sed tantum efficacem, cùm sit de conversis actualiter, non verò de convertendis, quasi alij non potuissent converti, quam ij qui conversi sunt, quod esset contra gratiam sufficientem. Et Paulo infra subjicit) poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, *ut omnibus prosit* (hoc non est contra gratiam communem, sed potius pro ipsa) sed *si non bibitur, non medetur*: hoc, est contra gratiam communem, sed non est de gratia sufficiente, sed tantum de efficaci, cùm loquatur solùm de actu, non vero de posse, ut necessarium esset, ad hoc ut esset contra gratiam sufficientem: Similia sunt, quæ habet idem Prosper in responsione ad 9. object. gall. ubi ait: cùm rectissimè dicatur salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem (hoc non est contra gratiam communem, sed potius pro ipsa est) potest tamen dici, pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius *profuit*. Hoc est contra gratiã communem, sed non est de gratia sufficiente, sed de gratia efficaci cum sit tantùm de fructu accepto passionis Christi, non vero de accipiendo, quasi non potuerint eum accipere. Similiter intelligendus est is locus qui sequitur ex sententia nona in eadem responsione, ubi ait D. Prosper: qui

dicit quod non pro totius mundi redemptione salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem (supple respicit: hoc non est contra gratiam communem, sed potius pro ipsa) sed ad infidelium respicit partem (hoc est contra gratiam communem, sed audi quomodo) cùm sanguis Dñi nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit, à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, *redimi noluerunt*, aut post redemptionē adeamdem sunt servitutem *reversi*. Ubi clare vides sermonē non esse de gratia suffic. sed de gratia efficaci, cùm ibi loquatur Prosper de actu, ut patet ex his verbis, redimi noluerunt, & ad eamdem servitutem reversi sunt. Non vero de posse; Cùm non dicat: quod non potuerunt velle, aut non potuērunt reverti, quomodo necesse esset dicere, ad hoc ut ille textus esset contra gratiam sufficientem ut communem. Imo vero ibi est aliquid quod est pro gratia sufficiente ut omnibus, & singulis data; quid enim aliud hæc significant verba: redimi noluerunt: nisi quod redimi potuerunt, scilicet quoad vitam æternam, si voluissent: ex quo manifestum est, quod habuerunt gratiam sufficientem ad eripiendos se à captivitate diaboli, si voluissent, juxta sensum Augustini libro 2. de actis cum Fœlice Manichæo cap. 6. ubi ait *qui non vult*, servare legem (aut aliquid ejusmodi) *in potestate eius est si velit*. Unde cùm isti infideles, qui actu non redempti sunt, noluerint redimi, seu converti ad Christum, manifestum est, quod id potuerunt facere si voluissent, & per hoc quod habuerunt gratiam sufficientem ad conversionem suam, & ad salutem suam æternam faciendam si voluissent, sed noluerunt, & ideo damnati sunt. Quod si tales non conversi habuerunt talem gratiam, ergo omnes, & singuli habent eam, cùm nullomodo dubitari possit de aliis, qui sunt actu conversi, & salvati, cùm non nisi per gratiam conversi sint, & salvati. Ecce ergo unum textum ab adversariis ipsis adductum ex Prospero, maxime contrarium ipsis, cùm clare astruat gratiam sufficientem pro omnibus, & singulis hominibus, & solùm excludat efficacem, ut dandam omnibus, & singulis hominibus: quod omnino subruit eorum machinam, per quam sub specie gratiæ efficacis, quæ non omnibus, & singulis datur secundum Prosperum, & catholicos, volebant adferre destructionem gratię sufficientis, ut omnibus, & singulis dandę, quasi eam Prosper negasset, quod ita contrarium est Prosperi sensui, & sententię, ut eam ipsam ibi asserat, ubi dicunt, eum illam negare: cùm ut vidimus, expresse ibi dicat quod qui actu non redempti sunt, & erepti à captivitate, ipsi *redimi noluerunt*: quod nihil aliud significat in sensu Augustini, & in schola ejus, nisi quod potuerunt redimi, & per hoc gratiam sufficientem ad id habuerunt, sed prę sua malitia aut negligentia sua, ea uti noluerunt: quod certe non est negare, sed

Nolle juxta Augustinum & discipulos ejus supponit posse.

Vide eumdem Prosperum lib. 2. de vocat Gent. c. 16. ubi expresse ait initio Nulla igitur ratio dubitandi est: *esse Christū Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, à quorum numero si aliquis liber inventus est* (id est si aliquis inventus sit, qui non sit peccator, qualem bene sciebat neminem esse) *non est pro omnibus mortuus Christus*: sed *prorsus* pro omnibus mortuus est Christus &c. à qua morte ut pro omnibus passa neminem prorsus excipit, & proinde indicat mortuum esse Christum pro singulis.

potius asserere gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam ad salutem suam comparandam, cum per hæc asseratur, fuisse etiam illam in reprobis, de quibus solis fieri aliqua difficultas potuisset. Unde si aliquando Prosper hîc, aut alibi, aut Augustinus, videntur innuere contrarium, diligenter expendenda sunt eorum verba, & non temere judicandum: sic cum dicunt aliquando, mortuum esse Christum pro generibus singulorum, pro quo multos locos adducunt adversarij. ex Augustino, non tamen ex hoc sequitur quod negent Christum esse mortuum pro singulis generum, sed ex duobus veris, aliquando unum asserunt, aliquando alterum, sine prejudicio alterutrius; cujus clarum hoc signum est, quod nullam in illis videas particulam negativam, quæ rejiciat alterutrum: vel saltem explicandi sunt de morte Christi, ut efficaci ad salutem ęternam, quæ ut sic non pertinet ad singulos, sed tantum ad aliquos, de qua sunt mox allati textus D. Prosperi quos perperam intellexerant adversarij de morte Christi ut sufficienti pro aliquibus tantum, & non pro omnibus, & singulis.

§. II.

Solvuntur objectiones sumptæ ex Augustino contra mortem Christi pro omnibus & singulis hominibus.

SEd contra hæc vehementer instant adversarij, & dicunt: quod in universis Augustini operibus, nullus locus est, ubi doceat, Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium, esse propitiationem, vel pro illis se dedisse redemptionem: imo & asserunt, Augustinum non semel significasse contrarium, scilicet Christum pro hujusmodi infidelibus non esse mortuum. Sed præterquam quod non est necesse demonstrare in operibus Augustini, quod dixerit expresse Christum esse mortuum pro hujusmodi infidelibus, cùm non omnia singularia docuerit, aut docere potuerit Augustinus: cùm sint infinita, & innumera: satis id indicavit supra, quando cum Apostolo, & etiam ex se solo, docuit, Christum esse pro omnibus, & singulis mortuum, in quibus sine dubio sunt prædicti infideles, qui magnam hominum partem, imo vero majorem, aut maximam constituunt. Ex quo manifeste convincuntur adversarij esse Augustino contrarij, qui etiam in uno locorum ab ipsis citatorum, expresse negavit Christum solam aliquam orbis terræ partem redemisse, ut vidimus: ipsi vero è contra volunt, ipsum Augustinum docuisse, Christum solam aliquam hominum partem emisse, seu redemisse, eamque minimam quæ est fidelium, seu credentium: alteram autem longe majorem, quæ est infidelium in infidelitate defunctorum, non emisse, nec redemisse, nec pro ea mortuum esse, quo nihil falsius, aut infidelius dicere poterant de mente Augustini, cùm ei directe attribuant quod negavit, & de eo negent quod ipse asseruit: sed quia de his iterum recurret sermo

inferius ; cùm de infidelibus in particulari loquemur, videnda sunt ea, in quibus dicunt Augustinum contrarium docuisse sententiæ quam tenemus.

Et primò, Id volunt probare ex quodam tractatu Augustini in Joannem quem non citant in specie: ubi, inquiunt, hęc habentur: qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, nec pro illo mortuus est Christus. Primo recte potest dici, quod id ita intelligit Augustinus, quod Christus non sit pro illo negatore mortuus secundum mentem istius negatoris: nam cùm iste negator putarit, Christum non fuisse hominem, secundum quem tantum potuit mori: consequens est, quod putavit Christum non esse pro illo mortuum, & proinde bene dixit Augustinus, quod pro illo non est mortuus secundum sensum illius licet secundum verum sensum, qui tenet Christum fuisse Deum, & hominem, & pro illo mortuus sit, & pro cęteris peccatoribus: sic loquitur tract. 28. in Joannem de quodam negante quod, verba Christi essent spiritus & vita, prout dicebat Christus: hæc, inquit Augustinus, intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus, & vita sunt; sed tibi non sunt.

2, Dico quod non distinguit ibi Augustinus de qua morte Christi loquatur, an de morte ejus, ut efficaci, an vero ut solùm sufficienti ad salutem: nam si loquatur ibi Augustinus de morte Christi, ut efficaci, nihil habent contra nos adversarij, quia etiam concedimus cum eis talem mortem non esse pro omnibus, & singulis hominibus: si autem dicant ibi sermonem esse de morte Christi, ut sufficiente, de qua controversia nobis est, respondemus quod id debebant probare, & non gratis id asserere: quod si gratis volunt id dicere, & nos gratis negabimus.

3, Dico satis patere ex materia indicata in illo loco, quæ est de hęreticis, nequidem ibi loqui Augustinum de morte Christi ut ad salutem æternam, de qua sola hîc agimus: nam quot hæretici negarunt Christum esse hominem, qui postea conversi fuerunt, & postea salvati, & quot fuerunt qui negarunt etiam eum esse Deum, de quibus tamen nefas est dicere, quod damnati sunt, cùm constet multos eorum fuisse conversos, & deinde sanctos, quos ut tales veneratur Ecclesia, qui tamen non minus peccaverant negando Christum esse Deum, quam ij qui negarant eum esse hominem: & proinde manifestum est, quod cum dixit Augustinus de hujusmodi negatoribus, quod Christus non est mortuus pro eis, intelligendus est quoad effectum evitandi illud peccatum, pro quo non est mortuus Christus efficaciter, quandoquidem commissum est, quod non commissum fuisset, si sic pro eo mortuus fuisset: non autem, quòd non est mortuus pro æterna salute eorum, quandoquidem multi eorum aut similium actu consecuti sunt salutem æternam post commissionem talis peccati, quod esset contra conclusionem ejus. Quod si dicant Augustinum id intelligere de peccato finali, seu in quo perseveratum est. Respondeo quod ut id gratis asseritur, ita & gratis

negatur: aliud enim est peccare, & aliud in peccato perseverare: primum ibi dixit Augustinus, non secundum: unde & optime negatum est.

Nec vero magis urget textus alius Augustini, quem adducunt adversarij ex tract. 55. in Joannem, ubi dicit Augustinus: quod tota illa passio (Christi) nostra purgatio est. Passurus igitur exitia, præmisit obsequia, non solum eis, pro quibus subiturus erat mortem, sed etiam illi, qui fuerat eum traditurus ad mortem. Ubi videtur Augustinus negare, Christum esse pro Iuda mortuum, sed pro aliis tantum Apostolis.

Respondeo id intelligi de morte efficaci ad salutem, non vero de sufficienti: tum ob generalem nostram rationem, qua supra vidimus ex Augustino, Christum esse pro omnibus, & singulis mortuum quantum ad sufficientiam conferendarum eis gratiarum, & proinde debuisse esse etiam ita mortuum pro Iuda. Sed etiam quia supra vidimus, id expresse, & formaliter ab Augustino assertum, cùm dixit libro 2. de Symbolo ad Catechum. c. 8. quid egit iniquitas Iudæ, qui eum vendidit, *à quo redimi debuit*. Ubi clare indicat, Christum eum esse redempturum per mortem ejus futuram, si redimi voluisset, & non per iniquitatem suam ei obstitisset, non consentiendo, sed potius resistendo gratiis sibi concessis. Quicquid sit, cùm non distinguat in locó supra objecto Augustinus; an loquatur de morte efficaci, an vero de sufficienti ad salutem; non est potior ratio, cur intelligatur de morte, ut sufficienti secundum interpretationem adversariorum, quam de morte, ut efficaci secundum nostram expositionem: imo vero longe rationabilius est eum intelligere de morte, ut efficaci, quam de sufficienti, cùm hujusce nostræ interpretationis aliquas rationes afferamus, ipsi autem nullas afferant suæ.

Quantum autem ad illum locum, cujus nec librum, nec tractatum citant adversarij, ubi dicit Augustinus: omnes fecit oves suas, pro quibus est omnibus passus, quia ut ipse pro omnibus pateretur, ovis est factus.

Respondeo id intelligi de omnibus omnino hominibus, tam infidelibus, quam fidelibus cùm nullas ibi peculiares oves assignet, sed omnes homines comprehendat. Nam si per omnes solùm intellexisset aliquos, non debebat repetere eamdem vocem in prædicato, sed sufficiebat dicere: omnes fecit oves suas pro quibus est passus, per hoc aliquo modo indicans illos solos fecisse oves, pro quibus passus est, & non alios: sed quia per, omnes, intelligebat omnes omnino homines, & non tantum eorum aliquos, aut multos, ideo repetiit eamdem vocem, dicens: *omnes* fecit suas oves, pro quibus est *omnibus* passus. Quod etiã hinc confirmatur, quod ibi per oves, intelligit homines simpliciter, quod patet ex hoc quod dicit Christum esse ovem factum, ut pro omnibus pateretur: at scimus scripturam dicere Christum esse hominem factum, ut sic pateretur, ergo quod scriptura dicit homi-

nem, ipse dixit ovem, sumens ovem pro homine seu vocans homines oves, ut sub summo pastore Deo gubernandas: sic ergo dicendum est secundum sensum Augustini: quod Christus fecit omnes, & singulos homines, seu fideles, seu infideles suas oves, moriendo pro ipsis, & per mortem suam obtinendo eis gratias, quæ vera sunt pabula animarum, quibus ipsæ utendo possunt vivere in æternum, & quibus non utendo moriuntur, & pereunt, & sunt oves steriles, & infructuosæ, quales vocat Judæos incredulos, & vere infideles, in peccato suo morientes serm. 108. de temp. circa medium: & sunt oves indisciplinatæ usque ad finem, quales vocat Schismaticos, & Hæreticos tract. 47. in Joannem ante med. & tandem dici posset; quod si loquatur ibi Augustinus tantum de aliquibus, & non de singulis, quod loquitur de passione, & morte Christi, ut efficaci non vero de sufficiente, de qua sola loquimur: cùm ibi non specificet sub qua ratione loquatur de morte Christi, & impossibile sit id cognoscere ex antecedentibus, cùm non citetur liber, aut tractatus, ubi est locus ille. Ex quo tractatu nobis tandem objiciunt hunc textum: Fecit ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium. Respondeo 1. ibi Augustinum non loqui de morte Christi, ut pro omnibus, sed ut pro iis quibus tunc loquebatur, scilicet Christianis suis auditoribus, quibus ait: quia oves Christi estis, sanguine Christi comparati estis, agnoscitis pretium vestrum, quod non à me datur, sed per me prædicatur. Ille quippe emit (scilicet, vos oves suas) qui pretiosum sanguinem fudit: pretiosus sanguis est illius sine peccato: fecit tamen ipse etiam suorum (scilicet vestrorum aut similium) sanguinem pretiosum pro quibus dedit sanguinis pretium. Quod omnino est de morte Christi ut efficaci, & ut pro Christianis quibus loquebatur, non vero de ea ut sufficienti, cum non ibi loqueretur de morte Christi secundum se, & secundum fructuum suorum multitudinem, seu extensionem, sed secundum ea quæ contulit specialiter Christianis, seu his quibus loquebatur, qui erant Christiani. Quod si tamen vis ista intelligere de morte Christi ut sufficiente, recte etiam de ea possunt intelligi, sine præjudicio nostræ opinionis: sensus enim erit, quod sanguinem seu vitam etiam infidelium fecit pretiosam, cum ei contulerit tale pretium, unde potuerunt emere regnum cœlorum, scilicet gratias sufficientes, quibus si bene usi fuissent, obtinuissent regnum cœlorum, quo nihil pretiosius esse potest. Et sic nihil ibi est contra mortem Christi, ut sufficientem pro omnibus, & singulis, sive intelligas textum illum in 1. sive in 2. sensu, contra opinionem objicientium.

Et revera tam infirma sunt illa testimonia Augustini contra nostram sententiam, ut illis diffisi adversarij confugiant ad locos Script. sacræ, qui sunt extra propositum nostrum, & suum quod solùm est quærere, quid senserit Augustinus, & non quid aliunde tenendum sit: & tamen nihil habent ex locis illis quod faveat contentioni suæ, cum

so-

solum indicent illi loci, Christum esse mortuum pro fidelibus, non vero negent esse etiam mortuum pro infidelibus: imo & possent exponi de ipsis infidelibus, & de omnibus omnino hominibus: quid enim hoc significat, cùm dicitur Christus mortuus pro populo suo, & pro ovibus suis, nisi quia ipse mortuus est pro omnibus omnino hominibus, qui sunt sui per creationem, & quorum meruit per passionem, & mortem suam esse regem, & pastorem. Sed ista sunt extra metas Augustini ut & ea quæ afferunt ex quodam tractatu cui titulu, Ecclesia Lugdunensis, quę nihil spectant ad Augustinum cùm sint tantum quędam placita aliquorum particularium in unum convenientium, ut ait Duvallius in commentario istius tractatus: unde ea quæ habent adversarij ex illo tractatu, & ex conciliǫ Valentino, omittentes ut non spectantia ad nostrum propositum, quod est solùm hîc attendere ad ea quæ habet Augûstinus, & illius discipuli de gratia sufficiente, & necessaria ad salutem, transimus ad ea quæ habent ex Augustino ut videamus num alicubi negaverit Augustinus, Christum esse mortuum pro aliquibus, quibus noluerit dare gratias sufficientes ad salutem suam consequendam, ut asserunt adversarij.

In bibliotheca patrum tomi 4. parte 2.

Idem Duvallius ibidem explicat locum Valentini concilij, de morte Christi ut efficaci, nô vero ut sufficiente, de qua solà, & ut tali, hîc agimus.

§. III.

Aliæ solvuntur objectiones, sumptæ ex Augustino contra mortem Christi pro omnibus, et singulis hominibus.

PRimo proponunt locum libri 6. contra Iul. c. 15. ubi dicit Augustinus. Illi ergo vivunt, pro quibus, ut vivant, mortuus est, qui vivebat. Quod apertius inquiunt ita dic tur: illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est, inter mortuos liber. Vel sic multo apertius: illi sunt liberi à peccato, pro quibus mortuus est, qui numquam fuerat in peccato.

Respondeo, hunc locum non esse ad propositum, solùm enim ibi loquitur Augustinus de morte Christi, prout actu prodest, non vero prout prodesse potest, de quo solo loquimur: quod clare patet ex sequentibus, ubi se explicat Augustinus dicens: & cùm semel sit mortuus, tamen pro unoquoque *tunc moritur, quando in ejus morte, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur* (quid est, tunc moritur Christus, quando homo baptizatur, nisi quod tunc prodest homini mors ejus, & non antea: quod & mox explicat in terminis Augustinus dicens) id est *tunc ei proderit mors ejus*, qui fuit sine peccato, *quando in eius morte baptizatus, mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato.* Quo nihil clarius dici poterat ad ostendendum quod loquitur ibi dę morte Christi ut actu prodest, non vero ut prodesse potest, de quo solo disputamus.

Quantum autem ad textum sequentem ex Enchir. c. 103. ubi dicit Augustinus. Omnipotens autem Deus, velle inaniter non potest, quodcumque voluerit. Respondeo, hoc verum esse quando volun-

tas ejus est efficax, & nihil aliunde prærequirit ad effectum ponendum, qualis est illa voluntas, de qua ibi loquitur Augustinus, cui subservit omnipotentia sua, de qua voluntate, ideo dicit: quod *omnipotens* Deus velle inaniter non potest, quodcumque voluerit. Tunc enim certum est quod nihil inaniter vult, & quod semper voluntas ejus habet effectum: at vero quando voluntas ejus non est efficax, sed tantum sufficiens, & conditionata: tunc nihil impedit quin frustra aliquid velit quoad effectum, licet non frustra etiam tunc secundum intentionem ejus: quod & accidit in casu nostro: ubi quidem voluntas illa frustratur effectu salutis in plurimis hominibus, sed non frustratur intentione sua, quæ est ut inexcusabiles sint homines de damnatione sua, quæ hinc sequitur, cùm habuerint media omnia necessaria, & sufficientia ad salutem suam efficiendam, si voluissent: in quo nihil est contra omnipotentem voluntatem divinam, de qua ibi loquitur Augustinus, cùm id voluntariè permittat, & cùm ideo solùm dederit auxilium indifferens, & non determinans ad effectum, ut esset homini liberũ, illum effectũ ponere, vel non ponere prout vellet. Quem sensum clare admittit ipse August. in præcedentibus capitibus, libenter ibi confitens quod aliquid fit ab homine contra talem voluntatem Dei, seu contra id quod sic tantummodo Deus vult: quia tunc etiam ipse Deus facit quod vult, scilicet secundum intentionem suam ut supra explicatum est. Sic enim ait singulariter capite 100. initio: Hęc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cum angelica, & humana creatura peccasset, id est *non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset*, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod *creator noluit*, *impleret ipse quod voluit.* Et infra: quantum enim ad ipsos attinet, *quod Deus noluit fecerunt*, quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullomodo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod *contra voluntatem Dei fecerunt*, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro, & ineffabili modo *non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens sinit, sed volens.* Quod est idipsum quod dicebamus: ex quo patet quam absurde collegerint adversarij ex supra allato textu nobis ab eis objecto, dicentes: quod proderit illi necessario Christi sanguis, & mors, pro quo sanguinem illũ fudit, & mortuus fuit: Et cui nullomodo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit. Hoc enim solùm verum est de voluntate Dei efficaci de qua ibi loquitur Augustinus quam habuit Deus pro salvandis aliquibus, non vero de sufficienti de qua loquimur, & quam diximus Deum habuisse pro omnibus, & singulis hominibus, hæc enim, ut prędictum est, potest frustrari suo effectu, & proinde non est necesse, quod prosit iis omnibus, quibus vult aliquod bonum, sed sufficit quod prodesse possit omnibus, per gratias scilicet sufficientes, iis omnibus præstitas, quibus illud bonum consequi possint. Ex quo manifestum

est, quod locus supra objectus, nihil obest nobis, seu nostræ probationi, cùm sit de sola voluntate efficaci omnipotentis Dei, non vero de sufficienti; de qua sola agimus. Imo non est ad propositum, cùm non sit de sola voluntate Dei influente, sed etiam sinente, de qua nullomodo hîc agimus.

Post hæc multos adducunt locos adversarij in quibus ea quæ scriptura dicit generaliter de bona voluntate Dei ad omnes, explicat Augustinus de aliquibus. Respondeo 1. quod fortè intellexit locos illos Augustinus de morte Christi, ut efficaci, & non ut solùm sufficienti. Quo casu mirum non est, quod explicet illos textus de aliquibus, & non de omnibus, cùm mors Christi sic sumpta, sit tantum pro aliquibus, & non pro omnibus, & singulis hominibus, sed relege illos alios locos scripturæ, quos initio hujus probationis adduximus, & videbis eos clare, & nitide explicatos ab Augustino de omnibus, & singulis hominibus, ut pro quibus mortuus est Christus, & non tantum de aliquibus: ut per hoc agnoscas quod diversimode explicuit Augustinus generales locos scripturæ, qui sunt de morte Christi sine præjudicio suæ opinionis de bona voluntate, seu de morte Christi pro omnibus, & singulis hominibus, cùm aliquando explicet aliquos eorum de aliquibus hominibus, non excludendo cæteros: aliquando vero de omnibus, & singulis hominibus. Unde & respondeo 2. quod nihil habent contra nos ex prædictis locis adversarij, quia non sunt exclusivi, sed solùm abstractivi: nam licet illos locos explicet August. de aliquibus hominibus, nullam tamen ibi videas particulam exclusivam, qua cæteros omnes excludat: unde non bene ex his infertur quod excludat aliquos. Licet enim explicet illos locos de aliquibus, non tamen propter hoc negat intelligi posse de omnibus: sed ostendit bene intelligi de aliquibus, id quod intelligi potest de omnibus, cùm aliqui verè contineantur in omnibus.

Unde bene videntes adversarij hanc responsionem esse sibi valde contrariam, cito eunt obviam dicentes: quod ne quis forte suspicaretur, ita phrases hujusmodi affirmativas, de prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alij justi, qui de beato illo numero non sunt, non excludantur: non uno in loco invertit istiusmodi locutiones, ita ut eas negative efferendo, dicat Christum pro cæteris, qui non fuerint prædestinati, non esse mortuum, non orasse, non semetipsum dedisse redemptionem. Primus autem locus quem adducunt, ut id probent, est ex Epistola 102. ad Evodium: ubi dicit Augustinus: Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus.

Respondeo, locum illum non esse de morte Christi quoad omnes suos fructus, de quo solo hîc agimus, sed tantum quoad aliquos, eosque rariores, qui sunt salvare hominem in æternum, cum nequidem sit de fructu justificationis, quem mors Christi operatur in iis qui non perseverant, nec salvantur, sed tantum de illis quæ operatur in salvandis: unde hic locus non est ad propositum, cum non tangat subje-

ctum, qua parte controvertitur: id est quoad generalitatem fructuum passionis, & mortis Christi. Nam si locus iste sit tantum de aliquo fructu in particulari, & non de omnibus, & singulis, quos habuimus ex morte Christi; quomodo ex eo elicietur, quod nullus sit alius fructus praeter illum quem exponit. At certum est quod non exponit omnes fructus mortis Christi, quandoquidem non loquitur de illo qui est certus, & indubitatus, scilicet de justificatione non perseveraturorum, seu non salvandorum: recte enim potest dici, quod sicut ille effectus certus, & indubitatus omittitur, & non negatur, ita & alius de quo nobis quaestio est, scilicet gratia sufficiens pro infidelibus, omittitur, & non negatur. Quod autem ibi solum loquatur de perseverantibus, patet ex antecedentibus his verbis Et multi in cruce Christi gloriantes, *& ab eadem via non recedentes*, etiamsi ista, quae subtilissime differuntur, ignorent, quia non perit ex illis (scilicet perseverantibus in gloriatione crucis Christi) pro quibus mortuus est, ad eamdem perveniunt haereditatem, veritatem, charitatem id est ad stabilem, certamque faelicitatem. Ubi vides quod solùm loquitur de morte Christi, ut efficaci ad salutem aeternam perseveraturorum, non vero de aliis ejus fructibus. Quod ut facilius percipias, resolvamus propositionem in diversos, quos habere potest, sensus. Nam vel sensus est: non perit unus ex illis omnibus, pro quibus Christus mortuus est. Vel sic: non perit unus ex illis particularibus, pro quibus ad hoc mortuus est efficaciter Christus, ut ipsi non pereant. Si primum sensum eligas, falsum dicis, falsum enim est quod non pereat ex illis omnibus pro quibus mortuus est Christus, cùm certum sit, quod Christus mortuus sit pro justificatis omnibus (ut supra dixit Augustinus ab adversariis relatus, & ipsi fatentur adversarij) & tamen multi eorum pereunt. Quod si secundum sensum admittas: verum quidem dicis, sed nihil hinc habes contra nos: nam cum tunc illa propositio non respiciat omnes omnino fructus passionis, & mortis Christi, sed tantum aliquos: non bene infertur ex ea, quod fructus ibi omissus, non sit verus istius mortis fructus, quandoquidem illa propositio non habet quod includat omnes fructus illius, sed tantum aliquos peculiares, inter quos quidem fatemur quod gratia sufficiens pro infidelibus in infidelitate morientibus non continetur, sed continetur inter alios. Et sic nihil concludit ille textus contra nos, quia licet habeat exclusivam, non est tamen in ea materia, de qua loquimur, quae est de generalitate omnium omnino fructum passionis Christi (cùm nequidem includatur in ea justificatio non perseveraturorum, qui tamen est certissimus, & indubitatissimus fructus passionis illius) sed est tantum in materia quadam particulari aliquorum fructum excellentissimorum, inter quos fatemur non numerari gratiam sufficientem pro infidelibus in infidelitate morientibus, sed numeratur inter alios minoris notae, inter quos & numeratur justificatio non perseveraturorum, qui certissimus est effectus passionis, & mortis Christi pro omnibus.

Libro de Nat. & Gr. c. 53 in fine dicit Augustinus: quod qui nihil dicit de aliqua re, potest putari hoc sentire, quod veritas habet circa illam rem, sed illud non dixisse, quia non ubique omnia dicenda sunt. Quod valde notandū est pro multis locis similibus.

Quantum autem ad illum textum ex serm. 8. Parisiensium ubi ait Augustinus. Etsi laniatur caro, etsi laceratur, quando perit qui sanguine Christi redemptus est; potens homo potest perdere quod emit auro suo, & Christus perdit quod emit sanguine suo. Dico illum textum esse intelligendum secundum comparationem ibi factam: nam ut homo potens, & dives, non potest contra voluntatem suam perdere quod emit auro suo, ita Christus non potest contra voluntatem suam perdere quem emit sanguine suo. Sed ut homo potens, & dives potest id perdere quod emit auro suo, si non efficaciter velit illud servare, ita & Christus potest perdere homines, quos emit sanguine suo, si non velit eos efficaciter servare, aut salvare, sed tantum sufficienter, ut dicimus de reprobis.

Diversimode Christus vocavit homines, suos, secundum Augustinum, aliquãdo propter fidem, ut hic: aliquãdo propter creationem, ut libro 1 ad Simpl. qu. 2. in hæc verba Ioãnis 11. In sua propria venit, & *sui* eum non receperũt: ubi quærẽs Augustinus quomodo id conveniat his quibus dixit Iesus: vos propterea non auditis, quia non estis ex Deo: sic ait: quomodo *sui* quomodo non ex Deo: nisi quia *illud dictum est de hominibus quos ipse Dominus fecerat*: illud de peccatoribus quos ipse Dominus arguebat.

§. IV.

Solvuntur objectiones, sumptæ ex Augustino de oratione Christi, quasi non fuerit facta pro omnibus, & singulis hominibus.

QUantum autem ad id quod dicunt Augustinum docuisse, Christum ita pro prędestinatis (ad gloriam, sic enim intelligunt adversarij) orasse, ut pro cæteris non oraverit, respondeo id apertissime esse falsum in doctrina Augustini: cùm tractatu 109. in Joann. circa initium, probet Christum orasse pro omnibus, & singulis qui crediderunt in eum, nam exponens ibi ista verba salvatoris. Non pro his tantum rogo, sed & pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me, sic ait: omnes etiam qui futuri erant (& quinam sunt illi, ecce) *quotquot* enim postea *crediderunt in eum*, per verbum Apostolorum sine dubio crediderunt, & donec veniat credituri sunt. Ecce ergo pro quibus tunc oravit Christus, pro omnibus scilicet credentibus, quotquot sunt, & erunt, quos ideo vocat suos, quia erant Christiani, & per baptismum ei addicti, & consecrati. Et paulo infra ait: non itaque hi tantum intelligendi sunt, quos ait in se credituros per verbum eorum, qui ipsos, cum in carne viverent, Apostolos audierunt, sed & post obitum eorum, & nos longe post nati per verbum eorum credidimus in Christum, quoniam ipsi, qui cum illo tunc fuerunt, quod ab illo audierunt, cæteris prędicaverunt, atque ita verbum eorum, ut etiam nos crederemus, ad nos usque pervenit, *ubicumque* est ejus Ecclesia, & perventurum est ad posteros *quicumque*, *ubicumque*, postea in eum *credituri sunt*. Ubi ista verba quotquot, quicumque, ubicumque, clare indicant omnes, & singulos credituros: at certum est, inter eos esse aliquos reprobos: ergo pro eis oravit Christus, & non pro solis prædestinatis ad gloriam, ut prætendunt adversarij. Idem habetur cap. 110. non longe ab initio, ubi exponens, pro quibus oravit Christus, ut omnes unum sint. Sic ait: isti omnes; quid est nisi mundus, non hostilis utique, sed *fidelis*, ecce non dicit Augustinus, quod

iste mundus sit prædestinatus, aut electus ad gloriam, sed fidelis. Falsum igitur est quod dicebant adversarij, Christum orasse solùm pro prædestinatis ad gloriam, & non pro reprobis, cùm oraverit pro omnibus, & singulis credituris, inter quos certum est quamplurimos reprobos reperiri: & hęc est doctrina quam Christus Augustino præformaverat, non eam quam dicunt adversarij, quę est de oratione Christi pro solis prædestinatis facta, ut patet ex verbis ipsius Christi supra relatis, quæ sunt de omnibus credituris, tam reprobis, quam aliis, & non de solis prædestinatis.

Nec vero cum Christus ait: non pro mundo rogo: intelligit de reprobato, & damnato ùt volunt adversarij, sed de mundi dilectoribus, ut ait D. Thomas in illum locum: & cùm addit Christus: sed pro his quos dedisti mihi: non intelligit prędestinatos ad gloriam, sed eos tantum quos dedit ei Deus in discipulos, & obedientes specialiter ut explicat ibidem D. Th. nec aliter etiam illa verba intellexit Augustinus ut patet ex tract. 107. in Joann. initio, ubi illa verba exponens ait: *mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi* (quod idem est, ac qui diligunt mundum, seu mundi dilectores ut dicebat D. Th.) & non sunt in ea sorte gratiæ (id est non ita gratificati sunt à Deo) ut ab illo eligantur ex mundo (id est ut ab eo seligantur, & secernantur ab aliis mundi dilectoribus per datam eis veram conversionem ad Deum) non itaque pro mundo (id est pro prędictis mundi dilectoribus, seu pro his qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, quamdiu sic volent vivere) sed pro eis quos illi pater dedit, rogare se dicit: per hoc enim, quod eos illi pater jam dedit, factum est, ut non pertineant ad hunc mundum, pro quo non rogat. Id est factum est, ut non sint de his qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, prout supra ipse explicavit. Ubi nihil video de reprobis, nec de prædestinatis ad gloriam: sed tantum de prædestinatis, & non prędestinatis ad gratiam, seu de omnibus bonis, qui per Dei gratiam, & per veram conversionem secernuntur à malis, & vivunt secundum justitiam qui non sunt omnes prædestinati ad gloriam, cùm aliqui eorum aliquando pervertantur: & de omnibus malis, qui vivunt secundum concupiscentiam, qui non sunt omnes reprobi, cum aliquando aliqui eorum convertantur: & sic nihil habent pro se adversarij ex hoc loco, cùm hic locus non sit de reprobis, & de prædestinatis ad gloriam, ut putabant adversarij, sed de aliis.

Ad id autem quod addunt dicentes, quod in alio tractatu in Joann. enucleans illum locum, quo Christus patrem rogando dicit [ut mundus credat, quia tu me misisti] & cum præcedente comparans: ecce qui dixerat [non pro mundo rogo] pro mundo rogat, ut credat, quoniam est mundus, de quo scriptum est [ne cum hoc mundo damnemur] pro isto mundo non rogat, neque enim quo sit prædestinatus ignorat: & est mundus de quo scriptum est [non enim venit filius hominis, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ip-

sum: unde & Apostolus [Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi] pro isto mundo rogat dicens [ut credat mundus, quia tu me misisti]

Respondeo neque hunc textum quicquam facere pro adversariis, seu pro eorum opinione, de oratione Christi facta pro solis prædestinatis, & non pro reprobis: nam si eis in aliquo faveret, maxime in his verbis: quoniam est mundus, de quo scriptum est: ne cum hoc mundo damnemur, pro isto mundo non rogat, neque enim quo sit prædestinatus ignorat. Nam cætera non sunt de reprobis, aut de prædestinatis ut sic, sed tantum de bonis, & malis: de bonis quidem, quos intelligit Augustinus per illum mundum, quem, ut inquit ex Apostolo, Deus sibi reconciliavit in Christo: id est à peccatis liberavit, & ei gratiam justificantem contulit: & de malis, quos intelligit Augustinus, per hunc alterum mundum, pro quo Christus non rogavit (oratione scilicet efficaci ad conversionem eorum)] quem, supra dixit, esse eos qui vivunt secundum concupiscentiam mundi: unde cum hęc non sint de reprobis, aut de prædestinatis ut sic; restat, ut si textus iste faveat in aliquo ipsis adversariis, sit in his prędictis verbis: quoniam est mundus de quo &c. Sed in his verbis nullomodo favet adversariis, licet multum fidant eorum efficaciæ ad probandum, Christi orationem non fuisse factam pro reprobis, ob hoc, quod putant per hæc verba indicari ab Augustino, ideo Christum non orasse pro illis, quia noverat illos esse reprobos, in quo proculdubio valde hallucinati sunt. Nam cum ibi supponant, ut & supponere debuerunt, istos prædestinatos ad mortem, pro quibus Christus non oravit, fuisse ad mortem prædestinatos *pro meritis eorum*, valde perperam existimarunt, ideo Christum non orasse pro ipsis, quia novit eos esse reprobos, seu prædestinatos ad mortem, cùm antequam id nosceret, certum esset, quod non oraret pro eis. Nam cum secundum eos isti reprobi, sint prædestinati ad mortem ob merita eorum mala, necessariò ante illam prædestinationem prævisa fuerunt mala eorum merita, & ante hæc mala merita prævisa fuit negatio gratiarum efficacium ad illa evitanda, & ante hanc gratiarum illarum negationem, prævisa fuit negatio orationis Christi pro eis, quandoquidem, si Christus orasset pro eis, habuissent illas gratias efficaces, cùm, secundum eos omnis Christi oratio sit efficax; quomodo ergo cognitio istius prædestinationis ad mortem, quæ supponit negationem orationis Christi pro istis reprobis, fuit causa, ut dicunt adversarij, cur Christus non oraverit pro eis, cùm jam certum esset, quod non oraret pro eis, antequam id videret: certe tam manifesta ibi est contradictio, ut adverti à quovis etiam minus docto facile possit.

Prædestinatio ad mortem, secundum Augustinũ, nihil aliud est, quam reprobatio positiva: unde supponit peccata prævisa.

§. QUINTUS.

Reliqua solvuntur objectiones de oratione Christi, quasi non esset facta pro omnibus, & singulis hominibus secundum Augustinum: ubi & aliquid aliud solvitur objectum ex Prospero.

SEd rationem addunt adversarij, & dicunt: quod vanum & stultum est pro eo irritando, vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto sancitum, & prædestinatum esse jam nosti: vanum etiam pro talibus salvandis seria voluntate pati, ac mori: vanum pro talibus à perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, ac sanguinem suum. Mortis enim, & sanguinis oblatio, est quoddam efficacissimum rogandi genus: certe fateor quod illud vanum est, si prædestinatio ad gloriam facta sit ante prævisa merita: si vero facta sit post prævisa merita ut alibi ostendimus, non est vanum, nec stultum sic orare, cum hac prædestinatio, sit ratione posterior istis orationibus, & proinde non debet illas impedire. Unde quando dicit Augstinus: pro isto mundo Christus non rogat, neque enim quò sit prædestinatus ignorat. Particula illa, enim, non habet vim causalis, sed potius consecutionis, & indicij, & habet eumdem sensum, quem habent ista verba scripturæ Joann 12. Judæi non credebant in Christum, *ut* sermo Isaiæ impleretur. Et *propterea* non poterant credere, *quia* iterum dixit Isaias, excęcavit &c. nam sicut prædictio Isaiæ, non fuit causa incredulitatis Judæorum, sed tantum indicium: ita & cognitio prædestinationis eorum ad mortem, pro quibus Christus non oravit, non fuit causa, cur Christus non oraverit pro eis, sed tantum fuit signum, quod non oraturus erat pro eis efficaciter, ut crederent, ea fide, quæ per dilectionem operatur usque in finem: quia si sic orasset pro eis, non fuissent prædestinati ad mortem, quæ fuit causata ab incredulitate eorum: supra enim ostendimus illam orationem Christi fuisse pro omnibus credituris: ex quo sequitur, quod illi, pro quibus fusa non fuit, non erant credituri, & per hoc in mortem æternam prædestinandi. Et sic, cognitio totalis istius prædestinationis, fuit signum, & indicium, quod illi comprehensi non fuerant in illa sua supradicta oratione, quæ erat pro omnibus credituris: sed hoc tamen non impedit, quod non aliàs oraverit sufficienter pro eis.

Quapropter dico: quod licet Christus in illa singulari oratione de qua loquimur non oraverit pro non credituris, sed pro solis credituris, ut vidimus, non tamen hinc sequitur, quod non aliàs pro istis non credituris oraverit, non quidem efficaciter, aliàs non amplius essent non credituri, sed tamen sufficienter, obtinendo eis gratias sufficientes, cum quibus si vellent, crederent, & salvarentur. Nec enim eumdem modum servavit Christus in orationibus suis, ut nec nos ipsi,

nec quivis alius cùm pro diversis temporibus diversa petantur, & pro diversis: unde aliquando oravit pro se solo Christus, ut cum dixit: pater si fieri potest, transeat à me calix iste: & hęc oratio fuit inefficax, & conditionata, ut patet ex hac conditionali, si, & ex his verbis quę sequuntur: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Aliquando pro solis crucifixoribus suis, ut cum dixit. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, & hæc oratio fuit efficax pro aliquibus, scilicet pro iis qui actu conversi sunt, & inefficax pro aliis. Aliquando pro solis credituris, ut supra explicatum est, quæ fuit efficax pro omnibus, pro quibus tunc oravit, quia omnes crediderunt. Sed fuit alia Christi oratio generalissima, & universalissima pro omnibus, & singulis hominibus: cum scilicet obtulit pro iis omnibus mortem, & passionem suam Patri suo Divino, ut obtineret pro eis omnibus gratias sufficientes, & ad salutem suam consequendam valde idoneas, si uti iis vellent. Nam cùm supra ostensum sit, Christum pro omnibus, & singulis esse mortuum, etiam, & per hoc ostensum est eum pro omnibus, & singulis orasse, cum hæc mortis oblatio, facta pro iis omnibus, non possit concipi sine aliqua elevatione mentis in Deũ, pro bono illorum, pro quibus moriebatur, quæ elevatio mentis ad Deum, cùm sit formaliter oratio, indubitatum omnino est, Christum tunc orasse pro illis, præcipue cùm ipsi adversarij, ut vidimus, asserant mortis, & sanguinis oblationem, esse quoddam efficacissimum rogandi genus, quod intellige de efficacia secundum mentem, seu intentionem offerentis: nam si offerens intendit efficaciter bonum aliquod obtinere pro alio, erit efficacissima illa oblatio pro bono illo ei obtinendo: si autem tantum intendit obtinere pro illo vires sufficientes ad consequendum illud bonum, erit efficacissima quoad illas vires obtinendas & non aliter. Et sic dicimus Christum obtulisse mortem suam pro omnibus & singulis hominibus partim efficaciter, partim sufficienter, efficaciter pro salvandis, & sufficienter pro non salvandis.: eo modo quo obtulit Deo Patri suam orationem pro crucifixoribus suis, illa enim oblatio seu oratio fuit partim efficax, & partim inefficax: efficax pro eis, qui postea conversi sunt, & inefficax pro aliis, qui non actu conversi sunt: quia hoc totum pendet ex intentione offerentis. Ex eventu autem id conjicimus, cum nihil aliud potuerit evenire quam quod intendit Christus: at videmus aliquos habere gratias efficaces, alios solum sufficientes, ergo pro illis mortuus est Christus, ut haberent gratias efficaces, pro his autem ut haberent sufficientes: non sane quod pro aliquibus singularibus directe, & simul, intenderit gratias efficaces, & pro aliis mere sufficientes, absit: pro omnibus enim generaliter, & sincere obtulit mortem suam, ut salvarentur si vellent, seu ut omnes haberent gratias vere, & sincere sufficientes, quibus consentirent, si vellent, & sic salvarentur; non consentirent, si nollent, unde & damnarentur. Sed efficaces pro iis quibus successive secundũ circumstantias occurrentes,

ipse judicaret esse concedendas, sufficientes autem pro aliis, quibus etiam successive, & secundum circumstantias occurrentes judicaret esse concedendas, juxta id quod diximus in disputatione nostra de prædestinatione ad gloriam parte 2. sect. 3. §. 2. puncto 2. & sequentibus.

Sed audienda tandem, & solvenda est aliqua adversariorum instantia, qua volunt demonstrare, Christum non potuisse orare pro reprobis secundum Augustinum: sumitur autem illa instantia, ex eo quod aliquando dixit Augustinus, quod si sciret Ecclesia; quinam sint reprobi; non oraret pro illis, ut nec pro diabolo: &, ex eo quod nos sæpe hortatur Augustinus ad orandum pro omnibus, quia nescimus, quinam sint reprobi, & quinam non sint. Sed hæc omnia futilia sunt nec ad propositum: cum enim nos oremus, ut habeamus effectum, clarum est quod si sciremus aliquos non esse prædestinatos ad gloriam, aut ad gratiam justificantem, non deberemus efficaciter orare pro ipsis, ut id haberent, cùm esset frustraneum, & impossibile. Unde & dico similiter quod si aliunde Christus, quam ex præcedente sua rerum omniumfuturarum, aut non futurarum prævisione (quæ supponit alias, &alias causas præcedentes, inter quas est illius oratio, aut non oratio sciret id non esse futurum, nullomodo id peteret, aut etiam petere posset efficaciter: sed cùm omnia sciat ex prævisione sua: id petit quod prævidit se petiturum, & eo modo petit quo prævidit se esse petiturum, & id non petit quod prævidit se non esse petiturum: non ob hoc tamen quod prævidit se non esse petiturum, aut petiturum esse, quod impossibile est, cùm prævisio sit saltem ratione posterior re futura, aut non futura, quæ est objectum ejus: sed ob alias, & alias rationes, propter quas ipse agit indepedenter à prævisione. Vnde cum in prædicta oratione, non oravit Christus pro infidelibus in infidelitate sua morituris ut ipsi efficaciter crederent, aut salvarentur: non est ob hoc, quod præscierat eos esse prædestinatos ad mortem, seu ad damnationem æternam, cùm, ut supra explicatum est, illa prædestinatio, vel prævisio, præsupponeret negationem orationis istius, & proinde non posset esse causa, vel occasio negationis istius, sed ob alias, & alias rationes, quas nemo scit nisi Deus, ob quod toties exclamat cum Apostolo Divus Augustinus dicens: ô altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus: quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit. Et sic nihil efficit contra nos ista adversariorum instantia, ut nec illa quam sumunt ex Prospero, qui videtur adversariis, arguere Semipelagianos, de eo quod totam discretionem hominum, vellent radicaliter esse ex fonte volendi, id est ex voluntate hominis, eo quod ipsi, sicut & nos, admitterent gratiam indifferenter omnibus oblatam ob merita passionis Christi: sed jam supra satis demonstravimus, eorum sensum longe fuisse à nostro diversum, cum ipsi nullam gratiam prævenientem admitterent, neque

ex meritis Christi, neque aliunde ad initium fidei, sed vellent illud esse ex nobis sine gratia prævia credere incipientibus, quod etiam significant ista verba. Ex fonte volendi: nam si gratia secundum eos præcederet, & præexcitaret voluntatem, non voluntas, ut ipsi contendebant, sed ipsa gratia esset fons volendi, ut nos dicimus: & ista gratia nos primitus discerneret, ut data à Deo præsciente quid actura esset, aut non esset, ut nos dicimus; non vero ipsa voluntas primitus nos discerneret, ut dicebant Semipelagiani, & proinde nihil ad nos spectat ista opinio Semipelagiana, quam perabsurde voluerunt impingere nobis adversarij, ut & cęteris Catholicis, similiter nobiscum bene sentientibus.

SECTIO QUARTA.

In qua proponitur tertia nostra probatio, sumpta ex præceptis, seu ex possibilitate præceptorum, à Deo nobis impositorum.

3. PRobatio sumitur ex possibilitate præceptorum, quam sæpe asserit Augustinus: unde & sequitur, quod cùm præcepta dentur omnibus, & singulis hominibus, ut v. g. quod honorent Deum, & parentes suos, quod non faciant aliis, id quod sibi fieri nollent, ut credant in Deum, & similia: sequitur inquam, quod gratia sufficiens datur omnibus, & singulis hominibus, cùm aliàs illa generalis possibilitas præceptorum defendi non posset sine gratia illa sufficiente.

Consequentia per se clara est. Prob. antec. & 1. ex disput. 2. contra Fortunatum versus finem: ubi ex dato præcepto infert datam hominibus liberam electionem faciendi illud, vel non faciendi, quod esse non potest sine gratia sufficiente eis præstita. *Si*, inquit, *imperatum est nobis* (non Adamo) ut faciamus arborem, aut bonam, aut malam, *nostrum est eligere quod velimus.* In quo nihil retractavit Augustinus, ut videre est in libro 1. retract. cap. 16. & libro de fide contra Manich. c. 10. sic ait, *quis non clamet, stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas* (per gratiam nempe sufficientem sibi præstitam) *iussa complere.* Ubi vides quanta cum certitudine id asserat Augustinus, cùm dicat esse stultum id præcipere, & iniquum, cum non factum est, punire: quod sane spectat ad omnes homines, cùm ibi loquatur indistinctè, specialiter tamen ad lapsos, cùm loquatur ibi de peccatis ex concupiscentia commissis, ut videre est ex capite proxime antecedente, & adhuc antecedente. Et serm. 61. de temp. longe ab initio eadem certit uine, sed aliis verbis idem prorsus asserit, dicens: quod *nec*

impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est : nec damnaturus est hominem, pro eo quod non potuit vitare, qui pius est. Et post medium, clare præsupponens potentiam ad præceptum, dicit illud imponi propter actum. *Præceptum*, inquit, *datur, ut iustitia custodiatur, ut omnis homo divertat à malo, & faciat bonum.* quod omnino præsupponit potentiam, sive sufficientiam ad id præstandum, ne omnino id stultum sit, cùm nihil stultius sit, quam imponere præceptum propter actum, quem non potest præstare ille cui præcipitur. Et serm. 191. de temp. (qui quidem rejicitur à Jansenio, ut non Augustini, sed Pelagij: nos autem rectius censemus cum Lovaniensibus diligentissimis, & perspicacissimis operum D. Augustini discussoribus, esse Augustini) circa finem sic ait: execramur etiam *blasphemiam eorum, qui dicunt: impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Et serm. 20. de diversis cap. 9. initio sic ait: vocat te Deus, & jubet, ut facias: sed *ipse dat vires, ut quod iubet, impleri possit.* Et in Ps. 55. circa initium sic ait. *Non imperaret hoc Deus, ut faceremus* (ergo hoc spectat ad nos) *si impossibile esse indicaret, ut hoc ab homine fieret*, si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, *confortare in exemplo* (scilicet Christi, ut antea declaravit, sed nota valde quod sequitur) sed etiam exemplum ad te multum est, *adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* Ubi vides, & damnatam impossibilitatem præceptorum, & gratiam sufficientem arcte conjunctam cum præcepto, quam conjunctionem adhuc insinuat, & commendat tract. 53. in Joann. ubi ait: audiamus Dominum, & *præcipientem, & opitulantem: & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere possimus.* Quia nempe hæc indivisa sunt, & præceptum quod servetur, & gratia qua servetur, si homo velit. Et libro 2 de peccat. mer. & remiss. cap. 3. reprehendens Pelagianos, quod vellent docere Catholicos præceptorum possibilitatem, ut eis ignotam: sic ait. Acute sibi videntur dicere; *quasi nostrum hoc ullus ignoret*, quod si nolumus, non peccamus: *nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati.* Et cap. 6. positivè loquens, sic ait: his, atque hujusmodi alijs *innumerabilibus testimoniis* (scripturæ sacræ) *dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile esse.* Ubi adhuc vides, gratiam cum præcepto esse conjunctam. Et libro de nat. & gr. cap. 23. idem alijs verbis repetit, dicens; *non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet* (nota valde) *& facere quod possis, & petere quod non possis* (ergo de natura sua præceptum habet, ut moneat quod possis, vel proxime vel remote) & cap. 69. idem inculcat efficacius dicens: eo quippe ipso quo *firmissime* creditur Deum *justum & bonum* (ecce quam firma sit fides hujus articuli) *impossibilia non potuisse præcipere* (non dicit non præcepisse, sed non potuisse præcipere, quia nempe non esset justus, nec bonus,

Multi errores Jansenii damnantur in hoc sermone; unde non est mirum quod neget esse Augustini: sed cum approbetur à doctoribus Lovaniẽsibus qui exactissime discusserũt omnia opera Augustini & separaverunt spuria à legitimis, ideo prævalet eorũ authoritas.

S

si sic, prçciperet) hinc admonemur (ecce ergo quod infert præceptum de natura sua , & per consequens indivisibiliter) & in facilibus quid agamus (id est , quod habemus in facilibus potentiam proximam) & in difficilibus quid petamus. Id est quod in difficilibus habemus potentiam remotam , seu gratiam orandi , per quam impetremus proximam , & sic semper habemus sufficientem. Et libro de gratia & lib. arb. cap. 16. initio sic ait : magnum aliquid Pelagiani se scire putant , quando dicunt : *non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri ; quis hoc nesciat.* Ecce vides quanta certitudine hoc admittat , ut notissimum, & probatissimum Augustinus. Sed quia Pelagiani per hoc volebant probare nos præcepta facere sine gratia , mox occurrit dicens : sed *ideo jubet aliqua quæ non possumus* (proxime , scilicet , quia nempe gratiam tunc proximam non habemus ad agendum) *ut noverimus* (ecce quod infert præceptum , ut supra dictum est : scilicet veram potentiam , vel proximam , vel remotam) *quid ab illo petere debeamus* : quæ est potentia remota , qua impetrare possumus proximam , & immediate necessariam ad agendum , & sic semper supponit veram potentiam adesse , vel proximam , vel remotam ad agendum , quando imponitur præceptum. Et lib. 3. contra Maximinum quem juxta Lovanienses post retractationes suas exaravit. cap. 14. versus finem sic ait : *præceptum , id nobiscum agit , ut quod iam est in potestate faciamus* : si autem nondum est in potestate (scilicet proxima , quam solam solet vocare potestatem simpliciter (*oremus nobis potestatem dari* (scilicet proximam) *ut quod præceptum est impleamus* , ubi clare supponit ad præceptum , vel potentiam proximam, vel remotam , quam vocat orandi. Unde est quod lib. 9. de Genesi ad lit. c. 11. dicit: *Deum non creasse animas ad opus impossibile.* Quia nempe ad omne opus præceptum seri per supposuit potentã proximã , aut remotã quæ est orandi , aut aliam hujusmodi. Et tandem libro 4. illius operis quod noviter inventum est , & vocatur perfectum c. 128. sic ait : hominibus natura filiis iræ *propterea dantur præcepta vivendi , quia datur & gratia* (ergo non daretur præceptum nisi adesset gratia , qua posset impleri præceptum. Vnde & sequitur) *ut qui jubet , juvet , ac sic mala* , non solùm quæ voluntate addita , verum etiam quæ sunt congenerata *vincantur*, quod enim hominibus impossibile est , Deo facile est : id est fit facile per gratiam. Et sic vides , Augustinum clare docuisse, nequaquam præcepta Dei esse impossibilia , sed adesse semper gratiam , qua possibilia fiant , seu proximè , seu remotè , nec ulla danda esse præcepta , nisi & danda esset gratia , quod multipliciter , & multoties ab ipso vidimus in superioribus inculcatum. Ex quo consectaneum est , quod gratia sufficiens datur omnibus , & singulis hominibus , quibus præceptum impositum est , ut per eam fiat possibile : à prçcepto autem nullus hominum immunis est , & per hoc neque à gratia sibi necessaria , & sufficiente alienus est.

Libenter utitur Augustinus hoc verbo admoneri , cùm loquitur de præcepto: quasi nempe præceptum de natura sua esset signũ , quod ipsũ potest impleri cũ imponitur. præter enim citatos locos , adhuc sic loquitur libro de sp. & litt. c. 13. dicens : *ideo iubet lex , ut admoneat quid faciat fides*, id est: ut , *cui iubetur , si nondum potest, sciat quid petat* , si autem continuo potest , & obedienter facit, debet etiam scire quo donante possit. Et præcitato libro de nat. & gr. cap. 15. itaque *præcepto facere commonemur , quod conantes , & nostris viribus non valentes , adiutorium divinum precemur.*

§. PRIMUS.

Quædam contra prædicta solvuntur objectiones, ubi, & apparet, quod quando negat Augustinus adesse gratiam, hoc tantum intelligit de proxima non vero de remota seu de potentia orandi, quam supponit tunc adesse.

SEd contra hæc, per multas ambages insurgere conantur adversarij, sępe confundentes legem cum cognitione legis: nam per legem sæpe intelligit Augustinus cognitionem quam solam gratiam admittebant Pelagiani, ut sufficientem ad observandum præceptum, ut patet ex lib. 4. ad Bonif. cap. 5. circa med. ubi ait: *legem* quippe diversis locutionum modis *volunt intelligi gratiam*: ut scilicet à Domino Deo adjutorium *cognitionis habeamus*: Et rejiciebant gratiam, adjuvantem voluntatem, ut non necessariam ad implendum præceptum: firmiter statuentes, & volentes, legem, seu legis notitiam solam sufficere homini ad implendum præceptum sine gratia in voluntate necessaria: unde reprehendens eos Augustinus super hac temeritate sua. negat legem sic sumptam, id est ut cognitam, & ut sine gratia in voluntate necessaria, sufficere, seu potentiam sufficientem afferre, qua ab homine impleatur: imo vero asserit, eam ut solam, & ut sine gratia juvante, augere difficultatem præcepti, & in peccatum fortius inducere: ut patet ex his locis, quos ipsi adversarij pro se afferunt: *quam doctrinam* (scilicet legis) qui audiunt, & legunt *sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici.* Et infra: *lex Dei, atque doctrina*, quamvis sancta. & justa, & bona; tamen *occidit, si non vivificat spiritus.* Et infra: sed *ubi sanctus non adiuvat Spiritus* inspirans pro concupiscentia mala, concupiscentiam bonam, profecto *illa lex*, quamvis bona, *auget prohibendo desiderium malum.* Et infra: *legis litera, quæ docet non esse peccandum, si spiritus vivificans desit, occidit.* Et infra: *apparet igitur, litteræ vetustatem, si desit novitas spiritus, reos facere potius cognitione peccati, quam liberare à peccato.* Et hos textus, & multos alios similes (quos omitto vitandi tædij gratia) audent adducere adversarij, quasi negarent gratiam sufficientem simul dari cum pręcepto ad servandum illud, cùm sint tantum de gratia insufficiente, seu de cognitione legis, temere à Pelagianis prolata, ut per se solam sufficiente ad impletionem præcepti sine alia gratia in voluntate necessaria, quam commendabat Augustinus ut solam sufficientem ad pręceptum. Certe hæc adversariorum hallucinatio, satis patet ex duobus indiciis: quorum primum est, quia non ibi dicitur lex dari sine gratia, sed quod si datur, sine gratia Dei, sine vivificatione spiritus, sine vivificante spiritu, sine adjutorio spiritus (per quæ solet Augustinus exprimere gratiam sufficientem seu gratiam voluntatis, seu gratiam Christianam in voluntate necessariam, contra Pelagianam, quæ tota, & totaliter erat in

Epist. 107. Lib de sp & litt. c. 4. Cap. 5. Cap. 15.

cognitione legis) homo insufficiens erat ad implendum præceptum : ergo ibi solùm rejiciebat Augustinus insufficientiam illius gratiæ, quam ponebat Pelagius in lege, atque doctrina, seu in cognitione Legis; non vero rejiciebat gratiam sufficientem, ut simul datam nobis cum impositione præcepti, quam volebat Augustinus esse in voluntate, & non in solo intellectu, seu in sola cognitione legis, ut volebant Pelagiani.

Secundum indicium est, quod in locis præadductis utitur Augustinus vocabulo legis, potius quam præcepti : quia nempe per vocabulum legis, solebat Augustinus exprimere gratiam Pelagianam solius intellectus, seu cognitionis legis, ut possem probare infinitis locis Augustini : & clare patet in libro de gratia Christi cap. 7. ubi postquam totam adduxisset sententiam Pelagij de gratia, sic ait : in his omnibus non recessit à commendatione *legis* atque doctrinæ: hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcavit : ubi & postquam singulas prædictæ Pelagij sententiæ partes exposuisset : sic ait : hoc est ergo gratiam Dei ponere in *lege* atque doctrina : quod & fere repetit in singulis capitibus. Quę cum ita sint, clarum est quod ista lex de qua loquitur Augustinus in pręadductis locis, & quam dicit non esse stipatam gratia sufficiente : non est simpliciter præceptum Dei, sed est ipsa lex sumpta pro cognitione ejus, in qua ponebant Pelagiani suam gratiam sufficientem, sine alia superaddita, non autem est istà lex, quam nos dicimus, & quam vidimus supra in locis à nobis adductis, inferre gratiam, & opitulationem divinam, & eatenus dari, quia datur gratia, qua possibilis fiat, ut qui jubet, juvet, ut ait ipse Augustinus : unde & in illis locis vix utitur Augustinus, vocabulo legis, sed vocabulo præcepti. Et hinc solvuntur omnes priores loci Augustini, ab adversariis allati, & plerique alij.

Sed non solùm ibi confundunt adversarij legem cum cognitione legis, seu quod idem est, cum gratia intellectus, ut excludente gratiam voluntatis, sed etiam confundunt gratiam voluntatis, cum gratia voluntatis : gratiam scilicet proximam voluntatis, cum remota voluntatis, non advertentes, aut advertere nolentes, quod aliquando vocat Augustinus gratiam proximam, gratiam simpliciter, ut nobiliorem, & potiorem, quam ubi dixit Augustinus non adesse, cito interpretantur adversarij adesse nullam : quod valde absurdum est, cùm etiam in plerisque illis locis ubi dicit Augustinus abesse gratiam, indicet ipse Augustinus, & pręsentem monstret esse remotam quę sita est ut plurimum in potestate orandi, & quærendi proximam : nam sæpe, tum cum ibi dicit Augustinus abesse gratiam, suadet, & consulit, ut petatur gratia : at non potest peti, aut quæri gratia sine gratia orandi : ergo ibi supponit adesse illam gratiam Augustinus. Sic enim ait in quodam loco ibi citato Augustinus. Data est (scilicet lex) ut inveniret se homo (id est ut cognosceret infirmitatem suam) ut non morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo crescente, medicus :

Serm. 11. de verbis Apostoli cap 2.

Ibi gratia adiuvans aliter sumitur quã à Scholasticis : est enim gratia excitãs voluntatẽ ad agendũ bene.

id est, *gratia adjuvans quæreretur.* Ecce vides quæri gratiam: ergo absens est gratia, cùm quæratur: & præsens est gratia, qua quæratur: seu quod idem est: abest gratia proxima, seu adjuvans, sed adest remota, qua quæratur, & petatur proxima, seu adjuvans. Et infra in alio textu: ut quia lex ostendit peccata, non tollit, volentes legem suis viribus exequi, nec valentes, *cogantur ad gratiam* (id est, cogantur recurrere ad gratiam. Ergo ibi abest gratia, cùm ibi requiratur, sed & adest alia gratia, scilicet remota, per quam altera quæratur) quæ & impossibilitatis morbum, & inobedientiæ aufert reatum. Et infra: lex itaque docendo, & jubendo, quod sine gratia impleri non potest: homini demonstrat suam infirmitatem, *ut quærat demonstrata infirmitas salvatorem* à quo sanata voluntas possit, quod infirma non potest. Ecce adhuc gratia quęrit gratiam, gratia scilicet remota, seu petitionis, & inquisitionis, gratiam proximam, seu proxime adjuvantem, quam supra indicavit per nomen medici, hîc autem exprimit eam sub nomine salvatoris. Et adhuc infra: bona est lex illi, qui ea legitime utitur: utitur autem legitime, qui intelligens quare sit data, per ejus comminationem *confugit ad gratiam liberantem*: ecce confugitur ad gratiam liberantem, utique absentem, sed non sine alia, quæ præsens sit (qua invocetur prędictum liberans auxilium) quæ est gratia remota. Et infra: oportebat enim, ut in testamento veteri, lex imponeretur superbis, & de suę voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret justitiam, sed juberet, ac sic morte prævaricationis impliciti *ad gratiam confugerent*, non jubentem tantummodo (per quod indicat gratiam intellectus) sed *juvantem* (quæ est gratia voluntatis, seu gratia in voluntate necessaria) quæ novo testamento revelata est. Ecce adhuc vides confugi ad gratiam juvantem, quæ est gratia proxima, per se concurrens ad actum, quod cùm non possit fieri sine gratia remota, quæ est gratia orandi, & confugiendi ad Deum, ibi supponitur adesse illa gratia, quæ obtineat absentem, quæ est gratia proxima. Et adhuc infra: timor incussus est eis, qui gratiam Dei nondum intelligebant, ut de sua infirmitate, atque peccatis, per legem convincerentur, & lex illis fieret Pædagogus, *à quo perducerentur ad gratiam*, quæ est in fide Jesu Christi. Ecce homo perducitur ad gratiam, non sane sine gratia: ergo ibi erat gratia præsens remota, quæ quæreret absentem, scilicet proximam, & juvantem, quæ perduceret ad fidem Christi. Licet enim id tribuatur legi, seu cognitioni legis terrentis, numquam tamen ei soli quicquam boni, etiam inchoati tribuit Augustinus, licet id importunissime ab eo expostularet Julianus, sed simul piæ cuidam voluntatis affectioni, quæ quæreret, peteret, & pulsaret ad Deum, ut illam gratiam proximam obtineret. Quod & adhuc habetur in aliquo loco sequenti, ubi ait Augustinus: *ad quam Dei gratiam, lex de prævaricatione terrendo, tanquam Pædagogus perducit*, Vt sic conferatur homini, quod conferre ipsa non potuit. Et hi loci tam frequentes sunt apud Augustinum, ut dicant ipsi adversarij, quod dies defi-

In sententiis Prosperi sent. 321.

Epist. 144.

ibidem.

Lib 2. contra advers. legis & Prophet. cap 7.

Quæst. 55. super Exodum.

Ex lib. 4. ad Bonif. cap 5.

deficeret, si omnia istiusmodi testimonia proferre vellent. Quapropter & his, sicut & ipsi, contenti erimus, cum satis clare demonstrent, non abesse omnem gratiam, cùm dicit Augustinus abesse gratiam, sed tantum proximam, & juvantem, non vero remotam, & quærentem, & petentem auxilium, ut homo possit implere legem, quandoquidem ubi dicit Augustinus abesse gratiam, ibi clare supponit aliam gratiam, qua gratia ipsa, quæ abest, quæratur, & petatur, & impetretur.

§. II.

Ubi adhuc ostenditur: Augustinum supposuisse, quod gratia orandi aderat, quando aberat potentia proxime faciendi.

HInc est, quod prævaricatores legis, seu præcepti, arguat Augustinus superbiæ, & præsumptionis, quia nempe nolunt petere à Deo vires, ut impleant præceptum, sed ex propriis suis viribus id facere præsumunt sine Deo, quod sane est superbiæ, & præsumptionis damnandæ: sic enim id indicat in his locis ex ipsismet adversariis collectis, cum ait: accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere, quod male faciebas: & accepto præcepto auges peccata *per prævaricationem superbiæ.* Et infra: invenerunt se non posse sine ejus adjutorio, *qui de suis solis viribus præsumebant.* Et alio in loco: data est lex *ad ostendendum, quantis quamque arctis vinculis peccatorum constricti tenerentur, qui de suis viribus ad implendam justitiam, præsumebant.* Quia nempe non habebant satis humilitatis, ut peterent, quærerent, & pulsarent ad Deum, ad hoc ut impetrarent vires sibi necessarias ad proxime agendum in adimpletione pracepti, sed sufficientes in se habere sine Deo superbe existimabant: unde & ipsimet dicunt adversarij: quod de *superbis* hominibus loquebatur Augustinus, cùm dicit in libro de Gr. & lib arb. cap. 12. quod eis peccatum dominabatur. Sed & ipse scopus legis, quem postea adducunt pro se adversarij, ut rejiciant omnem gratiam ab aliquibus, qui debent servare legem, manifeste indicat semper dari aliquam gratiam remote sufficientem ad implendam illam legem. Dicunt enim scopum legis præcipuum fuisse, ut per defectum gratiæ sufficientis (intellige proximæ, ut verum sit) & secuta inde prævaricatione, ducerentur ad *impetrandam* gratiam, qua implere sufficerent. Ergo illi habebant gratiam orandi, & pulsandi ad Deum, cùm possent impetrare gratiam proximam, qua implere legem sufficerent; impetrare enim proprium est orationis, orari autem non potest sine gratia, ergo ista impetratio finalis legis, seu quam respiciebat scopus legis, præsupponebat gratiam: & sic ex scopo legis manifestum est, quod semper datur quædam gratia cum lege, saltem talis gratia, qua impetretur proxima, & juvans ad im-

In Ps. 104.

ibidem.

plendam legem impositam. Quod etiam patet ex addita ratione, & majori explicatione de scopo legis, quam adferunt adversarij: tanta enim, inquiunt, est carnalium hominum *superbia*, & cæcitas, ut nisi multorum lapsuum experientia frangi, & erudiri non possit: Et infra: quod si generatim loquendo toti Judaico populo, præter paucos, sufficiens implendæ legi gratia subtracta fuit, ut per multiplicationem infirmitatum suarum ad medicum, hoc est ad gratiam ejus agnoscendam, & invocandam erudirentur, nemo miretur, si & Christianis fidelibus nonnullis, *de sua potestate adhuc præsumentibus*, idem durissimæ institutionis genus adhiberi, Augustino nobis præcurrente, dicamus. Ubi manifeste volunt adversarij, scopum legis esse, ita humiliare hominis superbiam, ut ex agnita infirmitate sua, ipse erudiatur ad agnoscendam, & invocandam Dei gratiam, ita ut id non solùm locum habuerit in Iudæis, qui maxime sub lege erant; sed etiam in aliquibus Christianis, nimis de virtute sua præsumentibus, quod omnino indicat, gratiam orandi iis ipsis fuisse datam, à quibus dicunt gratiam sufficientem implendæ legi fuisse substractam. Tum quia isti vocantur superbi, & de sua virtute præsumentes, tum etiam quia eis dicitur data lex, ut erudirentur ad invocandam Dei gratiam. Nam ex eo quod vocantur superbi, & de se præsumentes maxime arguitur, quod haberent gratiam aliquam sufficientem, saltem remotam, qua impetrarent proximam ad implendum præceptum necessariam, sed quod ea uti nollent ex temere præsumpta suarum virium sufficientia. Nam si nullam haberent prorsus sufficientem, & nequidem possent implorare auxilium, ut proxime sufficerent, non deberent vocari superbi, & de se præsumentes, sed potius impotentes, & miseri, seu quod idem est, non deberent argui de superbia, & præsumptione, sed potius lugeri de impotentia, & miseria, in qua jacerent. Nam v. g. si Paralyticus, qui caret motu membrorum, & etiam linguæ suæ, ita ut nec possit loqui, nec dare ullum signum externum voluntatis suę, cadat in ignem, aut aquam, & ibi moriatur; quis hunc arguat superbiæ, & præsumptionis, & non potius lugeat eum ob impotentiam præcedentem, quæ fuit causa casus illius, & ob calamitatem ejus, & miseriam, quæ tanta fuit, ut nequidem tunc invocare potuerit auxilium. At vero si potuit, & invocare puduit auxilium, tunc vere damnari debet de superbia, & præsumptione, quia noluit facere quod potuit, timens indicare suam indigentiam, & dependentiam aliis. Et sic patet, quod superbia, de qua prædicti arguuntur, ob hoc quod non impleverint præceptum, clarum est indicium, quod potuerunt illud facere, & per hoc quod habuerunt sufficientem gratiam, vel proximam vel remotam ad faciendum illud.

Idem patet, ex eo quod ibi dicuntur homines per legem erudiri, ut invocent auxilium, quod sane arguit adesse gratiam sufficientem ad orandum; nam cur isti erudirentur ad petendum auxilium, si petere illud non possent, seu gratiam orandi non haberent: certe nemo

ſanæ mentis dicet erudiendum eſſe Paralyticum, ut ſaltet, aut hominem ut volet, aut piſcem ut cantet, quare hoc, niſi quia nemo eruditur, & docetur ad faciendum aliquid, quod non poteſt facere. Ergo cum ibi dicuntur homines erudiri per legem, ad invocandam gratiam, qua fiat præceptum, pleniſſime, planiſſimeque conſtat, eos habere gratiam orandi, per quam impetrent gratiam adimplendi præceptum.

Vide ſupra in probationibus hujus probationis multa Auguſtini teſtimonia declarantia eſſe potentiam orandi in iis quibus deeſt potentia proxima faciendi præceptum. Quæ quidem parva eſt cum tantum valeat ad orandum, ſed tamen ſufficiens ad implendum præceptum, & ad vincendam tentationem oppoſitam, ut habet lib. 4 de Symb. ad Catechum. c. 5. ſub finem: ubi alloquens peccatorem ſic ait: ad hoc ille (ſcilicet Chriſtus) pugnare voluit, ut te doceret quomodo vinceres: *ſed ſi vires tuæ parvæ ſunt, ipſum invoca ſalvatorem, ipſum invoca adjutorem. Cum te perſpexerit fideliter invocantem qui pro te pependit* in ligno & hic victoriam & coronam victoriæ *præparabit* in cælo. Vbi etiam potes videre præparationem ſeu prædeſtinationem gloriæ poſt præviſa merita.

Ex quo facile reſpondetur cuidam adverſariorum argumento, quo dicunt nihil magis repugnare ſcopo legis, quam ſi lex ſimul ac data eſt, ſufficienti gratię auxilio muniretur. Licet enim id concederetur eſſe verum de ſufficienti gratiæ proximæ, ſeu juvantis auxilio, non tamen id concederetur de ſufficienti gratiæ remotę auxilio, quod eſt in potentia orandi, cùm hæc gratia non ſolùm non impediat, ſed potius adjuvet, & impleat intentionem legis, quæ eſt humiliare hominem ante Deum, ut aperiat ei ſuam indigentiam, & ſimul invocet, & impetret ejus miſericordiam, & ſic non elevetur in ſuperbiam. Nec magni momenti eſt locus quem adducunt ex Auguſtino, quaſi negans eſſe ſemper in nobis gratiam orandi: non enim negat ibi Auguſtinus nos habere ſemper illam gratiam, ſed tantum negat nos illam habere à nobis, ut volebant Pelagiani quoad omne opus bonum, & Semipelagiani quoad initium fidei, & vult nos eam habere à ſolo Deo, ut patet ex terminis: nonne aliquando, inquit Auguſtinus, ipſa oratio noſtra, ita tepida eſt, vel potius frigida, & pene nulla: imo omnino interdùm ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia, vel ſi hoc dolemus, jam oramus, *quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia, & petere, & quærere, & pulſare, ille concedit, qui, ut hæc faciamus, jubet.* Ubi vides, Auguſtinum ſolùm contendere, quod oratio eſt ex Deo, & non ex nobis, quod non ſpectat ad quæſtionem noſtram, aut ad rem de qua agimus. Præterquam quod non loquitur ibi Auguſtinus de gratia ſufficiente, ut ſic, ſed de gratia efficaci; quam ſolet exprimere per verbum dare, aut concedere: quantamquamque enim Deus gratiam dederit, niſi tamen ſequatur effectus, non poteſt dici quod dederit, aut conceſſerit id facere, aut petere, quærere, & pulſare, ut hîc dicit, ſed tantum quod dedit, aut conceſſit poſſe petere, quærere, & pulſare, quod non dicit. Ergo ibi loquitur Auguſtinus de gratia efficaci, quam dat Deus quibus vult, & non de

gratia sufficiente quam dat omnibus, & singulis hominibus. Ad hoc autem quod dicunt, omnem gratiam sufficientem debere esse efficacem. Respondemus quod id satis confutatum est in præcedenti tractatu, & in disputatione nostra de prędestinatione ad gloriam.

§. III.

In quo respondetur argumentis negantibus semper adesse gratiam, saltem orandi, quando faciendum est aliquid, quod præcipitur.

HIs ergo solutis jam ad alia transeundum est, & videndum; quid dicant de diversis modis, quibus præcepta impossibilia fiant, & primò statuunt, id non dici impossibile alicui secundum Augustinum, quod solùm propriis viribus non potest, sed quod neque suis, neque alienis viribus, si illas in auxilium advocarit, possit implere. Ubi clare vides illos admittere, sive advertenter, sive inadvertenter gratiam sufficientem remotam, quæ est in potentia orandi, seu petendi auxilium, cùm ejus carentiam postulent, ut conditionem necessariam ad rationem impossibilis: inde enim sequitur, quod cùm adest talis gratia, ibi non est impossibilitas, sed potius possibilitas, & sufficientia, non quidem proxima, sed remota, ut diximus. Hoc ergo omnino admittimus respectu Dei, qui cùm promiserit in Evangelio se daturum petentibus, omnino sufficiens est ad implendum præceptum, is cui ipse præstitit gratiam orandi, & petendi auxilium.

2. Statuunt, non semper adesse gratiam, qua præcepta implere sufficiamus. Quod si intelligant de gratia proxima, verum esse concedimus si autem intelligant de remota, falsum. Ad rationem autem quam afferunt, scilicet, quia si jam adest gratia, qua præcepta implere sufficientes simus, seu possimus, stultum est orando satagere, ut possimus. Quod adhuc verum est de gratia proxima, si duo supponamus, scilicet, & quod sciamus nos illam habere, & quod simplicem sufficientiam petere velimus. Hoc enim, ut tunc inutile, & vanum est, ita & stultum dici potest. At si nesciamus nos illam habere (ut vix certo sciri, & cognosci potest) & velimus majorem, & majorem petere, ut securior nobis sit de tentatione victoria, non solùm id stultum non est, sed omnino consulendum est: cùm in re tanti momenti nihil negligendum sit, sed omni cura, & sollicitudine conandum sit, ut quam certa, & secura de perniciosissimo hoste victoria reportetur. Sed valde hoc falsum est de gratia remota, quæ consistit in potentia orandi, & petendi auxilium: cùm enim illa non aliter sufficiens sit, quam quia potest petere, & impetrare auxilium, ideo quanto sufficientior est, tanto debet esse ferventior, & efficacior ad petendum auxilium, & ad invocandam opem divinam, ut impetret potentissimam, & efficacissimam gratiam, qua proxime homo fiat potens, & sufficiens ad im-

plendum præceptum, & ad tentationem vincendam. Unde illud auxilium sufficiens nullomodo impedit petitionem sufficientis alterius auxilij, sed potius id consulit, & postulat & in eo solo consistit, & ad id solum utilis est, ut petatur aliud auxilium, ad hoc, ut proxime homo possit, quod antea solùm remote, & mediate poterat, quod prorsus necessarium est, ut mox prorumpatur in actum. Cùm autem dicit Augustinus ibi relatus; quid stultius, quam orare ut possis, id quod jam habes in potestate. Respondeo id solùm esse dictum contra eos, qui putabant se esse sufficientes sine gratia ad implendum præceptum, quales erant Pelagiani, non vero contra eos, qui sentiunt nobiscum nihil nos posse sine gratia, seu sine ope divina: quando enim quis habet ex se quod sit sufficiens ad aliquid, frustra id postulat ab alio, cùm jam id apud se habeat. Quando vero in hoc pendet ab alio, non solùm non stulte id poscit, sed prudentissime, & necessario id poscit, cùm sine eo nihil possit. Ibi ergo solùm loquitur Augustinus contra eos, qui dicunt se posse, seu se sufficere sine gratia, ut etiam patet ex textu, quem adducunt adversarij: ubi ait Augustinus: mendaciter petuntur, si ea *non adiuvante eius gratia* facere possimus. Ubi solùm reprehenduntur, qui dicunt se posse sine gratia: & hi sunt contra quos solùm loquitur, non vero loquitur contra eos, qui dicunt nobiscum, se nihil posse sine gratia Dei, seu sine Deo, sed per eum solùm se posse, & se sufficere, non solùm ad præceptum implendum, sed & ad quodvis bonum faciendum protestantur: quod & alibi fusius demonstravimus.

In nostras disputat. de prædest. ad gloriam 1. parte. sect.7 § 2. puncto 7 in margine.

Cùm autem dicunt, non semper in piis, & fidelibus reperiri gratiam proximam ad implendum præceptum, etiam quando volunt (scilicet imperfecte) præcepta facere: perlibenter admittimus: cùm hæc voluntas imperfecta possit quidem sufficere ad orandum auxilium, & non sufficere ad agendum proxime, quod præceptum est: nam etiam pios respicit id quod habet Augustinus lib. de natura & gratia cap 68. scilicet. Quod ubi *difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis, & perseverantissimis precibus, & misericordiæ promptis operibus, facilitatem* (id est gratiam suavefacientem præceptum seu gratiam proximam) *a Domino impetrare persistant*: Quia eo ipso (inquit cap. sequenti) quo firmissime creditur: Deum justum, & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & *in difficilibus quid petamus*. Hoc inquam pios respicit, æque ac cæteros, cùm ipsi obnoxij sint tentationibus gravibus, ac difficilibus, sicut & cæteri, & proinde debent subire legem difficilium, quę est tunc tantum habere gratiam orandi, & non agendi proximam, ut etiam expresse dicit Augustinus libro 1 retractat. cap. 15. loquens de anima pia, & fideli. *Quantum est, inquit, quod valet voluntas sub dominante cupiditate*, nisi forte, *si pia est, ut oret auxilium*: in tantum enim libera est, quia in tantum liberata est. Sed hinc nihil habetur contra gratiam sufficientem, omnibus, & singulis datam, cum etiam tunc supponatur habere

gratiam sufficientem, non quidem proximam, sed remotam, quæ est prædicta gratia orandi, & petendi auxilium.

Item & admittimus cum eis, Deum sinere, ut multi cadant, ad hoc ut infirmitatis propriæ capiant experientiam. Sed hoc tantum arguit carentiam gratiæ efficacis in eis, non vero gratiæ sufficientis, quam solam defendimus, ut in omnibus, & singulis existentem, aut paratam.

Nec in contrarium est exemplum Petri quod adducunt adversarij, ut probent intentum suum: nam licet dicat Augustinus, quod non potuit tunc Petrus superare tentationem: non tamen dixit, quod deesset ei gratia invocandi Dominum, qua id quod tunc ei erat impossibile (scilicet proximè) possibile fieret, imo vero dat satis intelligi, quod ei talis gratia non defuerit, quandoquidem peccatum illius attribuit illius præsumptioni, atque superbiæ, quam supra demonstravimus non habere locum in iis, qui omnino aliquid non possunt, sed tantum in iis, qui petere possunt ab aliis auxilium, & nolunt præ superbia, & præsumptione: unde cum supponat Augustinus in Petro peccante superbiam, & præsumptionem, clare supponit in eo fuisse potentiam orandi, & petendi auxilium à Deo, si voluisset, sed ea uti noluisse, præ superbia, & præsumptione, & nimia confidentia in viribus suis.

Notat illam præsumptionẽ August. in Psal. 46. & 55. tract. 96. in Ioan. & serm. 14. de diversis cap. 2. & alibi communiter.

Verum volunt probare ex professo adversarij, hanc orandi gratiam plurimis deesse, seu, ut aiunt, plurimis non dari hanc præcepti faciendi possibilitatem, quæ precibus implorari solet: videamus ergo quomodo id probent. Primo probant ex eo quod multi cadunt in peccatum, ex quo volunt inferre quod non habuerunt gratiam orandi, ne caderent, quod cum fundetur in falso eorum principio, quo dicunt omnem gratiam Christi habere effectum, ideo, & id rejectum est, cùm illud fundamentum destruximus in toto præcedenti tractatu. Nec etiam textus Augustini, quos ibi pro se adducunt, probant intentum eorum, cùm non sint de gratia orandi, seu de gratia ista remota, ut esse deberent, sed de gratia faciendi, seu de gratia proxima: & sic nihil faciunt ad propositum. Imo vero habent aliquid quod valde contrarium est intentioni adversariorum, cùm ibi defectus actionis attribuatur superbiæ, & præsumptioni peccatoris, quod, ut supra dictum est, arguit eum habuisse gratiam aliquam, scilicet orandi, seu petendi auxilium, sed ex superbia, & ex propriarum præsumptione virium ea uti contempsisse, nec se ad petendum auxilium humiliare voluisse. * Habes (inquit Augustinus) *& adiutorem qui te expectat pugnantem* (ergo iste habebat aliquod auxilium, quo pugnaret & vinceret, si vellet, quandoquidem habebat Deum adjutorem, qui & expectabat pugnę istius exitum) *sublevat laborantem* sed *si invenit sperantem* (ergo poterat sperare, ergo & petere auxilium, quod sperare debebat) odit enim *superbientem*. Qui scilicet non vult petere, nec sperare auxilium, sed vult propriis viribus pugnare, & vincere. Ubi ut vi-

* Hoc citatur ex appendice serm. 5. omnes autem serm. qui rejiciuntur in appendicẽ, sunt spurii, aut saltem habentur ut tales à doctoribus qui hunc appendicẽ ordinarunt unde hunc tantum adducimus, ut sumamus argumentum ad hominẽ, nõ vero quod approbemus eum, ut vere Augustini.

des, multis modis præsupponitur in eo fuisse gratiam, sed eum ex superbia ea uti noluisse: & alio in loco: quid enim, inquit, homo sine gratia Dei possit, timor beati Apostoli evidenter ostendit. *Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adiutorio, promiserat se pro Domino moriturum* (ubi vides præsumptionem propriarum virium, & ex ea neglectum petendę gratię, seu divini juvantis auxilij) sed quid est homo sine gratia Dei (quando scilicet ex propria præsumptione omnia vult peragere, seu omnia vult propriis viribus exequi, nolens humiliare se ad rogandum Deum, ut ei præstet proximum, & necessarium agendi adjutorium) nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christũ, & nisi quod ait Propheta: omnis caro fœnum: & ideo beatum Petrum paululum Dominus subdeseruit (per negationem gratiæ efficacis, & proximæ) ut in illo totum humanum genus possit agnoscere, nihil se sine gratia Dei prævalere; ubi quidem vides indicari negationem gratiæ efficacis, & proximę, seu juvantis, non vero sufficientis, remotæ, quę est in orandi facultate: cùm è contra ibi supponatur adfuisse, sed ex propria præsumptione neglectam fuisse, ut etiam supra ostensum est: & videntur ipsi adversarij admittere, cùm dicunt quod plurimi *præsumptione, & superbia occulta implicati, non invocant adiutorem Deum* per hoc indicantes, in hoc præsumptionem, & superbiam istam consistere, quod nolunt orare, seu humiliare se ad orandum, & petendum auxilium (quod solum possumus in gravibus tentationibus secundum Augustinum) sed volunt superbe omnia exequi sine gratia faciendi. Serm 124. de temp.

§. IV.

In quo aliis respondetur argumentis, inficiantibus adesse gratiam saltem orandi, quando faciendum est aliquid, quod præcipitur.

SEd videamus secundam eorum rationem, quam fundant in eo quod omnes qui petunt magnas vires ad pręcepta implenda, non impetrant illas, prout, inquiunt nimis experientia, & ex ipsa oratione dominica manifestum est. Sed & hæc ratio eodem laborat vitio quo præcedens, cùm perperam ex negatione effectus, negent adversarij gratiam ad illum ponendum datam. Nam, quomodo sciunt orationem non impetrasse prædictas vires magnas, quæ necessariæ sunt ad proxime agendum in difficilibus, ut ait Augustinus, nisi quia putant non posse esse vires magnas in homine, nisi effectum habeant. Ecce ergo volunt adhuc effectum esse inseparabiliter conjunctum gratię, quod ut dixi jam alibi satis à nobis confutatum est. Et certe longe aliud est magnas habere vires, & longe aliud uti eis: unde & experientia ipsa constat quod aliqui habent magnas vires, & tamen non utuntur eis, propter scilicet diversas, & diversas rationes, aut imaginationes fri-

volas, quæ aliò avertunt illos, ut viribus illis uti nolint, & numquid visi sunt principes, qui magnis sumptibus, & laboribus magnum coegerant exercitum ad faciendam magnam expeditionem, qui tamen ex levi occasione, aut ex propria levitate, & inconstantia dimiserunt illum; numquid non ideo magnæ erant vires illæ, absit: erant ergo magnæ vires illæ, sed noluerunt eis uti: quia aliud est habere magnas vires, & aliud uti eis: ita & in proposito est dicendum, magnæ forte vires per orationem impetratæ sunt, sed homo ex levi occasione, aut ex propria animi inconstantia, & levitate, noluit eis uti, unde & effectus non secutus est, sed ideo tamen gratia negata dicenda non est. Quando autem dicit Augustinus, quod Deus aliquando differt dare gratiam, qua possimus bene agere, ad hoc ut simus humiles, & agnoscamus, bonum quod agimus, esse ex Deo, & non ex nobis. Hoc non intelligit Augustinus de gratia orandi, de qua sola agimus, sed de gratia agendi, quam supra vidimus vocari ab eo, simpliciter potentiam, seu dantem posse simpliciter bene agere. Tantum enim abest quod hanc dilationem, seu absentiam temporariam gratiæ, intelligat de absentia gratiæ orandi; quin potius indicat, quod eo ipso tempore, quo abest gratia, de qua loquitur; adest gratia orandi, qua petatur, prout ibidem vidimus: ex quo manifestum est: quod illam absentiam gratiæ, non intelligit Augustinus de absentia gratię orandi, ut volunt adversarij, sed de absentia solius gratiæ agendi, seu proximæ & non remotæ, neque vere gratia data orandi est contra scopum divinum, qui est humiliare creaturam, & facere ut illa cognoscat se habere à Deo, & non à seipsa, quod bene agat: quin potius id procurat tunc gratia data orandi: cùm oratio ipsa secundum Augustinum indicet indigentiam alieni auxilij & dependentiam ab alio, ut habeatur tale auxilium: quod sane satis humiliat indigentem, & sufficienter ei manifestat suam miseriam, & infirmitatem, ut recurrat ad Deum adjutorem suum.

Neque etiam sequitur, ex eo quod hæc gratia datur gratis, quando datur, quod ipsa non detur omnibus: nec enim gratuitum, & commune, seu universale opponuntur, numquid enim creatio est communis omnibus, & tamen; quid magis gratuitum, & liberale dici potest. Quando autem dicitur, quod oratio datur quibus Deus vult, si per hoc intelligant quod ipsa datur gratis, & sine obligatione, hoc verissimum est, quoad omnem gratiam: si autem intelligant: quod illa datur aliquibus, non tamen omnibus, non est verum quoad gratiam orandi sufficientem, sed tantum quoad gratiam efficacem: unde in illis locis, quos pro se adducunt adversarij, spectantes ad orationem (nam alios multos, ut vidimus, proferunt, qui sunt de gratia proxima ad agendum non vero ad orandum) actus ipse exprimitur, & non potentia: ut orare, non vero posse orare: ut clamemus, non vero ut clamare possimus: ut sic petamus, ac tantum petamus, non vero ut possimus sic petere, ac tantumpetere, quæ omnino spectant

Nota quod ibi citantur aliqui libri spurii, seu appendicis, quod satis indicat penuriã bonorum argumentorum in adversariis.

ctant ad gratiam efficacem, non vero ad sufficientem ut sic: tam autem certò credidit Augustinus adesse gratiam orandi iis omnibus, qui præcepto alligantur, ut in quodam loco ab adversariis ipsis pro seipsis citato dicat Augustinus, animæ gravia, seu difficilia præcepta sentienti: quod *oret gemitu voluntatis ut impetret donum facultatis*: quod sane non diceret, nisi in ea gratiam talem orandi esse supponeret, qualem esse oportet ad effectum obtinendum. quod & repetit multis aliis in locis, quos supra videre potes in nostra probatione, ubi multoties dicit, quod præceptum ipsum nos admonet, ut petamus auxilium: quod omnino non diceret, nisi supponeret esse in nobis talem potentiam orandi, & petendi auxilium, qualem esse oportet, quando incumbit nobis observandum præceptum.

Ex lib. de perfect. justitiæ c. 10.

Ad id autem quod addunt ex Augustino, ubi dicit Augustinus: nonne aliquando ipsa oratio nostra, sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, imo interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia, si vel hoc dolemus, jam oramus: quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere, & quærere, & pulsare ille concedit, qui, ut faciamus, jubet. Respondeo, hoc non negare gratiam orandi, sed tantum effectum ejus, qui est actualis oratio; quam, ut ait, aliquando ita negligimus, ut vel tepide, vel frigide, vel nullatenus oremus, & de eo non doleamus, qui sunt omnes effectus potentiæ orandi, & non orandi, de quibus solùm loquitur, & non de potentia ipsa orandi, de qua sola hic disputamus. Ibi enim solùm contendebat Augustinus contra inimicos gratiæ, effectus petendi, quærendi, & pulsandi, non esse à nobis, sed à Deo: unde dicit quod petere, quærere, & pulsare ille concedit (scilicet Deus) qui, ut faciamus, jubet; an vero Deus daret omnibus, & singulis hominibus, aut tantum aliquibus gratiam orandi, ibi non disputavit, nec, ut puto, cogitavit, cùm id non agitaretur ibi, sed sola necessitas gratiæ ad opera bona requisitæ: ex quo patet, quam absurdè ex hoc loco inferant adversarij; Deum non omnibus largiri gratiam sufficientem petendi, cùm nequidem ibi Augustinus de illa gratia, ut omnibus conferenda, aut non conferenda loqueretur.

Lib. 1. ad Simpl qu. 2. versus finem.

Non agebat ibi contra Pelagianos, quia nondũ erant: sed tamen contra inimicos gratiæ, quos ibi vocat ingratos gratiæ Dei, & audentes gloriari de meritis suis: quo nihil acerbius dixit contra Pelagianos; & certè nihil ibi disputavit, quam quod postea disputavit cõtra prædictos Pelagianos.

* Ad locum autem illum Augustini: ubi dicit Augustinus: his, atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse. Per quod confirmant hanc suam conclusionem adversarij, qua dicunt: non aliter verum esse, quod Deus non jubeat impossibilia, nisi quia quæcumque jubet, hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adjuta fieri possunt: quasi nempe solùm potens esset creatura ad implendum præceptum per omnipotentiam Dei, qui potest ei tribuere auxilium, si ipse velit: non vero per potentiam internam, & in ipsa residentem, & à Deo jam acceptam.

* Lib. 2. de peccat. mer. c. 6.

Respondeo hoc imponi Augustino, & nihil eum ibi simile dixisse,

aut dicere intendisse : imo ne cogitasse quidem, cùm ibi tantum velit ostendere contra Pelagianos, quod non possibilia sunt præcepta Dei per virtutem humanam, ut ipsi contendebant, sed per virtutem divinam, nihil ibi determinans de modo, quo fiebant possibilia per prædictam virtutem divinam, sed tantum determinans, & asserens in genere, quod erant possibilia per virtutem divinam, & non per virtutem humanam, ut volebant ejus adversarij. Quod clare patet ex antecedentibus : nam capite antecedente sic ponit sententiam suam Augustinus dicens : ad peccandum non adjuvamur à Deo, *justa autem agere, vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur à Deo.* Ecce quod intendit Augustinus, & nihil aliud : scilicet necessarium esse Dei adjutorium, & non sufficere solum liberum arbitrium ad implendum præceptum, ut volebant Pelagiani ; unde & paulo post reprehendens eos, sic ait : repellamus itaque ab auribus & mentibus nostris *eos qui dicunt accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus.* Et infra ; quid ergo illis fiet, qui, etsi fateantur se non habere, vel non plenam habere justitiam : tamen *à seipsis habendam, non à suo creatore, ubi horreum ejus, & fons ejus est, deprecandam esse presumunt.* Ubi solùm reprehendit eos, quod vellent à semetipsis esse possibilitatem pręcepti, & non à Deo, nihil prorsus determinans de modo quo esset à Deo, sed tantum asserens quod esset à Deo, & nihil amplius. Unde & capite sequenti, quod est illud, ex quo sumpta est objectio, nihil aliud commendat, quam gratiam Dei, ut ad servandum pręceptum necessariam, & rejicit præsumptionem contrariam, dicens : si à me quæratur : utrum homo sine peccato possit esse in hac vita : Confitebor *posse per Dei gratiam* & lib. arbitrium: ipsum quoque lib. arbitrium *ad Dei gratiam* hoc est, *ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum ut sit, verum etiam ut bonum sit: id est, ad facienda mandata Domini convertatur, atque ita, Dei gratia non solùm ostendat, quid faciendum sit, sed adjuvet etiam, ut possit fieri quod ostenderit*; quid enim habemus quod non accepimus. Unde & Hieremias dixit : scio Domine quia *non est in homine* (id est, in potestate hominis) via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos (ecce quomodo commendat gratiam, ut necessariam ad implendum præceptum : ecce nunc quomodo rejicit prę sumptionem contrariam dicens) hinc & in psalmis, cùm quidam dixisset Deo, tu præcepisti mandata tua custodiri nimis. Continuo *non de se* (id est de viribus propriis) *præsumpsit, sed optavit, ut faceret* (scilicet Deus per gratiam) utinam, inquit, dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas, tunc non confundar, cùm inspicio in omnia mandata tua. *Quis autem optat* (id est orat in sensu Augustini) *quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento.* Quod erat omnino id, quod contendebat ibi Augustinus contra Pelagianos, scilicet ut faterentur, se non posse servare mandata sine divino adjutorio : unde & paulo post elicit id quod in objectione habetur, scilicet : his, atque hujusmodi innumerabilibus testimoniis dubitare non possum,

nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse (quod & fatebantur Pelagiani : sed in hoc dissidebant ab Augustino, quod id vellent esse possibile per naturam, Augustinus vero vellet possibile esse per gratiam, ut mox sequitur cum ait) nec Deo *ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat, quod jubet*, impossibile aliquid esse, ac per hoc (nota consequentiam) potest homo, si velit, esse sine peccato, *adjutus à Deo.* Id est hoc potest per adjutorium Dei, & non per vires naturæ, ut præsumebant Pelagiani. Ecce totum quod ibi dicit Augustinus, nihil prorsus cogitans de determinando modo, quo præceptum sit possibile per gratiam, cùm de eo nulla prorsus esset quæstio, sed solùm satagens, ut non nisi per gratiam possibile crederetur, quod negabant Pelagiani, contra quos ibi agebat. Unde nihil habent hinc adversarij contra nos, cum, & id cum ipsis profiteamur, sed de alio disparato (de quo nihil ibi dixit Augustinus) disputamus.

§. QUINTUS.

Aliarum objectionum ad eamdem materiam spectantium; solutio.

SEd videamus, an de illo disparato, de quo solùm disputamus habeant aliquid melius adversarij, quod proponant: proponunt autem aliquam, contra præcedentia sua dicta, objectionem, quam conantur solvere, & non solvunt : dicunt enim, quod aliquis forte pro peccatoribus responderet : hoc ipsum adjutorium quo præceptum fit eis possibile, deesse multis, *ipsamque gratiam orationis denegari, qua faciendi præcepti vires, quibus carent, postulentur à Deo.* Ergo manet eis præceptum impossibile, & consequenter non peccant in eo non faciendo, quod facere, & in eo faciendo, quod vitare non possunt : utrumvis enim redditur impossibile. Ubi vides objectionem non solùm supponere negationem potentiæ proximæ, quæ est faciendi, sed etiam negationem, seu carentiam gratiæ remotæ, quę est orandi, seu petendi auxilium, de qua tamen negatione, seu carentia nihil dicunt in suis responsionibus adversarij, ut videbis; imo vero è contra in prima responsione sua, quæ sumitur ex quadam doctrina de obduratis (quam ipsi attribuunt Scholasticis) quasi ipsi obliti essent istius negationis gratiæ orandi, objectioni prędictæ intrinsecę, supponunt prædictos peccantes habere gratiam orandi, sed eam ipsos negligere, & ea non uti velle Quærimus, inquiunt, quid de illis dicturi sunt (scilicet prædicti Scholastici) qui cùm eorum voluntas ita infirma sit, ut non possint tentationes superare, propter quas superandas, eis Dei gratia imploranda est, *negligunt tamen, aut nolunt, aut etiam contemnunt invocare adjutorem Deum, vel tam languide invocant, ut eorum exaudiri non mereatur oratio.* Numquid ibi clarissime supponitur gratia orandi, cujus usu negligitur, & contemnitur à nolentibus ea uti : imo vero,

quod mirabilius est, ipsa ibi exprimitur oratio, per quam scilicet tam languide invocatur Dominus, ut ipsa exaudiri non mereatur. Quod si ibi supponitur oratio, multò certe magis orandi gratia, seu potentia; quid ergo sibi proponunt objectionem adversarij, cui intrinseca est negatio gratiæ, seu potentiæ orandi, & non solùm in sua responsione, non loquuntur de illa negatione, sed etiam supponunt in prædictis peccantibus illius oppositum, quæ est potentia orandi, & petendi auxilium. Sed ut evidentior res appareat, examinandi sunt loci illi, quos adducunt pro se ex Augustino, & videndum num habeant aliquid, quod faveat eorum intentioni contra nostram.

Quantum ad primum quem citant ex libro 2. de peccat. mer. cap. 5. ubi ait Augustinus: cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, illum isto, istum illo modo penes ipsum est, & æquitatis tam secretę ratio, & excellentia potestatis. Ex quo volunt inferre adversarij, non aliam esse rationem cur Deus privet aliquos omni gratia sufficienti, nisi quod per peccata sua præcedentia id meruerunt: sed ibi valde falluntur, cùm ibi loquatur solùm Augustinus de gratia juvante, ut patet ex illis verbis: cur illum adjuvet: & proinde de proxima, quam solet vocare juvantem quia ad actum præceptum adjuvat, non vero sic vocat gratiam orandi, quia ad actum non adjuvat, sed juvantem tantum impetrat. Quod ut clare videas, simul & in hoc loco non negari potentiam orandi (nec proinde in multis aliis similibus locis) sed potius supponi, paulo antecedentia relegenda sunt, ubi sic ait Augustinus loquens contra Pelagianos, orationem contemnentes, ut non necessariam ad impletionem præceptorum. Cum dicit (scilicet Christus) beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam (quæ est adimpletio mandatorum) quoniam ipsi saturabuntur; *à quo debemus petere cibum, potumque justitiæ*, nisi ab illo, qui esurientibus eam, & sitientibus, promittit ejus saturitatem. *Repellamus itaque ab auribus, & mentibus nostris eos, qui dicunt, accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adiuvet.* Ubi clare vides distinctionem gratiæ orandi à gratia juvandi secundum Augustinum: cùm una ordinetur ad alteram: simul & vides consuli usum gratiæ orandi contra superbiam Pelagianam, quæ contemnebat illum, quod sane non faceret Augustinus, nisi putaret nos habere gratiam illam in potestate, cùm inutile prorsus foret, illius usum consulere, si in potestate non esset. Unde & paulò infra sic ait: quid ergo illis fiet, qui, & si fateantur se non habere, vel non plenam habere justitiam, tamen à semetipsis habendam *non à suo creatore*, ubi horreum ejus, & fons ejus est, *deprecandam esse præsumunt. Nec* ideo tamen de hac re *solis votis* (id est orationibus) *agendum est*, ut non subinferatur adnitendo, nostræ efficacia voluntatis. Ubi adhuc vides, Augustinum consulere usum orationis, simul cum modo ea utendi, quod sane supponit, ut dictum est, quod est in nostra potestate: saltem clare vidisti, quomodo ibi distinguat gratiam oran-

di à gratia juvante : ex quo ſequitur, quod cùm in textu nobis objecto, dicit abeſſe gratiam juvantem, non eſt illud extendendum ad gratiam orandi, ſive impetrandi auxilium, cùm, ex hac diſtinctione præſuppoſita pateat abeſſe poſſe gratiam juvantem, licet adſit gratia orandi, ſive impetrandi auxilium.

Similiter intelligendus eſt locus ille, quem ibidem pro ſe citant adverſarij ex lib. de corrept. & gr. cap. 11. ubi dicit Auguſtinus : nunc vero quibus deeſt *tale adjutorium*, jam pœna peccati eſt : ibi enim tantum ſermo eſt de abſentia gratiæ proximæ, quæ nobis ſæpe deeſt ob miſerum ſtatum peccati in quem cecidimus : non vero umquam defuit Adamo, ob fœlicem ſtatum innocentiæ, in quo conditus fuit : unde gratiam illam vocat, adjutorium, quod idem eſt, ac gratia juvans, ſeu proxima, quam ſupra vidimus diſtingui apud Auguſtinum à gratia orandi, & proinde non eſt confundenda cum altera, nec ex abſentia alterius inferenda eſt abſentia iſtius; præcipue cum gratia orandi, ſit ſæpe cauſa gratiæ juvantis, & medium ad ipſam, quæ maxime debent eſſe diſtincta : & præterea valde notandum eſt illud adjectivum, tale, quod ſpecificat adjutorium, & determinat illud ad certum aliquod adjutorium, & non extendit ad omne : nam ſi ibi voluiſſet innuere, quod aliquando omne adjutorium nobis deeſt, non debebat dicere : nunc vero quibus deeſt *tale* adjutorium : ſed debebat dicere : nunc vero quibus deeſt adjutorium, jam pœna peccati eſt. Ex quo manifeſtum eſt, quod loquebatur de ſpeciali adjutorio Adami, quod eſt proximum, & juvans, non vero de noſtro communi, quod non eſt ſemper juvans, ſed aliquando poſtulans, & impetrans adjutorium, ut fit in actibus virtutum heroicis, atque difficilibus ſecundum Auguſtinum.

Verum contra objicies, & dices, ſi ibi loquitur tantum Auguſtinus de gratia juvante, & proxima, quæ aliquando deeſt nobis, non vero etiam de remota, ſeu de gratia orandi : ſequitur quod gratia orandi, ſeu remota non eſt ſufficiens ad præceptum implendum, quandoquidem dicit ibi quod ſi gratia illa proxima defuiſſet Adamo, ſine culpa cecidiſſet, id eſt ſine ſua culpa non impleſſet præceptum, quod verum eſſe non poteſt, niſi quia ſine illa gratia impotens fuiſſet ad præceptum implendum, & proinde ſequitur, quod iſta alia gratia, quę eſt orandi, non ſufficiens ei fuiſſet, etiamſi ei adfuiſſet, nec proinde eſt ſufficiens nobis.

Reſpondeo quod in loco allegato dicitur quidem quod Adamus excuſatus eſſet à culpa, ſi talis ei gratia defuiſſet, & ſic pręceptum obſervare non potuiſſet, ſed non explicatur ratio, cur ſi talis ei gratia defuiſſet, & ſic præceptum obſervare non potuiſſet, excuſatus eſſet à culpa. Ego autem nego, eum excuſatum fore à culpa propter abſolutam impotentiam, quæ tunc eſſet in eo ad præceptum implendum, ut prætendit objectio, ſed tantum propter certam impotentiam, quæ tunc ei inflicta eſſet, injuſte, vel quaſi injuſte, propter quam inju-

ſtitiam, vel quaſi injuſtitiam, non teneretur præceptum obſervare; nec ad id ullam gratiam, aut ullum auxilium invocare.

§. VI.

proxima

Proponitur vera ratio, cur Adamus non peccaſſet ſicut & nos, ſi gratia ei defuiſſet, & ideo præceptum non obſervaſſet: & de duplici merito, quorum unum eſt contrarium gratiæ, alterum vero non.

PRo quo ſciendum eſt quod cenſuit Auguſtinus, creaturæ innocenti deberi regnum cœlorum: unde ſæpe dicit contra Pelagianos, quod ſi parvuli nati fuiſſent ſine peccato originali, & ita mortui eſſent, non

Libro 3. contra Iul. cap. 12. circa init. ſic ait: *quare nihil merentes tot in parvulis imagines Dei, ſi non baptiſentur non admittitis in regnum Dei*; numquid ipſi ſibi defuerunt ut *priventur regno*, ut tam luctuoſo *puniantur* exilio. Et paulo poſt *qua iuſtitia* quæſo, *à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgreſſa legem Dei.* Et libro 6. c. 10. circa finem: *quid* igitur *offenderant eum*, quos pariter innocentes, mundos (in ſuppoſitione Pelagianorum) à ſe ad imaginem ſuam creatos, innumerabiles ab iſto munere alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis prævenit beneficij largitate, ſeparans tot imagines ſuas à regno ſuo ..... *ſi nihil meruiſſent, numquam privarentur in communi cauſâ communione tanti boni.* Et libro 1 operis imperf. cap. 48 ſic ait Iuliano: ſi Deum Patriarcharum colis; quare non credis, circumciſionem octavi diei, quæ præcepta eſt Abrahæ, præfigurationem fuiſſe *regenerationis in Chriſto*: hoc enim ſi crederes, videres, non potuiſſe *juſte* animam parvuli exterminari de populo ſuo, ſi die non circumcideretur octavo, *niſi alieno fuiſſet obligata peccato.* Et Epiſt. 106 ante med. hæc maſſa, ſi eſſet ita media, ut quemadmodum nihil boni, *nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam.*

potuiſſent juſte à Deo privari regno cœlorum: ex quo ſequitur quod cùm creaturæ innocenti debeatur regnum cœlorum, debeantur ei etiam media ad illud conſequendum per ſe ordinata. Unde libro 2. ad Bonif. c. 7. circa med. arguit contra Pelagianos, quod parvuli non naſcuntur innocentes, cùm aliqui eorum ſine baptiſmate (quod eſt medium pro eis per ſe ordinatum, & neceſſarium ad conſequendum regnum æternum) decedant: nam ibi ponens exemplum de geminis, quorum unus baptiſatus eſt, alter vero non, ſic ait: in illo qui baptiſatus eſt, gratiam Dei vos confiteri cogimus, & meritum ejus nullum præceſſiſſe convincimus: *de illo autem ſine baptiſmate mortuo; cur ei defuerit ſacramentum, quod & vos fatemini omnibus ætatibus neceſſarium, & quid iſto modo in eo fuerit vindicatum*, vos videritis, qui non vultis eſſe originale peccatum. Ubi vides, Auguſtinum prærequirere culpam, ad hoc ut quis juſte privetur hoc medio, alioquin eo injuſte privari, tanquam aliquo ſibi debito quo nemo debet privari ſine culpa. Et ſub finem capitis, ſic ait loquens de eodem non baptiſato: tacitus quærit à vobis, unde fuerit à fraterna fœlicitate diſcretus; cur illa infœlicitate *punitus, ut* illo in Dei filium adoptato, *ipſe non acciperet omnibus ætatibus neceſſarium*, ſicut fatemini, *ſacramentum* (ecce quomodo punitus,

ſcilicet per privationem baptiſmi, ſibi ob innocentiam debiti, ſicut & alteri; tanquam medij neceſſarij, & per ſe ordinati ad conſequendum regnum cœlorum) ſi quemadmodum nulla eſt fortuna, vel fatum, vel apud Deum acceptio perſonarum, ita nullum eſt gratiæ ſine meritis donum, *nullum originale peccatum*: ubi vides Auguſtinum ſupponere debitum fuiſſe iſti parvulo (in ſuppoſitione Pelagianorum innocenti) baptiſmum, cùm per privationem illius injuſtam, & iniquam, dicat eſſe punitum. Imo & in illo ipſo loco, è quo deſumpta eſt objectio: manifeſte innuitur, innocenti Adamo debitum fuiſſe illud, de quo loquimur, proximum auxilium ad conſequendum regnum cœlorum. *Nunc* autem, inquit, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt, quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, *non ſecundum debitum*. Per hoc clare innuens quod ante tempus noſtrum miſerum, ſeu tempus peccati, dabatur illud adjutorium, ut debitum creaturis illis innocentibus, Adæ ſcilicet, & Evæ, quod jus amiſimus per peccatum. Ex quo manifeſtum eſt, quod cum in ſententia Auguſtini, debitum eſſet Adę, ut innocenti, illud auxilium ſibi neceſſarium: ſi ei negatum fuiſſet, ſine culpa cecidiſſet, ſeu quod idem eſt, à culpa excuſatus fuiſſet, non ex eo præciſè, quod hinc impotens factus fuiſſet ad implendum præceptum, ſed ex eo directe, & formaliter, quod illius juri, vel quaſi juri, non ſatisfactum fuiſſet: nec enim poterat cauſari contra eum, quod petere illud debuiſſet, cùm certum ſit, quod nemo tenetur petere, id quod ſibi debitum eſt, & quod debet ei reddi etiam non petenti: unde ſi ei datum non eſſet, ſed negatum tale adjutorium, potius ſecundum Auguſtinum accuſandus Deus eſſet, de injuſta iſta privatione, & inde ſecuta tranſgreſſione præcepti, quam Adamus de omiſſione orationis ad obtinendum illud idoneæ, cùm ad orandum, & petendum illud adjutorium obligatus non fuiſſet. Et hæc eſt vera ratio, cur Auguſtinus dixit: quod ſi Adam non habuiſſet illud adjutorium, ſine culpa cecidiſſet, quia nempe ſine illo non poterat agere, & non tenebatur illud petere: & quod ſi nobis denegaretur, tunc etiam culpabiliter caderemus (ut dicit poſtea) quia nempe cùm illud nobis indebitum ſit, ut expreſsè dicit ipſe in textu, tenemur illud petere, &, ſi non petimus hinc cadendo culpabiles ſimus: ex quo nihil ſequitur contra gratiam orandi ut ſufficientem: Cùm ibi non excuſetur Adamus ab impletione præcepti, præciſe ob impotentiam ſuam, ſed ob injuſtitiam ſibi factam, ſcilicet ob negatum injuſte adjutorium ſibi debitum, & neceſſarium ad implendum præceptum.

Sed dices ſi illa auxilia erant Adamo debita, non erant gratię divinæ, cùm gratia, & debitum opponantur ad invicem ſecundum Auguſtinum: ſed illa auxilia vocantur gratię ab Auguſtino: ergo non erant debita Adamo ſecundum Auguſtinum.

Reſpondeo neg. Maj. & ejus probationem: non enim omne debitum opponitur gratiæ ſecundum Auguſtinum, ſed ſolùm illud debi-

tum, quod est ex operibus antecedentibus, non autem illud, quod est ex habituali quodam statu, cui connaturaliter convenit aliquid, quod sine aliqua injustitia, seu indecentia, negari ei non potest, & non est proprie meritum. Unde nihil umquam aliud reprehendit in Pelagianis Augustinus, quam illud meritum, seu debitum quod fundabatur in operibus, quod est proprie dictum meritum, & oppositum gratiæ, juxta illud Apostoli Rom. 11. *si autem gratia, jam non ex operibus*, quod ideo fere semper inculcat Augustinus contra eos, ut retundat illorum superbiam, qui volebant nos mereri gratiam Dei per opera præcedentia, quibus operibus retribueret Deus gratiam, ut eis debitam. Unde cùm debitum, de quo loquimur, non sit hujusmodi, sed alterius prorsus naturæ, cum illud ortum sit ex statu quodam habituali (qui est innocentię) & non ex operibus, non opponitur gratiæ secundum Augustinum, sed bene compatitur cum ea, præcipuè cùm ille status sit ex Dei gratia, non enim fuit innocens Adam, aut fuissent innocentes parvuli, nisi ex gratia Dei, seu ex voluntate ejus gratuita, quia sicut liberum fuit Deo, eos creare, vel non creare, ita & liberum fuit, eos innocentes facere, aut non facere.

De hoc debito vide D. Th. 1. p. qu. 21. A. 1. ad 3.

Hæc autem omnia confirmantur ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. initio ubi ait: datur ergo unicuique sine merito unde tendat ad meritum, & *datur ante ullum laborem*, (ecce quod rejicit gratia, seu id cui gratia opponitur, scilicet omni merito, & debito proprię actionis, & laboris) unde quisque mercedem accipiat *secundum suum laborem*. Quod ita esse etiam Evangelicę veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis substantiam suam, & uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero unum *secundum propriam virtutem, id est secundum propriam, & naturalem possibilitatem* (ecce quod non opponitur gratiæ, cùm sit status, & non actus: sed ecce iterum quod opponitur ei scilicet actus) *non autem secundum proprium meritum*, quia *aliud est, posse operari, aliud operari* (ecce quomodo distinguit statum ab actu respectu gratiæ dandæ, quia non repugnat dari ob statum, sed repugnat dari ob actum) & aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse continentiæ, justitię, sapientiæ, aliud vero esse continentem, justum, atque sapientem. Et infra: denique isti quibus *secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis destributor prævidebat, dispar creditus est numerus talentorum* (ecce adhuc vides, quod dari aliquid secundum statum non repugnat gratię, sed tantum dari secundum actum, seu meritum, ut mox sequitur, *non meriti remunerationem*, sed operis recepere materiam. Sed & ipse Augustinus idem clare innuit libro 4. contra Iul. c. 3. non valde longe ab initio, ubi cum dixisset Julianus: bonam hominum naturam, quæ talis *gratiæ opitulationem meretur. Sic respondet ei: quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis natura est, diceres* (ecce admittit meritum naturæ humanę, ut ipsa est quid permanens habitualiter; non esse contrarium

gratiæ, quod & ſic explicat) neque enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, lapidibus, aut lignis, pecoribuſque præſtatur, ſed *quia imago Dei eſt* (quod eſt quid habituale in homine) *meretur hanc gratiam* (ecce nunc ſequitur, quomodo vult, actum meritorium eſſe oppoſitum gratiæ) *non tamen, ut ejus bona voluntas* (id eſt volitio) *poſſit præcedere præter gratiam*, ne vel ipſa prior det, ut retribuatur illi, ac ſic gratia jam non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur debita. De quo ſi plura adhuc videre cupis vide diſputationem noſtram de prædeſtinatione ad gloriam part. 2. S. 3. §. 5. puncto 2.

Licet autem hæc vera ſit, ut opinor, ſolutio & ſecundum mentem Auguſtini: ſi cui tamen non placeat, accipiat hanc, ſcilicet quod, etſi concederetur quod gratia orandi non fuiſſet ſufficiens in Adamo, poſſet tamen eſſe ſufficiens in nobis, propter promiſſionem Chriſti de dando nobis infallibiliter eo omni quod peteremus à Patre ſuo in nomine ejus, & ſecundum omnes conditiones ad veram orationem requiſitas, quæ tam ampla & magnifica facta non fuerat Adæ promiſſio. Vnde non tam potens erat vis orandi in eo, quam in nobis. Vnde etiam patet quod, etſi concederetur eam non fuiſſe ſufficientem in eo, non tamen ſequeretur eam non eſſe ſufficientem in nobis. Verumtamen prima ſolutio eſt omnino tenenda ſecundum Auguſtinum.

§. VII.

Quibuſdam aliis reſpondetur oppoſitionibus.

QUantum autem ad locum, quem afferunt adverſarij ex Epiſtola ad Sixtum: dico eum non eſſe ad rem, cùm non ſit de cauſa privationis gratiæ ob peccatum præcedens, ut volunt adverſarij, ſed ſit de peccato originali, ut cauſa damnationis eorum ad mortem, qui aliunde ſe veluti excuſare poſſent ab obſervatione præcepti: vel quia non acceperunt legem, vel quia nihil audierunt de Evangelio, nec audire potuerunt. Quod ut clarius agnoſcas, adducendus eſt locus, cum antecedentibus, & conſequentibus, à quibus pendet ſenſus ejus. Dei, inquit, juſtum judicium, nec illis parcit, qui non audierunt: quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt, & quamvis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus quo male uſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam *quod tranſiret in poſteros, manaſſe peccatum* (vides ſermonem eſſe de peccato originali, eoque, ut cauſa damnationis æternæ, ut mox ſequitur) *neque enim damnantur qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo, ante propria in ſingulis quibuſque peccata, omnes communiter*

peccaverunt (ubi adhuc vides, sermonem esse de peccato originali, & de damnatione aliquorum propter illud, non verò de privatione omnis gratię ad servandum pręceptum necessariæ; ut volunt adversarij) ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel *reatu originis* (si nempe moritur ante tempus ratione utentis ætatis, vel si amens fuerit perpetuus, aut ejusmodi) vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat (ut prædicti) sive qui judicat, sive qui non judicat: quia & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt (& per hoc potuerunt) sine dubitatione peccatum est, in eis autem qui non potuerunt (quemadmodum prædicti) pœna peccati: ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa *damnatio*. Vbi vides, solùm sermonem esse de damnatione æterna ob peccatum originale eorum, qui non potuerunt credere, ut sunt parvuli, amentes perpetui, aut hujusmodi: non vero de negatione omnis gratiæ ad præceptum implendum necessariæ. Imo vero innuit ibi contrarium in adultis ratione utentibus, cum dicat quod ipsi noluerunt, quod indicat, quod potuerunt secundum sensum Augustini.

Nota quod etsi parvuli, & amentes perpetui, non potuerint per se salvari: potuerunt tamen per alios, qui potuerunt eos perducere ad baptismum, ut infra ostēdemus in 2 parte in conclusione particulari de parvulis.

Quantum autem ad locum qui est ex lib. de corrept. & gr. cap. 6. quem paulo infra referam opportunius: tantum abest, quod sit de privatione omnis gratiæ sufficientis, ut volunt adversarij, quin potiụs supponit gratiam sufficientem, cùm sit tantum contra pigros, & desides, qui nolebant ea uti ad obtinendam charitatem, seu gratiam justificantem, ut præcepta facerent, usque adeo ut nollent ipsi orare, sed alios solùm pro ipsis, ut haberent istam charitatem, quorum voces refert Augustinus, ubi dicunt: cap. 4. si (præcepta) non fecero, non ego corripiendus sum, *sed ille orandus est*, ut det quod non dedit, id est ipsam, qua præcepta ejus fiant fidelem *Dei & proximi charitatem*: ora ergo *pro me* ut hanc accipiam & per hanc ex animo cum bona voluntate, quæ præcipit, faciam: recte autem corriperer, si eam mea culpa non haberem (per quod non intelligebant, quod non possent eam petere, & obtinere, & ideo nollent, sed quia volebant eam sibi dari sine sua petitione, ut patet ex eorum explicatione) hoc est si eam possem mihi dare, vel sumere ipse (propria scilicet authoritate, non autem humiliter petere) nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem (ecce parati sunt accipere, sed nolunt petere, ut accipiant) cùm ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur; cur me corripis, quia vides me ejus pręcepta facere nolle, & *non potius ipsum rogas* (ecce volunt pro se orari, sed nolunt ipsi orare) ut in me operetur & velle. Unde & reprehenduntur ab Augustino capite sequenti, quod nollent orare, & quærere medicinam suorum vitiorum: quod satis arguit, quod id habebant in potestate. *Non vis*, inquit tua vitia demonstrari: *non vis ut feriantur*: *fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras*; *non vis tibi tu ipse ostendi*, ut cùm deformem te vides, *reformatorem desideres, eique supplices* ne in illa remaneas fœditate, & infra. Quod

enim vult pro se fieri, qui corripi non vult, & *dicit*: *ora potius pro me*, ideo corripiendus est, *ut faciat* (id est oret) etiam ipse pro se. Quid clarius pro ostendendo, quod habebant gratiam orandi, sed nolebant ea uti. Quod & late deinde prosequitur: sed veniendum est ad textum objectum qui est in sequenti capite 6. ubi cum dixissent: Apostolus ait: quis enim te discernit; quid autem habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis, cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur; quid facimus, qui non accepimus (scilicet charitatem qua præcepta faciamus, ut supra jam vidimus, & infra videbimus) sic respondet Augustinus, & est textus objectus: qui hæc dicunt, extra culpam se videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo: quia utique ipsa obedientia munus ejus est, quæ necesse est, ut insit ei, cui charitas inest (ecce propter quod volebant sibi infundi charitatem, ut scilicet proxime, & immediate obedirent preceptis, id est volebant sibi infundi gratiam proximam, & juvantem ad præcepta implenda, quam non habebant, & ad eam obtinendam nolebant uti gratia remota, seu orandi quam habebant) quæ sine dubio ex Deo est, & dat eam pater filiis suis. Hanc, inquiunt, non accepimus (ecce clare vides sermonem esse de charitate, seu de gratia proxima, & non de remota, ut putabant adversarij) quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis *daré* possimus, & nostro arbitrio *dare* nolimus (non dicunt petere nolimus, supra enim vidimus quod poterant petere, sed nolebant, volebant quidem accipere, volebant eam sibi dare, & sumere, quæ omnia superba, & præsumptuosa sunt, sed nolebant eam suppliciter petere) quibus sic respondet Augustinus, quæ sunt verba nobis objecta. Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur objurgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit hominem rectum (& propterea dederat ei charitatem supra dictam, & auxilia proxima ad obediendum propter innocentiam suam ei debita, ut supra vidimus) ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum (qui propterea illum, & nos ista charitate, & auxiliis proximis spoliavit, ob innocentiam amissam per peccatum, in illo actuale, in nobis autem originale) ac per hoc, prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine est (ubi homo sumitur specificè; & vult dicere Augustinus, quod cùm à nobis fuerit prima inobedientia, tum cùm habebamus in Adamo innocente auxilia proxima, & facilia ad eam evitandam, æquum est, quod iis privemur, quandoquidem illis male usi sumus) quia ex rectitudine (id est ex innocentia) in qua eum primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus, ibi indicatur peccatum originale, seu amissio innocentiæ quæ est causa privationis gratiarum proximarum in nobis: ibi enim loquitur de homine in peccato originali existente, ut patet ex his verbis. Nec attendunt si nondum regenerati sunt, &c. & vult

I ij

eum corripi de peccato isto originali, ut petat à Deo gratiam regenerationis, seu baptismi, nec eum vult excusari eo quod peccatum illud suum sit commune toti naturæ, & non proprium suæ, quia sufficit, quod eo irretitus sit, sicut & cæteri, ut conari debeat ab eo exolvi, petendo, & quærendo per gratiam remotam, ut Deus ejus misereatur, & ipse non expectet sibi infundi immediate charitatem, ut volebant isti, quos Augustinus hîc redarguit) non enim propterea cujusquam non est, quod ab ea nullus immunis est. *Peccata* quidem *ista originalia* ideo dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt, sed non sine causa dicuntur, & nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt. Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, (id est, ut supra dixit, ut fiat illi homini nondum regenerato, utilis dolor, *quo medicum quærat* & ut cùm deformem se viderit, *reformatorem desideret eique supplicet*, ne in illa remaneat fœditate) si tamen, qui corripitur, filius est promissionis (id est, si prædestinatus sit ad gratiam baptismi, seu adoptionis filiorum, quæ promissa nobis fuit in Abraham patre omnium credentium) ut strepitu correptionis forinsecus insonante, atque flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur, & velle (soli enim prædestinati ad gratiam, habent istum effectum, sed non soli habent hanc potentiam) ibi ergo solùm loquitur de privatione charitatis, ✝ seu gratiæ proximæ, & rejicit solùm excusationem eorum, qui non habentes talem gratiam, nolebant obedire, nec Deo, nec hominibus, & vult eos corripi, ut videntes suam deformitatem, *desiderent reformatorem*, & videntes suam infirmitatem, *quærant medicum*, *& orent ad Deum*, ut eorum misereatur: quod supponit gratiam orandi, seu remotam, & solam excludit gratiam proximam, seu fidelem Dei, & proximi charitatem, cum debitis sibi auxiliis proximis, quod libenter admittimus, nec est contra id quod hîc contendimus.

✝ Nota ex his, aliquando Augustinũ sumpsisse gratiam proximam, seu juvantem, ut quid habituale, qualis est charitas, cùm debitis sibi auxiliis, & non solum ut quid. actuale.

§. VIII.

Multis aliis respondetur objectionibus de excæcatis, & obduratis: ubi & quædam adversariorum impostura detegitur.

AD locum autem ex libro de perfectione justitiæ c. 6. ubi ait Augustinus: ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato, quia sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non possit.

Respondeo id non esse de negatione gratiæ sive proximæ, sive remotæ, sed tantum de diversitate gratiæ Adæ, & lapsorum hominum: quia Adam sine gratia in voluntate necessaria, poterat superare omne peccatum, nos vero non sic, quia ob resistentiam concupiscentiæ nobis innatæ, necessaria nobis est in voluntate gratia, sine qua non potest voluntas nostra, ut ait Augustinus, *sola* superare omne pec-

catum: poterat autem *sola* voluntas Adæ, cum gratia in intellectu præsupposita, cùm careret impedimento concup. sibi in bono resistentis.

Quantum ad locum illum qui est ex quæst. 14. super Matth. ubi dicunt adversarij, ideo censuisse Augustinum, obduratos esse culpandos, quamvis jam excæcati videre non possint, quia impotentiam illam excæcationis sua culpa meruerunt.

Respondeo illos falsò supponere, excæcatos privari omni gratia: licet enim ibi dicat Augustinus illos excæcatos (scilicet Judæos) non potuisse credere: dico 1. illam impotentiam non fuisse veram, sed impropriam, in hoc fundatam, quod illi nollent credere, etsi possent, ut alibi ostendimus & mox ostendemus ex ipsomet Augustino. Dico 2. illam impotentiam non consistere in privatione omnis gratiæ, sed in privatione solius gratiæ proximæ, seu juvantis, non vero remotæ & orantis. Solebat enim Augustinus, ut diximus, gratiam proximam vocare gratiam simpliciter: unde non est mirum, quod cùm hi privati essent tali gratia, dicat Augustinus, privatos esse gratia simpliciter, & esse impotentes, quia non habebant gratiam, qua possent, licet haberent gratiam orandi qua impetrarent unde possent, si vellent, juxtà illud Augustini lib. de gr. & lib. arb. cap. 16. init. ubi ait: jubet Deus aliqua quæ non possumus ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ubi vides impotentiam agendi, & tamen potentiam orandi, & etiam impetrandi, ut sequitur: ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat, quod certe sufficit ad salutem. Quando autem dicitur, quod illa excæcatio imponitur in pœnam præcedentium peccatorum: hoc non arguit, illam consistere in privatione omnis gratiæ, satis enim magna est pœna, privari gratia proxima, & efficaci, quam habuissent, si peccata illa non præcessissent. Nam quod illi excæcati, scilicet Judæi, de quibus est prædicta objectio, non fuerint omni gratia sufficiente privati, satis aperte declarat Augustinus lib. de gr. & lib. arb. cap. 12. init. dicens: quod *ideo* illi Judæi non credebant, *quia gratiam repellebant*. Ubi vides, incredulitatem eorum, seu excæcationem eorum in non credendo in Christum, non fuisse ex absoluta impotentia, seu ex omnis gratiæ sufficientis absentia, & carentia, sed ex eorum pervicacia libera, & indifferente, qua pertinaciter gratiæ datæ resistebant, qua gratiam contemnebant, qua gratia sibi data uti nolebant, & ideo, ut ait, non credebant.

Tractatu de indifferenti &c. parte 2. sect. 6. in verbo indurare.

Multa deinde habent adversarij ex Apostolo, & Augustino, quasi essent de privatione omnis gratiæ sufficientis, sed sunt tantum de privatione gratiæ efficacis, aut proximæ sufficientis, sed ut plurimum gratiæ efficacis, cùm in illis locis solùm mentio fiat de actu, & non de potestate sublata bene agendi, ut patet ex verbis illis, misereri, & misericordiam, quæ ibi habentur, per quæ solet Augustinus significare gratiam efficacem, & ex illa explicatione gratiæ, de qua ibi loquitur Augustinus, cùm ait: esse gratiam, unde bene *viverent*: quæ indicat actum, & per hoc gratiam efficacem, & etiam ex verbo libe-

In nostra disput. de prædestin. parte 1. sect. 1. § 16. puncto 3. circa med.

rari, frequenter ibi repetito, quod significat actum, & non solùm potentiam, ut alibi explicuimus: & satis per se notum est, cùm non liberetur captivus, nisi actu eximatur è carcere. Ad id autem quod dicunt: nihil capitalius adversari Augustino, aut directius ab ipso destrui, quam quod nemini, post lapsum, gratiam deneget: Respondert posset, quod sicut id gratis asserunt, ita & gratis negari posset, sed tam falso id asserunt, ut dissimulari prorsus non possit, cùm expresse dicat Augustinus libro 3. de lib. arb cap. 19 in suis retractationibus approbato: *nulli hominum subtractum esse scire utiliter quærere* quod inutiliter ignorat. Per quod declarat, omni, & cuilibet homini gratiam sufficientem quærendi, & orandi, & pulsandi ad Deum esse collatam. Et cap. 20. asserit, Deum esse daturum illis petentibus, demonstraturum quærentibus, & pulsantibus aperturum. Ut per hoc patefiat istam gratiam esse valde sufficientem, licet remotam, cùm impetratura sit proximam, si eam petat, quod multis aliis textibus, & rationibus ex Augustino depromptis, facile demonstraremus, nisi quia id jam aliquomodo demonstravimus in præcedentibus, & etiam in sequentibus demonstraturi sumus.

Sed valde notanda est illa responsio, quam adhibent huic textui Augustini eis objecto. Nemo peccat in eo, quod vitare non potest. Qui textus secundum substantiam, est in libro 3. de lib. arb. cap. 18. & in libro de nat. & gr. c. 68 cui respondent adversarij dicentes: quid ergo, si hæc ita sint (quasi scilicet ibi Augustinus non loqueretur secundum veritatem, quia non loquitur secundum eorum intentionem) insultius, & ineptius, quam hominibus peccata sua contra Dei querelas excusantibus, quod ab ipso excæcati, atque obdurati, & à gratia deserti sunt, per quæ suppliciosa fatente, docenteque hoc Augustino, tàm impotentes ad bene vivendum facti sunt, ut nequidem videre possint, quod eligendum est bonum: voluntatemque habeant durissimam, & adversus Deum omnino inflexibilem, Talibus, inquam, excusationibus *nihil aliud* Dei conquerentis patrocinio proferre, quam gratiam esse quæ subtrahitur, iustamque peccatorum pœnam, quæ infligitur. Ubi multum imponunt adversarij Augustino: nam falsum est, quod querimoniis, seu excusationibus peccatorum *nihil aliud* respondeat Augustinus, quam, gratiam esse, quæ subtrahitur, iustamque &c. clare enim respondet, gratiam sufficientem eis datam, & talem, cui etiam multi consenserunt: nam cum proposuisset eorum querelas lib. 3. de lib arb. cap. 19. dicens: hic occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui, quodlibet aliud in peccando, quam se, accusare parati sunt. Dicunt enim &c. mox subdit: quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. *Recte* enim *fortasse quererentur, si erroris, & libidinis, nullus hominum victor existeret* (ecce illa gratia sufficiens contra errorem, & libidinem data, non est imaginaria, cùm ei actu quandoque consentiatur: sed audi quam ampla, quam multiplex, quam

longe, lateque diffusa sit) cùm vero *ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem* (quid magnificentius, & multiplicius ista gratia sufficiente) *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras* (certe vides illos non fuisse impotentes, ut dicunt adversarij, cùm fuerint negligentes) neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod *volentem sanare contemnis.* [certe nec isti carebant gratia medicinali, cùm medicum contemnerent, eos sanare volentem: & deinde subdit textum supra allatum, qui clarissimus est de gratia sufficiente, pro omnibus, scilicet: *nulli* enim homini ablatum est, scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat &c. Ergo vides, quantum imponant adversarij Augustino cùm dicunt: quod prædictis querimoniis, & excusationibus nihil aliud pro Deo respondet Augustinus, quam, gratiam esse quæ subtrahitur, justamque peccatorum pœnam, quæ infligitur: cùm è contra respondeat, ipsam gratiam esse donatam, sed neglectam, & contemptam, & rejectam, non vero subtractam: imo vero expresse dicit: nulli homini ipsam esse ablatam: quo nihil dici poterat clarius, pro gratia suffic. omnibus, & singulis data, contra calumniam adversariorum.

Nec vero his contraria sunt ea quæ ibidem habent: scilicet, quod illi deserti, & obdurati, tam impotentes facti sunt ad bene vivendum secundum Augustinum, ut nequidem videre possint, quod eligendum est bonum. Illa enim impotentia, non est plena, & perfecta, sed tantum imperfecta, & secundum quid, cùm tantum careat gratia proxima, quæ est posse cognoscere bonum eligendum (de qua solùm ibi mentio fit) non vero etiam remota, quæ est posse petere, & obtinere cognitionem illam. Quantum autem ad id quod addunt ex eodem Augustino, scilicet: voluntatemque habeant durissimam, & *adversus Deum* omnino inflexibilem. Tantum abest ut hoc indicet carentiam omnis gratiæ in illa voluntate, ut prætendunt adversarij, quin potius indicat voluntatem resistentem multis, & magnis (quas habebat) gratiis, adversus quas (quod exprimit Augustinus his verbis *adversus Deum*) obstinatissimam se reddit, ac durissimam, & omnino inflexibilem: quid enim diceret Augustinus: *adversus Deum* inflexibilem, nisi per hoc agnosceret eam ipsi Deo resistentem, quod sane non solùm arguit gratiam communem sufficientem datam, sed etiam plusquam talem sufficientem, & singularem, ita ut mirum esse indicet, illam ab ea non esse flexam voluntatem, nec duritiem ejus emollitam quod significant ista verba durissimam, & omnino inflexibilem, quæ non nisi per admirationem dicuntur tantæ duritiei, ac inflexibilitatis: ex quo valde repelluntur adversarij ab intento suo, cùm per hæc vellent probare carentiam omnis gratiæ in illis obduratis, & è contra reperitur, eos probasse, non solum adfuisse eis aliquas, sed etiam magnas, & singulares, & sufficientissimas gratias.

Quando autem dicunt: quod si homines habuissent gratiam sufficientem, nullam aliam excusationem allegare pro Deo debebat Augustinus quam istam: scilicet, quod habebant gratiam sufficientem, non autem dicere: quod gratia est quæ subtrahitur, & justa peccatorum pœna quæ infligitur. Respondeo quod utrumque potuit rationabiliter respondere, ut respondit. Nam cùm gratiam illam haberent, quæ sufficit ad implenda præcepta, potuit respondere. Quod habebant illam, ut respondit libro 3. de lib. arb. cap. 19. prout paulo supra vidimus. Et quià carebant gratia proxima, vel efficaci: bene etiam potuit respondere, & vere respondit in locis ab iis citatis, quod gratia est quæ subtrahitur, & justa est pœna, quæ infligitur: quia utraque gratia, vere gratia est, quę ideo subtrahitur, & conceditur à Deo pro libito, & etiam justa est pœna, quæ infligitur, cum juste propter peccatum subtrahatur. Unde non bene infertur contra nos: quod, quando dixit Apostolus: ô homo tu quis es, qui respondeas Deo, voluntati enim ejus quis resistit: volumus eum defecisse in responsione, contra querelas peccantium: nam dicimus eum sic respondisse ratione prædictarum gratiarum, scilicet proximę, & efficacis, quas Deus subtrahit quando vult, & largitur quando vult: non vero ratione remotę, quæ sita est in potentia orandi, aut aliqua facilia agendi, quibus obtineatur proxima, per quam, præceptum instans impleatur, vel tentatio premens superetur: cùm hæc gratia, neque in locis ab adversarijs, citatis, neque alibi, appareat subtracta, sed solùm duæ prædictæ, ut satis hucusque demonstravimus.

§. IX.

Examinantur quidam modi, quibus absolute impossibile dicitur possibile, et non excusans à peccato in transgressione mandati.

SEd jam transeundum est ad illos modos, quos plurimos enumerant, & explicant adversarij, quibus possibile præceptum dici queat: quorum ultimum solùm admittunt, ut sufficientem, quia semper conjungitur cum effectu, quasi necessarium esset gratiæ Christi sufficienti, ut etiam effectum haberet, quod late confutavimus sub nomine gratiæ medicinalis in nostra disputatione de prædestin. ad gloriam. Quapropter hoc negato, ut jam satis confutato, videndum est, quid respondeant ad argumentum nostrum de possibilitate pręceptorum: ubi nihil aliud dicunt, quam quod jam dixerunt: scilicet, quod peccantibus gratia sufficiens non datur, nempe illa quæ simul est efficax: & quod sufficit, ad hoc ut homo peccans inexcusabilis sit, quod alijs modis infra explicandis possit implere, licet tunc non magis possit illud implere, quam sine alis volare. Cur autem in hoc statu non excusandi sint peccatores, duplicem rationem afferunt: quarum prima

1. parte sect. 3 § 10. toto sed præcipue punct. 15. 16. 17.

ma eſt, quia illa impotentia non eſt antecedens, ſeu non eſt cauſa, cur homo non impleat præceptum, quia, inquiunt, non ideo peccant homines, quia non poſſunt abſtinere à peccato, quamvis revera non poſſint, ſed idcirco peccant, quia non volunt, neque vellent abſtinere, etiamſi poſſent, quod ex eo perſpicuum eſſe dicunt, quia neſciunt ſe non poſſe. Sed hoc eſt divinare, & vaticinari potius, quam ratiocinari: unde enim ſcis, quod nollent abſtinere à peccato, etiamſi ad non peccandum ſufficerent: quandoquidem carent illa potentia, qua poſſent excitari ad illud nolle; neſcisne, potentiam illam non eſſe mortuam, & jacentem, ſed eſſe excitantem, ſuadentem, & moventem ad implendum præceptum, & per hoc ad nolendum peccare: quæ ſuaſiones, & excitationes ſunt per ſe ordinatæ, & aptę natę ad movendam voluntatem ad agere, id eſt ad velle, aut nolle; quare ergo dicis, quod iſti ſic excitati nollent abſtinere à peccato, & à transgreſſione præcepti, etiam ſi poſſent, cùm potius dicendum eſſet, quod vellent abſtinere, ſi taliter poſſent: id eſt, ſi ita ſuaſi, & excitati à gratia eſſent, præcipuè cùm gratia, ſeu illa potentia, ſit, ſecundum Auguſtinum, ſuavitas quædam, & dulcedo, qua ſuave fit, & delectabile præceptum, & ſic multum minuat difficultates, quæ ſolent nos abſterrere ab impletione præcepti. Ibi mutas ſtatum, & facis eſſe oppoſitum præcedenti, & tamen idem colligis, & non mutas illationem: contrarium potius deberes inferre, & ſic dicere ſaltem ſub dubitatione: voluntas non excitata non agit, forte ſi excitaretur, ageret: & tu dicis è contra: voluntas non excitata non agit: ergo etiamſi excitaretur, non ageret; quis non videat manifeſtam iſtius collectionis falſitatem: vix enim hoc vere dici poſſet de viribus corporis, quæ non excitant corpus ad currendum, & ad ambulandum: forte enim vegetum corpus, & robuſtum curreret, & ambularet, quod non currit, aut ambulat infirmum, & invalidum: quanto ergo minus id vere dici poteſt de viribus gratiæ datis animæ, cùm non quomodocumque firment, & roborent eam, ſed ita firment, & roborent eam, ut etiam excitent eam ad currendum, & ad ambulandum in via Dei, & ad hoc directiſſime & formaliſſime datæ ſint. Quod autem colligunt eos eſſe nolituros abſtinere à peccato, ex eo quod neſciunt ſe poſſe abſtinere: prorſus male colligitur, quia ſi poſſent velle abſtinenere à peccato, excitarentur ad illud velle, cùm illa potentia, & illa excitatio, unum, & idem ſint: ergo ſi poſſent abſtinere, ex tunc excitarentur ad illud velle, etiamſi neſcirent ſe poſſe velle: quia actio gratiæ, ſeu illa excitatio, non pendet à ſcientia, vel neſcientia ſubjecti, cùm ipſa agat in nobis ſine nobis, ut indicat Auguſtinus lib. de gr. & lib. arb. cap. 17. ergo ſi poſſent velle abſtinere, excitarentur ad illud velle, etiamſi neſcirent ſe poſſe: & ſi excitarentur ad illud velle, potius hinc arguenda eſſet actio voluntatis, ſeu ejus volitio, cùm excitationes illæ, per ſe ordinatæ ſint, & aptæ natæ ad movendam voluntatem ad agere, & ut agat (ut dictum eſt) ſuavia faciant

omnia & minuant difficultates obſiſtentes concupiſcentiæ; quis ergo non videat prorſus male colligi: iſtos eſſe nolituros abſtinere à peccato, etiamſi poſſent: id eſt, etiamſi excitarentur ad velle, ex eo quod neſciunt ſe poſſe: cùm illa neſcientia prorſus impertinens ſit ad noſtrum velle aut nolle (cùm ſic excitamur ad volendum) quandoquidem iſta gratia, ut prædictum eſt, agit in nobis ſine nobis, & proinde ſine ſcientia aut cum ſcientia ſubjecti. Sed etſi concederetur, quod etiamſi poſſent abſtinere à peccato, nollent tamen abſtinere; dico quod, cùm falsò id putent, & à falſa iſta opinione ſemetipſos expedire non poſſint (cùm ſupponantur eſſe ſine gratia ſufficiente) iſti prorſus non peccant ſecundum Auguſtinum: ſi enim, inquit, *tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit, ſi ita eſt, nulla peccata ſunt*; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt: atqui per vos, non poſſunt ſe expedire ab iſta fallacia, ſeu falſa opinione, quod ſcilicet non poſſunt abſtinere à peccato, ſeu à tranſgreſſione præcepti: ergo tranſgrediendo præceptum non peccant. Præterea, ad verum peccatum ſecundum omnes homines requiritur libertas, ſed ibi non eſt libertas: nam ſaltem ad libertatem requiritur cognitio omnium requiſitorum ad actum: hinc enim eſt quod actus primo primi non ſunt peccata, quia cognitionem iſtam præveniunt: at ibi non reperitur iſta cognitio, cùm nequidem ſciant; an poſſint, an vero non poſſint abſtinere à peccato: ergo tranſgrediendo præceptum non peccant. Præterea cùm iſti ſecundum vos, tantum ideo peccent, quia ita volunt tranſgredi præceptum, ut, etiam ſi poſſent abſtinere, non vellent: manifeſtum eſt, quod non peccant præciſe in tranſgreſſione præcepti, de qua ſola agimus, ſed in aliquo alio antecedente, de quo non agimus, ſcilicet, in illa peſſima diſpoſitione, qua, etſi poſſent abſtinere, non vellent: quę cùm adeſſe, & abeſſe poſſit, (nec enim coguntur ad iſtam diſpoſitionem in ſe habendam, quæ nequidem forte eſt in damnatis, qui ſi poſſent, ut aiunt concionatores in Eccleſiis, pœnitentiam agerent, & longe plura, quam quæ olim eis fuere pręcepta, peramantiſſime facerent) manifeſtum eſt, quod non ſufficit ad ſolvendam difficultatem, quæ eſt in impoſſibilitate abſtinendi, cum ibi reperiatur poſſibilitas abſtinendi ab illa peſſima diſpoſitione, quę totalis cauſa peccati eſt, contra ſuppoſitionem faciendam. Denique fatendum eſt ſecundum ſenſum adverſariorum, aliquos peccare, qui ſciunt, aut putant, ſe non poſſe abſtinere: & ſic eorum ſolutio, quæ tota in contraria ſuppoſitione fundabatur, adęquata non eſt, nec ſatisfacit univerſaliter, cùm non habeat locum in omnibus peccantibus: nam ipſi adverſarij, qui ſibi perſuaſerunt homines lapſos non poſſe abſtinere à peccato, non ſunt impeccabiles: ſi ergo peccant aliquando, peccant, & ſi ſciant ſe non poſſe abſtinere. Ergo hîc eorum evaneſcit evaſio, qua dicebant peccantes peccare, etſi non poſſint abſtinere, quia non volunt, & non vellent ~~non poſſe~~, cum ecce ipſi adverſarij peccant, etſi ſciant, ut putant, ſe non poſſe abſtinere.

Lib 3. de lib. arb. c 18.

Unde bene videntes adversarij, istam rationem non esse firmam, transeunt ad secundam, dicentes: quod duplex est impotentia prçcepti implendi: una est, quæ supponit voluntatem, & ideo non potest, quia non vult: altera, quæ non supponit voluntatem, sed antecedit eam, ut qui caret breviario, non potest horas quas ignorat recitare. Hæc, inquiunt, eximit ab obligatione præcepti, illa vero non. Sed non viderunt adversarij quod primus modus coincidit cum secundo in quæstione quam agitamus secundum sensum eorum: nam quçrenti, cur homo nolit implere præceptum, in qua voluntate est formale peccati, necessariò dicendum est, quia non habeo medium necessarium ad volendum, sicut ille qui caret breviario excusat se de horis (quas nescit) recitandis, dicendo quod non habet medium sibi necessarium ad illas recitandas, quod est breviarium: ergo sicut iste ideo excusatur à recitandis horis, quia non habet medium recitandi, ita & ille à nolitione obediendi, quia non habet medium volendi, ut per se manifestum est, à qua si excusatur, etiam & excusabitur ab externa impletione præcepti, cùm formalis malitia, sit in actu interno, & non in externo, qualis est ordinarie transgressio præcepti.

Ad locos autem quos ibi adducunt pro confirmatione suæ opinionis, respondemus nihil in illis haberi de impotentia voluntatis ad implendum præceptum, sed tantum de illius negligentia, quæ est causa transgressionis præcepti: non negamus enim, quod si fortiter volumus, & sic perseveramus, adimplebimus præceptum: sed, si nolumus, seu negligimus istam impetrare voluntatem à Deo per gratiam remotam (quam habemus) orando, quærendo, & pulsando ad Deum, ut det nobis istam voluntatem, non implebimus præceptum, non quod non possimus illud adimplere, obtinendo adjutorium ad id proximum, sed quia satis non volumus, quia negligenter volumus, & media ad id necessaria adhibere nolumus, ut possumus, orando, quærendo, & pulsando ad Deum per prædictam gratiam, quæ nulli umquam deest, juxta illud Augustini: nulli enim homini ablatum est utiliter quærere, quod inutiliter ignorat &c. Nam ut bene monet Augustinus in aliquo locorum ab adversariis citatorum: ad implendum prçceptum, opus est velle fortiter, & integre, non semisauciam hac atque illac versare voluntatem, parte assurgente, cum alia parte cadente luctantem. Unde quantumlibet habeas gratiam orandi, si tamen nolis orare, seu nolis uti illa gratia, & timeas obtinere victoriam tentationis, ut nimis sæpe fit in tentationibus carnis, iræ, vindictæ, & similium, non ex impotentia peccabis, & transgredieris prçceptum, sed ex tepiditate, negligentia, levitate, & inconstantia tua, quæ non vult adhibere media, quç habet ad manum pro vincendis illis tentationibus, ut posset, juxta illud sapientis vult & non vult piger: vult vincere tentationem, sed non vult, sustinere laborem; quid mirum est si cadat, certe ibi est negligentia, & non impotentia. Male ergo concludunt adversarij ex illis locis Augustini, quod illi laborant impotentia, cùm sola irre-

Lib. 3 de lib arb. cap. 19.

Lib 8. confess. cap. 8.

Prover 13.

tiantur sua negligentia: certe in illis omnibus locis ne minimum quidem verbum est de impotentia.

Verùm supponentes, adversarij, quod illi sunt impotentes, dicunt tamen esse culpabiles, si pręceptum non impleant. Quia, inquiunt, possent si vellent, quod si noluerint, inquiunt. & ideo non potuerint; quis non eos dixerit pro ipsa tam perversa, obdurataque voluntate culpandos Ibi est non levis fallacia adversariorum, sed ipsi capiuntur in sua fallacia: nam vel intelligunt quod ex sua mera voluntate possunt implere præceptum & hoc Pelagianum, & hæreticum est, cùm neget gratiam ad bonum faciendum, aut ad malum fugiendum, esse necessariam. Vel intelligunt, quod possent, si vellent: id est, si voluntas eorum esset adjuta à gratia, & hoc nihil aliud est quam dicere. quod possent, si possent, cùm nihil possimus sine gratia: unde cùm supponant abesse gratiam, est dicere quod non possint: & sic est cavillari, seu ridere & non sincere agere. Vel intelligunt, quod si vellent, signum esset quod possent, & hoc nihil aliud est, quam nugari; quid enim ibi loqueris de signo, quo possimus cognoscere, an ibi sit potentia, cùm tu neges illam adesse, & affirmes ibi adesse impotentiam, ergo id dicens nihil dicis, sed nugaris, cavillaris, aut erras cum Pelagianis.

§. DECIMUS.

De eadem impossibilitate, & de diversis, cum ea, possibilitatis modis.

SEd ut ostendant, se non sine aliquo protulisse fundamento supradictam distinctionem, inter impotentiam quæ est à voluntate, & eam quæ est ab extrinseco: sic probant, dicentes: duplicem istam impotentiam insinuavit Augustinus, quando dicit: cogitatur, & fit, aut ideo non fit, quia nolumus, quicquid vis, & non potes, factum Deus computat. Sed nihil ibi prorsus video de impotentia, quę sit à voluntate, quod tamen principaliter ostendere volebant: nam cùm dicit Augustinus: cogitatur, & fit, aut ideo non fit, quia nolumus. Ibi est inactio, & non impotentia. Non enim dicit, quod non potest fieri, sed quod non fit, quod solam denotat inactionem, & non impotentiam. Cùm autem addit: quicquid vis, & non potes: ibi quidem indicatur impotentia, sed non est à voluntate, sed potius est contra voluntatem quia vult, & non potest, quod est contra propositionem probandam, quæ erat: quod ideo homo non potest, quia non vult: hîc autem vult, & non potest: unde nihil ibi habetur quod sit ad propositum Sed dicunt: velint illi (scilicet impotentes) pleneque velint, mox ut voluerint, implebuntur mandata. At quid ineptius, & puerilius ista exhortatione proferri potest: quasi nempe penderet ab illis impotentibus, ut vellent, cum ipsi afferant eos tam impotentes esse

In Psal. 57.

ad velle servare mandata, quam impotentes sunt ad volandum sine alis: nonne idem dicere possent de paralytico qui non potest currere; currat, velociterque currat, mox ut cucurrerit, perveniet ad locum quem optat: omnino id verum est, sed oporteret prius ut ille paraliticus posset currere, quam id ei serio diceretur, alioqui potius ridere, & nugari videberis, quam sobrie, & sapienter loqui: ita dico de prædictis impotentibus, omnino verum est quod si velint, pleneque velint, & sic perseverarint, implebunt mandata: sed prius oporteret, ut velle possent quam id eis serio diceretur, & tu supponis eos ita impotentes esse ad volendum servare præceptum sine gratia, qua carent, ac impotentes sunt ad volandum sine alis. Quid ergo hortaris eos, ut velint, cùm per te, velle non possint; numquid rides istos miseros, & potius ibi ludis, quam concludis, cùm talia dicas eis, quæ nullus sobrius, & jejunus dicere serio illis posset.

Verùm tandem aliquando repererunt aliquid apud Augustinum, quo probent eos, ideo non posse servare mandata, quia nolunt. Sed valde cuperem, ut ibi ostenderent illam impotentiam esse talem, qualem ipsi supponunt in prædictis: scilicet talem, qualis est eorum qui non possunt volare quia non habent alas, quæ est in potentia plena, & perfecta, non vero hypothetica, & imperfecta, seu secundum quid, qualis est illa, de qua loquitur Augustinus in loco quem allegant: nam illi impotentes, de quibus loquitur Augustinus in illo textu: ita sunt impotentes ad servandum præceptum, ut tamen velle possint, & mutare in melius voluntatem suam, ut patet ex his illius verbis: hinc & illi non poterant credere (id est præceptum fidei adimplere) *non quia in melius mutari homines non possint* (ecce vides quomodo illi mutare voluntatem suam poterant in melius, id est in voluntatem adimplendi præceptum (& tu loqueris de eis, qui non possunt id velle, ut nec sine alis volare) sed *quamdiu talia sapiunt, non possunt credere*: quæ est tantum impotentia hypothetica, & secundum quid, seu suppositiria, & impropria, qualis est in eo, qui dicitur sedens, seu quamdiu sedens est, non posse currere, non sane quod absolute, & simpliciter non possit currere, sed tantum ex suppositione, quod semper sedeat, non potest currere: ita dicit Augustinus de supradictis: quod quamdiu adhærent vitiis, & suis perversis opinionibus, non possunt credere, seu præceptum fidei adimplere, quæ est impotentia solùm hypothetica, & impropria, qualis est prædicta, non vero propria, & absoluta, qualis est ea, quæ est in illo qui non potest volare non habens alas, de qua solùm controversia est, & non de altera: nam illa impotentia, quam dicit Augustinus esse in istis, qui nolebant credere, tam impropria est, & non vera, ut multoties ibidem indicet, in eis esse gratiam sufficientem, & veram potentiam ad credendum. Tum quia, ut dixi, jam asseruit, quod poterant mutare voluntatem suam in melius, quod fieri non potest sine gratia sufficiente. Tum quia arguit illos superbiæ, quod ut supra notavi, supponit saltem gratiam oran-

di, & petendi auxilium, qua superbum pudet uti. Sic enim ait ibi. Non itaque mirum est, quia non poterant credere, quorum voluntas *si superba erat*, ut ignorantes Dei justitiam, suam vellent constituere, sicut dicit de illis Apostolus: justitiæ Dei non sunt subjecti: tum quia supponit in ijs fuisse potentiam ad credendum, quod fieri non potest sine gratiis vere sufficientibus: sic enim ibidem ait. *Ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus.* Et infra: nam & agendæ sunt gratiæ, quia *data est potestas*, *& orandum*, *ne succumbat infirmitas.* Tum denique quia ibi expresse dicit, adjutorium datum esse cum præcepto: sed audiamus, inquit, Deum, *& præcipientem*, *& opitulantem*, *& jubentem quid facere debeamus*, *& adiuvantem*, *ut implere possimus*: quibus posset addi: quod, quia dicit Augustinus, quod illi imdurati nolebant credere, per hoc supponit, eos potuisse credere, juxta prædicta de significatione verbi nolle apud Augustinum.

Sed adhuc aliqua superest nobis solvenda instantia, quæ fieri posset super diversis modis, quibus putant adversarij Augustinum dixisse, præcepta esse possibilia sine gratia sufficiente, quorum primus est, ut aiunt, remotissimus, per solam lib. arbitrij flexibilem facultatem ad bonum, & malum: 2. est paulo propinquior, scilicet, per fidem sine gratia actuali: 3. est multo plenior, & propinquior, scilicet per charitatem, seu bonam volitionem: 4. denique est completissimus: quando Sp. sancti inspiratione sic voluntas præparatur, ut non solùm possit, sed etiam actu velit. Cum aliis solis modis nihil fit, cum hoc solo aliquid fit secundum adversarios.

Respondeo quod quantum ad tres priores modos, qui consistunt in solo lib. arb. aut in sola fide, aut in sola charitate, sine gratia actuali ad aliud, certum est non fuisse usurpatos ab Augustino pro possibilitate præceptorum, de qua egimus in argumentis nostris, cùm ibi manifeste illi possibilitati adjungatur auxilium, opitulatio, adjutorium divinum qui sunt actus, non vero habitus, seu merę facultates, qualia solùm sunt ea quæ commemorant adversarij in tribus prędictis prioribus modis. Quantum autem ad postremum, qui consistit in auxilio actuali, sed tali qui semper conjunctus est cum actu, satis eum confutavimus in disputatione nostra de prædest. ad gl. objectione 13. è ratione, & etiam toto tractatu nostro de gratia indifferenti, ubi ostendimus, quod poterat esse sine actu, id est quod erat indifferens, & non determinans arbitrium, ut prætendunt adversarij; quapropter de illo, utpote fictitio nihil amplius agemus, sed tantum de aliis impropriis, & non veris possibilitatis modis, quibus veram, & propriam, quam ostendimus ex Augustino, possibilitatem præceptorum, ipsi conantur eludere. Videndum ergo est, quo fundamento istos possibilitatis pręceptorum modos astruere conati sunt.

Prima possibilitas quæ est per merum lib. arbitrium fundant super his Augustini verbis libri de prædest. sanct. cap 5. ubi ait Augustinus: posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est homi-

num. Quod ſane nullum dicit ordinem ad præcepta implenda, ſed tantum ad recipiendum habitum fidei, cujus ſubjectum eſt natura, unde & dicitur, quod habere fidem eſt naturæ hominum: ſed volunt adverſarij hoc ſignificare: poſſe credere, & diligere Deum, quod debebant probare, vel ex ipſo textu, vel ex antecedentibus, & conſequentibus, ſed non faciunt quia id facere non potuerunt cùm nihil ibi habeatur hujuſmodi Unde & ipſi tranſeunt ad alium locum libri de gratia Chriſti cap. 20. cujus volunt ſimilem eſſe ſenſum, ſcilicet quod ſignificat potentiam credendi, & diligendi Deum, revera tamen nihil ſignificat niſi adhuc naturam, ſeu lib. arbitrium capax recipiendi prędictos habitus fidei, & charitatis, & nihil aliud, non vero ſignificat poſſibilitatem adimplendi præcepta, ſic enim ait Auguſtinus: ſed plane illa poſſibilitas utriuſque radicis eſt capax (certe actus non eſt radix, ſed quid prodiens ex radice, ergo illa capacitas, ſeu poſſibilitas, quæ eſt radicis, non eſt actus agendi, ſed habitus recipiendi, & per hoc, non eſt poſſibilitas diligendi Deum, ſed eſt capacitas recipiendi habitum, quo diligitur Deus, quod longe eſt ab intentione adverſariorum, qui volebant eſſe poſſibilitatem producendi actus diligendi Deum, ſeu adimpletionis præcepti dilectionis Dei, & proximi, & eſt capacitas recipiendi in ſe habitus, ſeu radicis dilectionis Dei, quod etiam patet ex ſequentibus) quia non ſolùm poteſt homo *habere* charitatem (quid eſt habere charitatem, niſi habere habitum, quo diligitur Deus, ut mox ſequitur) qua fit arbor bona (id eſt quo fit potens producere bonos fructus dilectionis Dei, & proximi, quod ſane non convenit actui, ſed ſoli habitui: unde & mox opponit ei alterum quaſi habitum, qui eſt concupiſcentia, ut arborem malam, id eſt, ut cauſam productivam malorum actuum, ſeu fructuum) ſed poteſt etiam cupiditatem, qua fit arbor mala. Ecce qualis eſt illa poſſibilitas de qua loquitur Auguſtinus, eſt capacitas recipiendi habitum charitatis, qua fit homo arbor bona, potens producere bonos fructus dilectionis Dei, & proximi, & concupiſcentiam illi contrariam, qua fit homo arbor mala, potens producere malos fructus peccatorum, ſeu averſionis Dei, & proximi: quod etiam patet ex antecedentibus, & ex conſequentibus: ſic enim ait immediate ante textum illum: illa ergo poſſibilitas, non ut iſte (ſcilicet Pelagius) putat, una, eademque radix eſt bonorum, & malorum (ubi vides formaliter negari iſtam posſibilitatem Pelagij, quæ erat lib. arbitrium, eſſe posſibilitatem boni, & mali, contra ipſos adverſarios qui volebant ibi intelligi posſibilitatem ad utramque partem, id eſt ad bonum & malum. Unde dicendum eſt, adverſarios, vel non intellexiſſe ibi Auguſtinum, vel fallere voluiſſe, cùm ibi tribuant Auguſtino, id quod formaliter ipſe negat, ſcilicet posſibilitatem lib. arbitrij, eſſe posſibilitatem boni, & mali, ſed vult eſſe posſibilitatem, ſeu potius capacitatem, & ſubjectum radicum utriuſque, ſcilicet virtutis charitatis, quæ eſt radix boni, & vitioſæ concupiſcentiæ, quæ eſt radix mali, ut clarè mox

sequitur) aliud enim est charitas radix bonorum , aliud cupiditas radix malorum (ecce ergo quod volebat dicere Augustinus in textu objecto , cùm dicebat : quod illa possibilitas est capax utriusque radicis , id est , est capax recipiendæ charitatis , quæ est radix boni , & cupiditatis , seu concupiscentię , quæ est radix mali) tantumque inter se differunt , quantum virtus , & vitium. Ecce vides ; quomodo charitas , & cupiditas , de quibus ibi loquitur Augustinus , non sunt actus , sed habitus , quorum possibilitas , seu capacitas , seu subjectum , est liberum arbitrium , cùm comparentur virtuti , & vitio , quæ sunt habitus , & non actus , & qui subjectantur in lib. arbitrio. Unde valde ibi decepti sunt adversarij , qui putabant , Augustinum sumere lib. arb. pro possibilitate boni , & mali , cùm hoc ipsum esset , quod impugnabat in Pelagio , & tantum vellet esse possibilitatem , seu capacitatem recipiendæ charitatis , ut habitus , & virtus est : & recipiendæ cupiditatis , seu concupiscentię per modum habitus permanentis , & in voluntate, seu lib. arbitrio residentis : unde & in sequentibus post textum objectum , vocat illam charitatem , virtutem , & cupiditatem , vitium. Sed cupiditas , inquit , hominis quæ vitium est , &c. charitas autem quæ virtus est , &c. ibi ergo non sumitur lib. arbitrium pro possibilitate boni , & mali , seu pro potentia adimplendi præcepti , ut volebant adversarij , sed tantum pro subjecto possibilitatis istius, & ideo frustra volebant esse primum modum possibilitatis usitatæ ab Augustino , cùm sit tantum capacitas , seu subjectum possibilitatis , seu virtutis , & vitij , seu charitatis , & cupiditatis, quæ sunt causæ , seu radices actus boni , & mali.

§. XI.

Ejusdem materiæ prosecutio , & finalis conclusio.

UNde falsissimum est, quod hinc consequenter inferunt , scilicet Augustinum sæpe docere : fidem , hoc est credere , recte facere , recte vivere , peccatum cavere , voluntatem in melius mutare , & hujusmodi , esse in hominis potestate , quod est hominem posse ista facere , quia videlicet libero voluntatis arbitrio istos , & similes pietatis actus facere potest : hoc inquam falsissimum est cùm numquam hos actus attribuerit possibilitati liberi arbitrij sine gratia , ut prętendunt adversarij , imo vero Pelagio id dicenti semper restiterit , sed tantum ei attribuerit capacitatem recipiendi habitus , quo , cum gratia actuali , ista omnia peragerentur (ut modo vidimus) aut aliquid simile, non vero possibilitatem boni actus : sed quia hoc magni momenti est, quandoquidem callide per hoc vellent adversarij eludere multos locos pro admissa ab Augustino vera hominis potestate ad bonum , & malum ex gratia , ideo alios locos , quos falsò pro illo sensu citant examinare non piget , imo & prorsus necessarium esse mihi visum est. Quan-

Quantum ergo ad primum quem citant ex lib. de sp. & litt. c. 31. nullomodo suffragatur eis. Est enim de vera, & immediata potentia gratiæ ad credendum, & non de mera lib. arbitrij facultate, ut volunt adversarij: tum quia illi potestati tribuit Augustinus, quod homo actu credat, si velit, & non credat si nolit: quod non convenit mero lib. arbitrio in sensu Augustini, cùm hoc indicet potentiam proximam, & immediatam ad actum faciendum, quam semper voluit Augustinus esse à gratia, & non à mero lib. arbitrio, ut volebat Pelagius, quem etiam propter hoc solùm in supra explicato loco impugnat ex professo Augustinus. Tum etiam quia dicit ibidem Augustinus, illam potestatem non esse nisi à Deo, & de ea recte dici: quid habes quod non accepisti: quod numquam dixit Augustinus nisi de vera Christi gratia: unde Semipelagiani, qui volebant primam fidem esse à mero lib. arbitrio, & non à gratia Augustiniana: dicebant juxta mentem Augustini (in Epistola S. Hilarij ad Augustinum ante medium) de illa prima fide, non posse dici: quid habes, quod non accepisti: quia nempe Augustinus hoc solùm interpretabatur de vera Christi gratia. Tum denique quia ibidem dicit: quod per illam potestatem, *dedit* nobis Deus, ut *credamus*: quod est magnum signum gratiæ Augustinianæ, quæ dat nobis actum bonum, & non expectat eum à nobis, ut fiendum aut saltem incipiendum, quemadmodum volebant Pelagiani, & Semipelagiani. Quantum ad 2. locum, qui est ex libro 1. retract. cap. 26. non est de mero lib. arbitrio, ut prætendunt adversarij, sed de liberato per gratiam, *per quam*, inquit, *fit liberum* ad recte faciendum: & proinde per hoc patet, quod illud per gratiam factum fuerat potens ad bonum, seu, ut ait, & idem est, ad recte faciendum: & quod illa possibilitas, de qua ibi loquitur Augustinus, non erat meri liberi arbitrij, ut prætendunt adversarij, sed veræ Christi gratię, ut nos ipsi contendimus.

Quantum autem ad duos sequentes locos, qui sumpti sunt ex libris de lib. arbitrio: dico quod non sunt desumendæ ex libris illis, usitatæ ab Augustino locutiones, quę spectant ad opera gratię, qualia sunt credere, recte vivere, & similia, de quibus loquuntur adversarij: cùm nitidissime declaraverit libro 1. retract. cap. 9. quod ibi in verbis suis, plerumque gratia commemorata non fuit, quia de ea non agebatur, sed ibi subaudiebatur. In his, inquit, atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam, sed frustra hoc putant: voluntas quippe est, qua & peccatur, & recte vivitur, quod his verbis egimus (sed audi quam voluntatem: non certe nudam, & sine gratia possibilitatem, sed possibilitatem cum gratia) voluntas ergo ipsa, *nisi Dei gratia liberetur* à servitute qua facta est serva peccati, & ut vitia superet, adjuvetur: *recte, pieque vivi à mortalibus non potest.* Audis, nudam voluntatem non posse sed debere esse liberatam per gratiam: ergo si in illis libris di-

xit voluntatem nudam id posse, manifeste hîc illud retractat, & vult præsupponi gratiam ad illud posse: & sic nihil habent ex locis illis. Quantum ad 5. locum, qui est ex libro 1. retract. cap. 22. tantum abest, ut approbet Augustinus, quod id sit in nostra potestate, quod est meri lib. arbitrij, quin potius id corrigit, aut retractat, dicens: in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed *ea potestas nulla est, nisi à Deo detur*, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri: ubi vides clare correctum, & retractatum id quod dixerat, esse in potestate arbitrij, & vult ibi subaudiri gratiam, in qua semper voluit Augustinus esse possibilitatem boni, & non in mero libero arbitrio, ex quo cœpit disputare de gratia contra Pelagianos. Eodem modo corrigitur illud dictum in ultimo loco, quem citant adversarij ex libro 1. retract. cap. 10. ubi retractans id quod dixerat in alio libro: scilicet quod omnes homines possunt, si velint, se convertere ad præcepta implenda, sic ait: non existiment novi hæretici Pelagiani, secundum eos esse dictum (id est secundum merum lib. arbitrium sine gratia in voluntate necessaria: is enim erat sensus illorum, ut alibi probatum est) verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, *ut possint*. Ecce vides quomodo vult lib. arbitrium posse observare præcepta, scilicet si addatur ei gratia præparans, & præveniens illud, & non aliter: ne scilicet coincidat cum sensu Pelagianorum, quem semper augue pejus fugit Augustinus, & expresse impugnavit toto libro de gratia Christi, præcipue verò cap. 17. & sequentibus: unde, cùm dicunt adversarij Augustinum aliquando sumpsisse: *posse*; pro lib. arbitrio, aut è contra, nihil aliud ei attribuunt, quam quod ita detestatus est, ut omnes locos quos advertit ita sumi potuisse, clarissime retractarit, & sub illo *posse*, gratiam prævenientem subaudiri voluit. Per quod videre potes sinceritatem adversariorum erga verum sensum sancti Doctoris, & consequenter quantum distare dicendus sit verus, & germanus Augustinus ab adulterato illorum Augustino. Sed quia bene viderant fore aliquos, qui non omnino illis crederent de sensu Augustini, & locos istos adire possent: addiderunt quasdam observationes, per quas darent intelligi, gratiam in illis locis non esse commemoratam, ut necessariam ad illud posse, sed tantum ad agere per illam potentiam: sed tam clare demonstratur illa gratia necessaria ad constituendum ipsum posse, ut nihil clarius desiderari possit, ut V. G. in postremo loco dicit: & tantum augetur munere charitatis, *ut possint*: & in præcedenti: sed *illa potestas nulla est* (quid clarius) nisi detur à Deo, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et adhuc in præcedenti: voluntas ergo ipsa, nisi adjuvetur..... recte, pieque à mortalibus vivi *non potest*. Quo nihil dici clarius poterat ad ostendendum, nullam esse potestatem, nec ullam aliam se intelligere ad recte, pieque vivendum, nisi eam, quam confert nobis gratia. Sed de illo 1.

In disputatione nostra. De prædestin. ad gl. parte 2. object. 13. è ratione.

possibilitatis modo satis, veniendum ad alios.

Quantum itaque ad 2. possibilitatis modum quem dicunt adversarij usurpatum fuisse ab Augustino scilicet ut per habitum fidei sine adjunctis ei gratiis actualibus diceremur posse bene vivere, non video id probatum in testimonijs, quos adducunt, quandoquidem, licet in locis illis, sola fides commemoretur, non tamen hinc sequitur, quod exulent gratiæ actuales, ut nec sequitur, quod cùm in scripturis sola fides commemoratur sine adjunctis ei bonis operibus, sola sufficiat ad salutem, quemadmodum perperam arguunt Lutherani, & Calvinistę. Sufficit quod in aliis locis loquatur Augustinus de fide impetrante auxilia ad præceptum implendum necessaria, ut, cùm dicit: fides impetrat, quod lex imperat: quod sane fieri non potest sine gratiis actualibus: aut, cùm alibi loquitur de fide per dilectionem operante, quod fieri item non potest sine gratiis actualibus, quæ proinde, vel ei tunc adjunctæ sunt, vel ei adjungendæ, dum opus est agere in mandatis exequendis, vel vincendis tentationibus, quod vere sufficiens est ad potestatem de qua agimus, quia non est sine gratiis actualibus.

Quantum autem ad modum 3. qui est in charitate, quam ipsimet vocant adversarij bonam volitionem, manifestum est, quod ille non potest intelligi sine gratiis actualibus, cùm bona volitio, sit actus bonus, qui non potest prorsus esse sine gratiis actualibus: ergo ille modus sufficit, cùm illa bona volitio sufficiat: nam si ipsa infirma sit, valet ad orandum, & petendum auxilium, si vero potens, & robusta sit, valet ad agendum secundum Augustinum. Unde duos posteriores possibilitatis modos admittimus, ut vere sufficientes, & ut tales ab Augustino usurpatos. Excepto quod negamus quartum semper habere effectum, ut prætendunt adversarij: primum autem cum secundo prorsus rejicimus, ut à mente Augustini prorsus alienos, & ad eludenda illius testimonia, vel pro gratia indifferenti, vel pro omnibus, & singulis sufficienti, ab adversarijs confictos, cùm vel numquam ab Augustino usurpati fuerint, vel postea retractati, & sub illis, actuale Dei adjutorium subauditum fuerit, ut supra satis demonstravimus.



SECTIO QUINTA.

In qua proponitur quarta nostra probatio, sumpta ex inexcusabilitate reproborum, & damnatorum sæpe ab Augustino indicata, et inculcata.

4. PRobatio sumitur ex inexcusabilitate reproborum multoties indicata ab Augustino, & per hoc indicante veram eorum potentiam ad salutem suam consequendam: nam si non habuissent veram potentiam ad salutem suam consequendam, sed veram ad id impotentiam, & insufficientiam; quis dubitat quin illi essent valde excusabiles, cùm nihil videatur magis legitime excusare posse hominem ab aliquo delicto, quam absoluta ejus impotentia ad illud vitandum: unde dicit Augustinus in Psalm. 91. non longe ab initio, peccatori: si Sathanas loqueretur (id est tentaret te) & taceret Deus (id est non inspiraret gratiam, qua isti tentatori resisteres haberes,) unde te excusares. Quia nempe ad resistendum impotens, & insufficiens esses: quod si mihi dicatur homines lapsos meruisse privari ista gratia ob peccatum originale, & per hoc inexcusabiles esse, si peccent, etiamsi abstinere non possint. Respondeo primò, quod hoc non potest esse generale, cùm certum sit, quod multi eorum fuerunt mundati ab illo peccato, & per hoc ab illo pessimo merito absoluti, quos tamen vocat Augustinus inexcusabiles, cùm vocet omnes inexcusabiles qui damnantur, ut mox videbimus. Respondeo 2. quod hoc malum meritum asseritur sine fundamento, cùm nihil aliud habeamus in scripturis, nisi quod peccato mortali debetur mors æterna, & non privatio actualis gratiæ: saltem in comminatione Dei facta Adamo, si peccaret illo peccato, quod factum est nobis originale: nihil aliud reperitur insinuatum, nisi privatio vitæ, tam corporis, quam animæ, per modum pœnæ infligendæ, & non privatio actualis gratiæ: in quocumque, inquit, die comederis de ligno scientiæ boni, & mali, morte morieris: quod solam dicit privationem vitę in anima, & corpore, non vero ullius actualis gratiæ. Unde est quod Augustinus ipse libro 13. de civit. Dei cap. 12. & sequentibus, accurate interpretans prædicta verba, seu comminationem prædictam factam Adamo solius meminit mortis corporis & animæ, & ærumnarum hujus vitæ, non vero etiam privationis, actualis gratiæ, ut in illa inclusæ imo in plerisque ex eo infra citandis locis pro inexcusabilitate hominum, qui damnantur, indicat Augustinus eos habuisse gratiam sufficientem, & eam neglexisse, & satis hoc manifestum est ex loco supra citato in Psalm. 91. cum non putasse hominem lapsum, reum esse istius privationis, cùm loquens omni peccatori, seu homini lapso dicit quod si

Deus taceret, id est non daret ei gratiam, qua loqueretur ad cor ejus: ipse haberet, unde se excusaret: quod si reum eum putasset privationis hujus gratiæ, non sic eum excusasset, cùm justè per eam puniretur: unde lib. 3. de lib. arb. cap. 15. sub finem dicit: quod in defectibus *aut non acceperunt ultra esse quæ deficiunt & nulla culpa est . . . aut nolunt esse, quod si vellent esse acciperent, & quia bonum est, reatus est, si nolint.* Ubi vides, eum supponere potentiam ante reatum, & velle reatum non esse, si absit potentia, seu gratia sufficiens. Et cap. 16. sub initium ait: *ex eo quod non accepit, nullus reus est*: ex eo vero quod non facit, quod debet, juste reus est: *debet autem si accepit, & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem.* Si ergo hanc non accepit voluntatem, & facultatem, non debet, non reus est, si non facit: & per hoc excusabilis est: ex quo manifestum per se est Augustinum in vera sua inexcusabilitate inclusisse gratiam sufficientem, & illam in omnibus, & singulis hominibus esse supposuisse, & proinde quodcùm dicit, omnes esse inexcusabiles, qui damnantur, per hoc indicat, eis adfuisse gratiam sufficientem & ab eis exulasse omnem ejus privationem, quod est id omne quod contendimus.

Porro quod dixerit Augustinus omnes qui damnantur esse inexcusabiles, multis demonstrari potest illius testimoniis: nam libro 10. confess. cap. 6. initio, sic ait: cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem (quod supponit gratiam ad amandum) nec cessant dicere *omnibus, ut sint inexcusabiles.* Ut autem ostenderet istam gratiam esse vere sufficientem ad amandum Deum, indicat eam in quibusdam effectum habere dicens: altius autem tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam præstabis cui misericors fueris, *alioquin cœlum & terram surdis loquuntur laudes tuas.* Et libro 3. de lib. arb. cap. 19. initio, cùm proposuisset querelas hominum perperam se excusantium de peccatis suis, sic ait: quibus breviter respondetur, *ut quiescant, & adversus Deum, murmurare desistant: recte enim quererentur* (ergo non recte, & per hoc inexcusabiliter, unde & supra de illis dixerat, quod quodlibet aliud in peccando, quam se, ut par erat, accusare parati erant) *si erroris, & libidinis, nullus hominum victor existeret, cùm vero ubique sit præsens,* &c. ubi late explicat gratiam sufficientem eis datam, & per hoc excusationem illorum esse vanam, & frivolam, ut supra etiam explicuimus. Quod & adhuc explicat c. 22. sequente satis apposita comparatione, dicens: itaque si nobis in eloquentia esset beatitudo constituta, atque ita crimini duceretur, cùm peccatur in linguæ sonis, quemadmodum cum peccatur in actibus vitæ, nullius utique argueretur infantia, quod ab ea esset exorsus ad consequendam eloquentiam, sed plane merito damnaretur, si suæ voluntatis perversitate, vel ad eam recidisset vel in ea remansisset (ubi vides, eum excusare infantiam ob impossibilitatem eloquentiæ consequendæ, non vero excusare progressum ætatis, quia nempe non amplius in impossibilitate est, sed potius cum possibilitate elo-

quentiæ conſequendæ , quam comparationem mox applicat hominibus in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutis reſpectu boni , & mali, dicens) ſic etiam , *&* *nunc*, ſi ignorantia veri , & difficultas recti , naturalis eſt homini , unde incipiat in ſapientiæ , quietiſque beatitudinem ſurgere , nullus hanc ex initio naturali recte arguit (quia nempe in illo exorſu , non poteſt corrigi , aut ſuperari) *ſed ſi proficere noluerit* (& per hoc potuerit ſenſu Auguſtini ſæpe explicato) aut à profectu retrorſum relabi *voluerit*, jure meritoque pœnas luet. Ut pote tunc culpabilis , & inexcuſabilis ob potentiam in oppoſitum. Et ſic vides, Auguſtinum ad iſtam culpabilitatem , ſeu inexcuſabilitatem , ita ſupponere potentiam in oppoſitum & proinde gratiam ſufficientem : ut ideo dicat excuſabiles eos , qui non habent illam , & inexcuſabiles eos qui habent illam. Quod & prius dixerat capite 20. ſub finem his verbis : negligentibus autem , & peccata ſua defendere volentibus , *non ipſam ignorantiam , difficultatemque pro crimine objiceret : ſed quia in eis potius permanere, quam ſtudio quærendi , atque diſcendi* , & humilitate confitendi , atque orandi, ad veritatem, ac facilitatem pervenire *voluerunt*, juſto ſupplicio vindicaret. Et libro quæſt. Evangel. qu. 46. ſic ait in perſona quorumdam: illi ſunt *inexcuſabiles* , quibus lex data non eſt , neque audito Evangelio dormierunt (multo ergo magis quibus lex data eſt , & Evangelium prædicatum : ſed quare non ſunt excuſabiles , quibus lex data non eſt , neç prædicatum Evangelium ; num quia habent peccatum originale , & ſunt adhuc in maſſa illa communi : nequaquam , ſed quia etiam in hoc ſtatu habent gratiam vere ſufficientem , ut mox ſequitur , cum addit) *qui* per creaturam *poterant* Cognoſcere creatorem , cujus inviſibilia à conſtitutione mundi , per ea quæ facta ſunt , intellecta conſpiciuntur. Ubi clare ſupponitur gratia data interius , cum jam data exterius aliàs falsò diceretur , quod in illo ſtatu poterant cognoſcere creatorem , quandoquidem cum ſola gratia externa nemo ſufficiens eſt ad iſtas cognitiones ſalubres , ut apud omnes in confeſſo eſt. Sed quia ſolebat Auguſtinus ſub gratia externa ſubaudire internam ut infra probabimus : ideo ibi ponit gratiam externam , pro interna ſimul & externa. Unde mira eſt hallucinatio eorum qui fuiſſe putant aliquando diſputationem inter Auguſtinum , & Pelagianos de gratia externa & interna , quaſi Auguſtinus contendiſſet gratiam debere eſſe internam , Pelagiani autem è contra contendiſſent illam debere ſolùm eſſe externam : cùm ſupra notatum

Nota quod licet id non dicat Auguſtinus ut à ſe ipſo ſed in perſona, aliorũ, qui hæc dicebant ad excuſandum ſe à prædicatione Evangelij faciendi gẽtilibus , ut eis non neceſſaria: is tamen eſt ſenſus Auguſtini : nã cum ibi talia dicentes, aut dicere potẽtes non arguat niſi pigritiæ (unde & ibi comparat eos ſervo illi, qui in ſudario talentum ſuum ligaverat, & non multiplicarat illud ut poterat) & non reprehendat eos falſitatis in dictis ſuis, aut crudelitatis , hinc ſequentis in miſeros infideles quaſi ſcilicet ſic relinquerentur ſine gratiis ſufficientibus (quod ſane multo magis reprehendendum fuiſſet) hinc ſequitur , quod approbavit eorum dicta ut vera , ſed improbavit excuſationem eorum , ut pote inſufficientem , ad abſolvendum eos à prædicatione Evangelij , cùm licet non eſſet abſolute neceſſaria pro ſalute infidelium , ut recte illi dicebant : erat tamen maxime pro augenda gloria Dei , quod ſolum ibi premebat Auguſtinus , & ſic admittit eorum dictum ut verum , quod ſolùm hic conſideramus.

ſit Pelagianos ab initio diſputationis admiſiſſe gratiam internam & non ſolum externam : ſed illam internam voluiſſe eſſe ſolùm in intellectu, & non etiam in voluntate ut contendebat Auguſtinus, & de hoc ſolo diſputatio inter illos fuit & non de altero. Unde promiſcuè utitur verbis ſignificantibus gratiam externam aut internam Auguſtinus cùm hoc non verſaretur in quæſtione. Similis huic locus eſt pro eadem inexcuſabilitate, quem ſumo ex Epiſt. 105. poſt med. ubi loquitur Auguſtinus de iis qui non acceperunt legem, & poſtea de iis qui acceperunt eam, & proinde loquitur de omnibus, & ſingulis cum non ſit dare medium inter accipientes legem, & non accipientes eam. Sic ergo ait de primis : *iſtos* quippe *ſcriptura dicit inexcuſabiles*, quos non latet veritas, & in eis perſeverat iniquitas : revelatur enim ira Dei de cœlo ait Apoſtolus ſuper omnem impietatem ... inviſibilia enim ejus à creatura mundi per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus, ac divinitas, cùm ſint *inexcuſabiles.* Si ergo iſtos inexcuſabiles dicit, qui inviſibilia ejus, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicere potuerunt, nec obedierunt tamen veritati, ſed iniqui & impij permanſerunt, neque enim non cognoverunt : ſed cognoſcentes, inquit, Deum non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt (ſic loquitur de iis qui non acceperunt legem : nunc audi quomodo loquitur de aliis) quanto magis *inexcuſabiles* ſunt, qui ex lege ejus inſtructi confidunt ſeipſos eſſe duces cæcorum, & alios docentes, ſeipſos non docent, &c. & ſic vides omnes dici eſſe inexcuſabiles : & in Pſalm. 18. non longe ab initio ſic ait : cùm autem verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, *non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis* (& quare hoc ; num quia nemo eſt qui non habeat peccatum orig. & non ſit in maſſa illa communi, nequaquam, ſed quia etiam in illo ſtatu habebant gratiam ſufficientem, ut mox ſequitur cum addit) ipſam enim penetravit verbi calor, id eſt gratia. Et in Pſal. 57. initio ſic ait : quis accuſatus de juſtitia, quando non habet cauſam, (& per hoc inexcuſabilis eſt) non facile reſpondeat, quid ſit juſtum, quandoquidem manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit : quod tibi non vis fieri, ne facias alteri : hoc, & antequam lex daretur, *Nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet, unde judicarentur* (id eſt condemnarentur ut pote inexcuſabiles) *& quibus lex non eſſet data : ſed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur* (ecce rejicit eorum excuſationem, ob hoc quod gratia neceſſaria non defuit eis) ſcriptum eſt & in talibus quod in cordibus non legebant : non enim & ſcriptum non habebant, ſed *legere nolebant.* Ergo poterant, ſed nolebant, ergo gratiam neceſſariam, ſeu ſufficientem habebant, ſed ea uti nolebant, & per hoc inexcuſabiles erant. Et in Pſal. 91. circa initium : incipe, inquit, Sabbathum non tibi tribuendo, quaſi non acceperis, quod accepiſti : *neque excuſando te ab eo quod facis mali, quia ipſa ſunt tua.* Perverſi enim homines, & pertubati, qui non agunt

Sabbathum, mala sua Deo tribuunt, bona sibi. Si quid boni fecerit, ego feci, dicit: si quid mali fecerit, *quærit quem accuset*, &c. quod deinde late prosequitur: ostendens, nullum hominem habere justam excusationem sui peccati, nec proinde suæ damnationis.

Prosecutio quarta nostræ probationis sumpta ex inexcusabilitate reproborum, et damnatorum, ut singulariter indicata, & inculcata in speciali quodam loco Augustini.

DEnique luculentissime tractat istam ex professo, inexcusabilitatis materiam libro de gr. & lib arb. cap. 2. & sequentibus: ubi sigillatim excludit omnem excusationem, sive ex ignorantia, sive ex impotentia, ad ea præstanda quæ necessaria sunt ad salutem: nam in primis excludit excusationem sumptam ex ignorantia cap. 2. dicens: cum Apostolo: invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus, ac divinitas, *ut sint inexcusabiles*; quomodo dicit (scilicet Apostolus) *inexcusabiles*, nisi de illa excusatione, qua solet dicere humana superbia, si scissem fecissem, ideo non feci quia nescivi. Aut si scirem facerem, ideo non facio, quia nescio. Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Manifestatur autem omnibus secundum Augustinum, tam quoad dilectionem Dei, ut supra vidimus, cùm dixit: cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, *ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Quam quoad dilectionem proximi, ut etiam supra vidimus, cùm dixit: manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: quod tibi non vis fieri, ne facias alteri: hoc & antequam lex daretur, *nemo ignorare permissus est.* Et per hoc manifestum est, quod nulli patet excusatio de ignorantia. Exclusa ergo hac excusatione, quę est de ignorantia, jam transit ad alteram, quæ est de impotentia, & ecce quomodo excludit eam. Sed sunt homines qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, quibus dicit Apostolus Jacobus. Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentor: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat: unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, & intellectus, deinde cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Item de ipso Deo se excusare volentibus respondet liber proverbiorum Salomonis. Insipientia viri (non dicit ejus impotentia) violat vias ejus, Deum autem causatur in corde suo. Et liber Ecclesiasticus dicit: ne dixeris, quia propter Deum recessi, quæ autem odit ne facias (quod proinde supponitur esse in ejus potestate, cum aliàs frustra ad id hortaretur eum) ne dixeris quia ipse me induxit (qualiter dici posset si negaret omnem gratiam sufficientem, tunc enim ipse cogeret) non enim opus habet viro peccatore. Omne execramentum odit Dominus, & non est amabile

bile timentibus eum (& vide quantam indifferentiam , seu libertatem , & per hoc potestatem tribuit homini ad bonum, aut malum faciendum) ipse ab initio fecit illum , & reliquit in manu consilij sui : si volueris , conservabis mandata , & fidem bonam placiti : apponet tibi ignem , & aquam , ad quodcumque volueris , extende manum tuam , in conspectu hominis vita , & mors , & quodcumque placuerit dabitur ei. Et ut non putes id dici solùm de Adamo , & non de homine lapso , vide conclusionem quam elicit. Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri , & fieri jubet Deus , quomodo jubet, si non est liberum arbitrium. Quæ omnia , cùm referantur ad tempus præsens, indubitatum est intelligi de homine lapso , non minus quam de Adamo , & per hoc , Augustinum supponere in eis esse gratiam sufficientem ad salutem , qua possint præcepta facere , si velint. Et infra : deinde tam multa mandata quæ ipsam quodammodo voluntatem conveniunt (id est eam interpellant ut ea observare velit) sicut est *noli* vinci à malo (ubi nota hoc verbum noli , quod , ut sæpe dictum est , præsupponit potestatem apud Augustinum) & alia similia : sicut sunt, nolite fieri sicut equus , & mulus, quibus non est intellectus : & *noli* repellere consilia matris tuæ : & , *noli* esse sapiens apud temetipsum : & , *noli* deficere à disciplina Domini : & *noli* negligere legem : & ,*noli* abstinere benefacere egenti. Et *noli* fabricare in amicum tuum mala. Et *noli* intendere fallaci mulieri : & *noluit* intelligere , ut bene ageret : & , *noluerunt* accipere disciplinam. Quæ cum exaggerasset ex veteri testamento , postea multa etiam addit ex novo. Ut , *nolite* vobis condere thesauros in terra : & ,*nolite* timere eos qui occidunt corpus , &c. quæ omnia concludens sic ait : nempe ubi dicitur *noli* hoc , & *noli* illud , & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur , satis liberum (id est secundum Augustinum , ut alibi vidimus , indifferens, seu potens ad utrumlibet , sive bonum , sive malum in hominibus) demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo sed *sibi imputet quisque cùm peccat* (quid clarius) neque cùm aliquid secundum Deum operatur , *alienet hoc à propria voluntate* : id est , à libera sua voluntate , & per hoc præsupponente sufficientem gratiam. Ubi manifestissime arguit Augustinus potestatem ad bonum & malum , ad peccandum & non peccandum ex prædictis scripturæ locutionibus & per hoc satis removet excusationem sumptam ex impotentia non peccandi , seu boni agendi , ut oportet ad salutem.

Rom. 2. Psalm. 21. Proverb. 1. & 5. Matthæi 6. & 10.

Postea removet adhuc excusationem sumptam ex ignorantia , dicens : sed nec ipsi sine pœna erunt , qui legem Dei nesciunt , &c ubi distinguit duplicem , quæ est in hominibus , circa legem Dei , seu circa precepta ejus , ignorantiam. Unam maxime voluntariam , alteram minus voluntariam. Aliud est enim , inquit , nescisse , aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur , de quo dicitur : *noluit* intel-

ligere, ut bene ageret (quę est ignorantia maxime voluntaria) sed & illa ignorantia (ecce minus voluntariam) quæ non est eorum, qui scire nolunt (quæ est maxime voluntaria) sed eorum qui *tanquam* simpliciter nesciunt (non dicit simpliciter nesciunt sed *tanquam* simpliciter nesciunt, quia sufficienter sciunt, ut ad majorem cognitionem progrediantur, si velint, quales sunt Pagani, qui ex rebus creatis & ex interna Christi gratia esse Deum credunt, eumque remuneratorem bonorum, & punitorem malorum, quæ fides sufficit ad petendam, & obtinendam à Deo ulteriorem notitiam, juxta Augustinum de Cornelio Pagano libro de prædest. sanct. cap. 7. ubi dicit: quod antequam iste in Christum crederet, non sine aliqua fide orábat Deum, unde meruit pervenire ad fidem Christianam. Isti autem non orant, ut habeant veram fidem, sed ut dicit Apostolus & cum eo sæpe Augustinus: Rom. 1. evanescunt in cogitationibus suis, & obscuratur insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, &c. de istis non simpliciter ignorantibus, sed *tanquam* simpliciter ignorantibus, aut potius de eorum ignorantia crassa, & supina ait Augustinus quod) neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino ut crederet, sed fortassis ut mitius ardeat: non enim sine causa dictum est: effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt. Et illud quod ait Apostolus: cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum (ubi damnans utramque ignorantiam, ut culpabilem, & inexcusabilem sic ait) verumtamen ut habeamus, & ipsam scientiam, ne dicat *unusquisque* (ecce alloquitur singulos & negat ullum posse vere dicere) nescivi, non audivi, non intellexi (& quare hoc) voluntas convenitur humana, ubi dicitur: *nolite* esse sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. (Per quod clare ostendit quod potuerunt scire, sed noluerunt aspicientes nempe res creatas, tanquam equi & muli, quibus non est intellectus: & non tanquam homines, quibus est mens, & intelligentia, ut per contemplationem earum ascendant ad cognitionem creatoris, non deficiente eis Dei gratia necessaria: & est ignorantia eorum, qui minus voluntarie ignorant Deum, cùm id eveniat eis per quamdam negligentiam, & torporem, quo non satis curant ea quæ sunt salutis, & est minus culpabilis quam altera, quæ est maxime voluntaria, de qua mox dicit) quamvis pejor appareat, de quo dictum est: verbis non emendabitur servus durus: si enim & intellexerit, non obaudiet. Ubi vides quomodo rejiciat omnem excusationem quæ sumi posset ex ignorantia rerum ad salutem pertinentium, cùm semper voluntaria sit & per hoc inexcusanda sit.

Sed ut plene perficiat hanc inexcusabilitatis materiam, tandem redit ad eos, qui se excusatos volunt ex impotentia, de quibus sic ait: quando autem dicit homo non possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentia mea vincor, jam quidem de ignorantia non habet excusationem, nec Deum causatur in corde suo, malum suum in se co-

gnoſcit, & dolet (non tamen excuſat iſtum, imo vero accuſat eum, ſi non vincit peccatum: ut mox ſequitur) cui tamen dicit Apoſtolus: *noli* vinci à malo, ſed vince in bono malum (ubi clare ſupponit id eſſe in poteſtate illius: unde & ſequitur) & utique cui dicitur: *noli* vinci: arbitrium ſine dubio voluntatis ejus convenitur: ut pote habens ſufficientem gratiam, & per hoc potens vincere malum, aliàs non diceretur ei noli; cùm nolle apud Auguſtinum, ſupponat verum poſſe, quod & mox indicat dicens velle enim, & nolle propriæ voluntatis eſt: id eſt pendet à voluntate noſtra, præſuppoſita tamen gratia, de qua poſtea longus, & exquiſitus illi ſermo eſt, de quo ſolùm colligemus hoc quod eſt ad noſtrum propoſitum, ſcilicet: ubi dicit: ſi dixerit (homo) volo ſervare (præceptum) ſed vincor à concupiſcentia mea: reſpondet ſcriptura libero ejus arbitrio (ut pote ad quod pertinet determinare de agendis & à quo pendet effectus ultimate, & deciſive) quod jam ſuperius dixi: *noli* vinci à malo, ſed vince in bono malum, quod tamen ut fiat, adjuvat gratia, quæ niſi adjuverit, nihil lex erit niſi virtus peccati, augetur enim concupiſcentia, & majores vires accipit lege prohibente, niſi adjuvet ſpiritus gratiæ. Quæ ut opinor tam clara ſunt de inexcuſabilitate peccati, & cujuſvis peccatoris à damnatione ſuà, ut nullomodo excuſandus ille eſſe videatur, qui de tam certa, & aperta, & etiam orthodoxa dubitaverit veritate. Cap. 4.

§. PRIMUS.

In quo quædam ſolvuntur adverſariorum objectiones, et oſtenditur, quo ſenſu perperam dixerint Pelagiani contra Auguſtinum quod ubi ignorantia aderat, ibi culpa aberat: et quo ſenſu illud idem recte dicant Catholici ſecundum mentem Auguſtini.

VErum contra hæc multa objiciunt adverſarij: in quibus quidem probant, aliquando abeſſe gratiam, ſeu potentiam proximam ea ſciendi, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſed non probant, & tunc abeſſe etiam potentiam remotam, V. G. potentiam credendi, in Deum, & eum orandi, ut det ſcientiam neceſſariam, imo vero ſunt aliqui loci inter illos Auguſtini locos ab eis citatos, ubi reprehendit Auguſtinus iſtos ignorantes, quod non orent, & non petant ſcientiam neceſſariam, quod manifeſto argumento eſt, eum in illis ſuppoſuiſſe eſſe gratiam remotam ſciendi, ſi voluiſſent, id quod neceſſarium eſt ad eorum ſalutem. Et ſane ſatis indicat libro de nat. & gr. cap 13. & 17. ſe in omnibus peccatoribus ſemper ſuppoſuiſſe veram ſciendi gratiam, aut proximam, aut remotam: cùm ibi concedat Pelagio, bene, & recte dici, quod homo *negligentiæ ſuæ debet imputare*, quod non ſit ſine peccato. Nam cùm dicit id eſſe negligentię, negat eſſe impo-

tentiæ, & talis ignorantię, à qua non poſſit liberari homo orando ſi velit Unde & mox adjicit in cap. 13. *dignetur inde, & orare Deum*, ne illi hæc iniqua negligentia dominetur. Et in cap. 17. *oret, & dicat*, da mihi intellectum & diſcam mandata tua.

Quantum autem ad hoc quod dicunt, Pelagianos defendiſſe ut dogma ſuum proprium, & erroneum, quod ubi ignorantia aderat, ibi culpa aberat. Reſpondeo illos id in alio ſenſu dixiſſe, quam nos dicimus. Senſus enim illorum erat, quod quando laborabant ignorantia tali, quam non poterant ſua propria induſtria mere humana removere, tunc non peccabant, quaſi videlicet non obligarentur invocare auxilium divinum ad removendam iſtam ignorantiam, ut non peccarent: qui ſenſus eorum proprius, & erroneus, & à nobis alienus explicatur ab Auguſtino libro modo citato de nat. & gr. in ultimo capite etiam citato, ſcilicet 17. ubi hæc habet Auguſtinus de Pelagio. Tractat etiam iſte (ſcilicet Pelagius) de peccatis ignorantiæ, & dicit: hominem prævigilare debere ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet (hæc ibi Pelagius ſupra quod ſic ait Auguſtinus) *dum tamen omnia potius diſputet, quam ut oret, & dicat, da mihi intellectum & diſcam mandata tua* (ubi vides, Pelagium reprehendi ab Auguſtino de eo quod nollet orare, ut removeret iſtam ignorantiam, tanquam putantem ad id non obligari, ut neceſſarium ad non peccandum: unde & proſequitur Auguſtinus dicens) aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata, etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari, aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. *Unde admonemur* (ſcilicet ut obligationis noſtrę,) *à Deo petere ſapientiam*: qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda eſt. Ubi vides, ſolùm reprehendi Pelagium, quod nollet orare ad tollendam ignorantiam, quaſi ad id non obligatum ſe eſſe putaret, ſed id in ſua mere humana poteſtate eſſe debere exiſtimaret ſine gratia, & petitione. In quo etiam ſenſu damnata fuit iſta celeſtij præcipui Pelagij diſcipuli propoſitio, quam ibidem nobis objiciunt adverſarij, & quę habetur in libro de geſtis Pelagij cap. 18. cum dicebat ille hæreticus: oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt ſed ſecundum neceſſitatem: quod ſane non intelligebat ille hæreticus, ut intelligimus, ſcilicet de ignorantia, quæ nec propria diligentia, nec cum ſpe divini auxilij vinci poterat; ſed de illa ſola ignorantia quæ ſola propria diligentia vinci non poterat, etiamſi ſpes eſſe vincendi illam cum ope divina, ſi peteretur quod erat ſolùm contra indigentiam, ſeu neceſſitatem gratiæ, non vero contra ejus ſufficientiam, quam defendimus. Unde contra iſtam propoſitionem, & alias ſimiles non aliter agit Auguſtinus in illo libro, quam ut contra neceſſitatem gratiæ à Domino imploran-

dę, quam prorſus rejiciebant iſti hęretici totum volentes eſſe in propria ſua poteſtate, ſine indigentia opis divinæ ut evitarent peccatum.

Quam autem craſſe ignoraverint adverſarij veram quæſtionem gratiæ, quæ vertebatur inter Auguſtinum, & Pelagium ſub quæſtione de poſſibilitate vitandi peccati, pauliſper attendendum eſt, ut hallucinatio eorum quoad pręſentem difficultatem de inexcuſabilitate hominis à peccato detegatur. Dicunt enim quod hæc diſputatio erat inter Auguſtinum & Pelagium; utrum homo ſine peccato vivere poſſit ſi velit, & quod id affirmabat Pelagius, negabat Auguſtinus, eo quod ignorantiæ peccata homo vitare non poſſit, etiamſi velit. Ubi prorſus vides ſileri gratiam, quaſi ad quęſtionem ibi agitatam non pertineret, cùm tamen principalis eſſet quęſtio, imo vero totalis, ut patet ex cap. 10. illius libri ubi maxime dicunt adverſarij fervere iſtam diſputationem, ſic enim ibi ait Auguſtinus. Agit (ſcilicet Pelagius) adhuc adverſus eos, qui negant eſſe poſſibile, hominem eſſe ſine peccato; quid ad nos (ubi vides, Auguſtinum formaliter negare, diſputationem eſſe de eo, de quo affirmabant adverſarij illam fervere, ſcilicet de poſſibilitate vivendi ſine peccato: & mox ſubdit de quo diſputatio erat, & quid ibi quęrebatur dicens) contra quos vult agat (Pelagius) dum *tamen hoc confiteatur* (ecce quod contendebat ibi Auguſtinus contra Pelagium) quod impietate ſceleratiſſima negatur (ecce quod negabat Pelagius contra Auguſtinum) *ſine gratia Dei* hominem ſine peccato eſſe non poſſe: ecce ergo de quo diſputabatur an ſcilicet *ſine gratia* homo ſine peccato eſſe non poſſit, non vero ſimpliciter, an homo ſine peccato eſſe non poſſit, ut dicebant adverſarij & ſic manifeſtum eſt quod formalis diſputatio erat de gratia, ſeu de neceſſitate gratiæ ad non peccandum admittendæ, quam negabat Pelagius, aſſerebat Auguſtinus. Non vero de mera, & pura poſſibilitate, aut impoſſibilitate non peccandi, ut volunt adverſarij pro quo vide caput 11. 12. & 13. ubi adhuc præcipue negat Auguſtinus eſſe quæſtionem de poſſibilitate vitandi peccatum, ſed tantum de neceſſitate gratię ad illud vitandum requiſitæ, dicens: jam vero illud, quod ei (ſcilicet Pelagio) dicitur, ipſe tu ſine peccato es: revera non pertinet ad eam rem, de qua vertitur quæſtio (quare hoc, quia nempe ibi gratia ſiletur: unde & mox ſequitur id quod pertinet ad quæſtionem) ſed quod dicit: negligentiæ ſuę potius imputari, quod non eſt ſine peccato. Bene quidem dicit, ſed *dignetur inde & orare Deum* (ut ſcilicet det gratiam) *ne illi hæc iniqua negligentia dominetur*, quem rogabat quidam, quando dicebat: itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas: *ne dum ſuæ diligentiæ* (nota valde) *quaſi propriis viribus fidit* (per quod excluditur neceſſitas gratiæ) neque hîc ad veram juſtitiam, neque illic, ubi ſine dubio perfecta deſideranda eſt, & ſperanda, perveniat. Ubi luce ipſa clarius vides commendari ab Auguſtino neceſſitatem gratiæ contra præſum-

Lib. de nat. & gr. Cap. 10.

ptionem naturæ, ut quid prorsus intrinsecum, & essentiale quæstioni inter eos controversæ: quod & adhuc clare indicat cap. 17. dicens: non autem ibi est quæstio quæ versatur: *illud est quod expecto ab isto* (scilicet Pelagio) *audire* si possim, eos qui secundum spiritum vivunt, & ob hoc etiam hîc adhuc viventes, jam quodammodo in carne non sunt; *utrum gratia Dei vivant secundum spiritum, an sibi sufficiunt jam data cum creantur possibilitate naturæ, & sua propria voluntate*: ubi nihil aliud vides quam quæstionem verti de gratia: utrum illa necessaria sit ad bene vivendum, an vero sufficiat sola natura sine gratia. Ex quo manifestum est, quod non ibi defendebat Pelagius simpliciter: hominem posse esse sine peccato, si velit, ut prætendunt adversarij: aut hominem excusari posse à peccato transgrediens præceptum, quod invincibiliter ignoraret, ut prætendunt iidem adversarij: sed quod defendebat tanquam dogma proprium, & erroneum: hominem posse esse sine peccato, *etiamsi gratia Dei non juvaretur*: &: hominem posse excusari à peccato transgrediendo præceptum, quod invincibiliter quantum est ex se, & ex propria virtute ignoraret, *licet illius scientiam, & notitiam impetrare à Deo posset.* Quod erat negare gratiam esse necessariam ad non peccandum (unde & id reprehendit Augustinus) non autem erat excusare impotentiam absolutam ad non peccandum ut prætendunt adversarij, cùm nulla ibi vera esset impotentia secundum Augustinum & secundum rei veritatem, cùm ibi supponeretur semper adesse potentiam petendi scientiam, & potestatem ad non peccandum, ut satis supra indicavimus. Unde nec etiam pertinebat ad quæstionem, id quod aiunt adversarij, scilicet esse ignorantiam quandam invincibilem, quæ sola Dei gratia magnis precibus impetranda fugari potest: cum id non negarent Pelagiani, quandoquidem illi, ipso referente Augustino fatebantur orationes esse necessarias ad obtinendam cognitionem legis, & doctrinæ ut videre est toto libro de gratia Christi, præcipue vero cap. 30. 33. & 41. quod etiam fatentur adversarij sed quæstio erat; num necessarium esset sub reatu peccati petere à Deo notitiam legis, & doctrinæ, si ea non adesset, ut præceptum impleretur: quod omnino asserebat Augustinus, & negabat Pelagius, statuens sufficere ad evitandum peccatum, ut id quod propria diligentia homo discere posset, non negligeret, aliud autem omne, quod sic scire non posset, ulterius quærere non teneretur, ut satis innuit apud Augustinum libro de nat. & gr. cap. 17. cum ait: hominem *prævigilare debere* ne ignoret (ubi vides id eum committere propriæ hominis diligentiæ sine ulla commemoratione gratiæ) *ideoque* esse culpandam ignorantiam *quia id homo agit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset* (Ubi adhuc vides eum id committere hominis diligentiæ, & nullatenus gratiæ, ut ad id necessariç: unde reprehendens eum ibi Augustinus, non redarguit eum tanquam negantem gratiæ præsentiam, & per hoc asserentem impotentiam, sed tanquam negantem gratiæ divinæ indigentiam, seu necessitatem ad non

Facile admittebant Pelagiani necessitatē orationis ad habendam gratiam intellectus seu cognitionis cùm illa non esset cōtra principia illorū qui solum cōtendebant voluntatē esse per se satis firmā ad agendū bonum at vero quod intellectus indigeat gratia hoc non arguit infirmitatem in voluntate cū certum sit quod quævis voluntas etiam fortissima præsupponit necessario cognitione eligendorum antequam possit eligere.

peccandum peccato ignorantiæ, dicens) dum tamen omnia potius disputet, quam ut *oret* (ergo supponebat ibi adesse gratiam orandi sed contemni à Pelagio) *& dicat da mihi intellectum & discam mandata tua*: aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata; etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit. *Vnde admonemur à Deo petere sapientiam* (ecce adhuc ibi supponit adesse gratiam petendi, & orandi scientiam seu sapientiam à Deo) qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda est. Ubi solum apparet ibi disputasse Pelagium contra necessitatem petendæ à Deo gratiæ, quam exigebat Augustinus ad peccatum ignorantię vitandum, non vero contra absolutam quandam sciendi impotentiam (ut comminiscuntur adversarij) cùm nulla talis ibi reperiretur, quandoquidem ibi supponebatur adesse gratia orandi, qua illam necessariam sibi scientiam impetraret homo ignorans, si vellet. Non ergo ibi arguebatur ab Augustino impotentia sciendi in homine lapso quasi non sufficeret ad excusandum eum à peccato, si absoluta illa esset, & prorsus invincibilis, ut prætendunt adversarij: sed arguebatur solùm Pelagianorum superbia, qui nolebant esse necessarium scientiam à Deo peti, quam non poteramus habere propria diligentia, ut evitaretur peccatum, sed volebant in eo solo peccari, quod prorsus erat in potestate nostra mere humana, si id ipsi negligeremus, id est si nollemus eam adipisci scientiam quam poteramus propria nostra diligentia, sine gratia divina. Quod longissime abest à prætenso sensu adversariorum, cùm ibi non supponatur vera impotentia, sed solùm quærendi, & petendi, & pulsandi ad Deum negligentia voluntaria.

§. II.

In quo late explicatur quidam locus Augustini, fallaciter ab adversariis adductus, contra inexcusabilitatem peccatorum.

SEd adhuc adferunt, aliqua pro eodem sensu D. Augustini testimonia, quæ sigillatim discutienda sunt, quorum primum est illud in initium Psalmi 35. ubi sic loquitur Augustinus, non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo ut bene vivant, non quia non possunt, sed quia nolunt: aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest &c. aliud autem quando perniciosius agit adversus seipsum cor humanum, ut quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est, hoc autem fit cum amant peccata sua, &

oderunt præcepta Dei. Quæ postrema verba inquiunt adversarij, manifestant de rebus agibilibus intelligendis esse sermonem. Sed ibi dolose agunt adversarij: videntur enim innuere quod toto illo textu loquitur Augustinus de solis agibilibus, quod falsum est, cùm loquatur etiam de mere intelligibilibus, seu de mere speculativis non spectantibus ad mores, & quorum scientia necessaria non est, & in quibus patimur invincibilem ignorantiam, & quod dicit de his Augustinus, volunt etiam adversarij intelligi de rebus agibilibus ignoratis, in quo insignis fallacia est. Nam cùm loquitur ibi Augustinus de rebus agibilibus, ibi supponit ignorantiam vincibilem, & per hoc vult esse inexcusabilem: cum autem loquitur de aliis, supponit eorum ignorantiam esse quidem invincibilem, sed per hoc excusabilem, quia non necessaria est illorum scientia ad salutem. Sic cùm dicit: genus hominum sibi adversari non intelligendo, ut bene vivant, non quia non possunt, sed *quia nolunt*. Hoc, est de rebus agibilibus, sed ibi vides supponi ignorantiam esse vincibilem, quandoquidem dicitur, quod possunt intelligere, sed nolunt. Item & cum dicit infra: quod perniciosius agit adversus seipsum cor humanum, ut quod *possit intelligere, si bona voluntas accederet*, &c. hoc item est de rebus agibilibus, sed ibi vides supponi ignorantiam esse vincibilem, quandoquidem dicitur, quod posset homo intelligere, si bona voluntas accederet, & quod ideo non intelligit, non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est, & quod hoc fit cum amat peccata sua, & odit Dei præcepta. At vero cum dicit, quod aliud est quando quisque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, hæc sunt de rebus mere intelligibilibus, & non necessariis ad salutem circa quæ habemus ignorantiam invincibilem, non autem de agibilibus, ut volebant adversarij: unde infra istorum profert exemplum Augustinus ex incomprehensibili mysterio Trinitatis; de modo scilicet quo sit æqualis filius Patri: quem modum nemo tenetur intelligerere. sed solùm credere, & adorare. Unde multum ibi fallunt adversarij, volentes solùm ibi sermonem esse de agibilibus, cùm sit etiam de mere intelligibilibus, & de mere speculativis non necessariis ad salutem ut intelligantur: unde circa hæc potest esse ignorantia invincibilis, secundum Augustinum, non vero circa res ad salutem necessarias, ut V. G. circa hoc principium Christianum quod ibi affert in exemplum: quod tibi fieri non vis, alij ne feceris: non vult esse ignorantiam invincibilem, cùm mox dicat de illo (& idem omnino dicendum est de simililibus) hoc autem cùm non vis intelligere, *voluntati tuæ tribuitur*, ideo dixit injustus ut delinquat in semetipso. Ubi vides, Augustinum noluisse ullum hominem circa hæc pati ignorantiam invincibilem quia nempe in fidelibus semper supposuit potentiam orandi, seu petendi scientiam, & in infidelibus potentiam credendi, ut necessarium est ad orandum, & ad petendum auxilium, & scientiam necessariam, ut infra demonstrabimus. Sed ut clarius videas quantum ibi decipere voluerint adversarij,

sarij, latius explicanda sunt ea quę addunt ex Augustino ex eodem loco quem versamus. Et inferius (inquiunt) in illa verba Psalmistæ: noluit intelligere, ut bene ageret: sic Augustinus pergit: videtis quia voluntati illud tribuit: quia sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt, sunt autem homines, qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt. Porro utrosque peccare (inquiunt adversarij) ex eo patet, quod paulo ante generaliter dicit: non sciebam quia peccatum est, quando dicit homo; cum viderit quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat. At certe nihil ibi minus dicit Augustinus quam hęc quæ dicunt, & tribuunt ei adversarij: nam ibi solùm reprehendit Augustinus illos, qui nolunt intelligere, ut bene agant: id est, qui non solùm vincibiliter, sed etiam prorsus voluntariè quantum possunt, ignorant, ut liberius peccent: quod autem sint aliqui, qui non possunt scire, & in hoc peccent, ne unum quidem ibi verbulum videas, nisi velis dicere, quod ij qui non possunt intelligere, quomodo filius est æqualis Patri (quod est exemplum nescientium, & scire non potentium ibi allatum ab Augustino) non minus peccent quam ij qui nolunt intelligere, ut bene agant (nam de aliis qui non possunt intelligere, non loquitur ibi Augustinus) quod si id dicere absurdissimum est; quis non videat errorem adversariorum qui tribuunt Augustino, quod dixerit, tam eos qui non possunt scire, quæ sunt necessaria ad salutem, quam eos qui ea possunt scire, vere peccare: cùm de unis tantum id asseruerit Augustinus, scilicet qui possunt scire, & nolunt, & non de aliis. Ad textus autem quos afferunt, ut probent intentum suum quoniam perturbate afferuntur, & hinc inde corrasi sunt, ideo non bene potest iis responderi nisi explicando totum locum, ut facimus: sic enim ibi ait Augustinus, in hæc verba Psalmistæ: non est timor Dei ante oculos ejus. Ante oculos (inquit Augustinus) timor hominum est: non audet enim publice (impius) profiteri iniquitatem: ne vel reprehendatur vel damnetur ab hominibus (ecce vides non ignorantem, sed vere scientem, sed nolentem agnosci ut scientem quod etiam patet in sequentibus cùm dolose agere indicatur) discedit autem à conspectu hominum, quò; ad semetipsum, ducit se intrò, & nemo illum videt. *Vbi meditatur dolos, & insidias, & delicta &c.* & infra: numquid non ibi est præsens Deus, sed non est timor in conspectu ejus, *meditatur dolos, & sequitu.* Forte latet illum, quia Deus ibi videt, & jam ostendit, quod dicere cœperam, *latet illum, sed volentem,* quia contra se fecit, *nolens intelligere, quoniam dolòse egit in conspectu ejus.* Ubi per omnia describit Augustinus hypocritam, qui bene scit malum, sed non vult agnosci ut sciens malum, ne cogatur illud deserere. Vnde & paulo post subdit: sunt enim homines, qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, & timent illam invenire, quia si illam invenerint, dicitur illis, recedite ab illa, hæc fecisti antequam scires (quæ sunt verba monentium istos hy-

pocritas, & putantium quod illi hypocritæ non scirent licet non ita esset à parte rei, sed se nescire fingerent: quo sensu etiam sequentia proferuntur) iniquitatem fecisti, cùm esses in ignorantia, dat Deus veniam: modo cognovisti eam, dimitte illam, ut possit facile ignorantiæ tuæ veniam dari, ut libera fronte dicas Deo: delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meę ne memineris (quę sunt verba prædictorum monentium tales hypocritas non agnitos ut tales sed fingentes se nescire malum, & tamen vere scientes, unde & sequitur) hac illam quærit (hypocrita) hac timet ne inveniat eam *dolose enim quærit* (cum autem hæc dixisset Augustinus damnando istos hypocritas & falsò & ficte ignorantes: mox subdit veram notam, qua ij discernantur à vere, & simpliciter, & inculpabiliter ignorantibus: ubi afferuntur verba, quæ perperam pro se citarunt adversarij, quasi per ea indicasset Augustinus aliquos, qui vere, & simpliciter, & invincibiliter ignorarent, & tamen non obstante hoc peccarent, faciendo contra legem divinam, de quo ne cogitavit quidem Augustinus, cùm potius excuset tales, saltem non damnet eos, etsi ex tali ignorantia præceptum transgressi sint: sic ergo hîc discernit veros à fictis ignorantibus dicens) non sciebam quia peccatum est quando dicit homo (id est quando dicit homo, quod nesciebat, an hoc peccatum erat, hac nota discerne, an verum, aut falsum dicat) cùm viderit quia peccatum est, & destiterit facere ipsum peccatum (hoc est destiterit facere id quod est contra præceptum, sæpe enim vocat Augustinus peccatum, id quod est contra præceptum, etiamsi verum peccatum non sit, ut late probavimus in tract. de indifferenti, &c. parte 2. arg. 53. quod ideo faciebat quia ignorabat (scilicet esse peccatum esse actum prohibitum) vere sic voluit nosse iniquitatem, ut inveniret, & odisset (Ecce nota verorum ignorantium: mox ut agnoscunt in aliquo actu esse peccatum, cito desistunt ab illo: an vero antequam id noscerent, vere peccassent aut non peccassent faciendo illud, non determinat Augustinus, nec quicquam affirmat circa istud, ut putarunt adversarij, cito concludentes eos vere peccasse etsi non id dixerit Augustinus, nec dicere debuerit, cùm id non esset ad propositum suum, quod erat solùm demonstrare; quinam erant veri ignorantes, ut discernerentur à falsis non vero an illi essent etiam culpabiles, cujus contrarium, si bene legatur, innuit: unde demonstratis veris illis ignorantibus, mox transit ad fictos, & malitiose ignorantes, de quibus ibi per se agebat, ut vituperaret eos, dicens) nunc autem multi *dolose agunt*, ut inveniant iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt invenire, & odisse, sed quia in ipsá inquisitione *dolus est* (ecce vides fictos, & dolose ignorantes) in inventione defensio iniquitatis erit (id est non desistent ab actu prohibito) cum enim invenerit iniquitatem, ecce jam manifestum est illi, quia iniquitas est, noli illam facere inique: & *ille qui dolose agebat*, uț inveniret, jam invenit, & non odit; quid enim dicit, quam multi

Posterior textus supra citatus ab adversariis.

hoc faciunt, & quis hoc non facit, & numquid omnes perditurus est Deus, aut certe hoc dicit: si nollet Deus illa fieri; viverent homines, qui ista committunt (ubi vides eum solùm vituperare eos qui ficte & dolose ignorant, & qui volunt excusare peccata suá cognita, & sibi demonstrata, non vero alios, quos potius videtur excusare ob simplicitatem, & sinceritatem eorum: unde repetens supra allatam notam veræ, & sinceræ ignorantiæ, sic *urget prædictos* fictos, & dolose ignorantes, dicens) vides quia *dolose agebas* ad inveniendam iniquitatem tuam: nam *si non dolose*, sed sinceriter ageres, jam invenisses, & odisses: modo invenisti, & defendis, *dolosè ergo agebas*, cùm quæreres: verba oris ejus iniquitas, & dolus noluit intelligere, ut bene ageret (& postmodum subdit verba illa, per quæ dicunt adversarij Augustinum indicasse ignorantiam invincibilem in rebus agibilibus, de quo tamen nihil ibi prorsus videas: imo nec quidpiam simile suspicari possis, cum ibi solùm loquatur Augustinus de ignorantia invincibili sine ulla determinatione materiæ, in qua ipsa reperiatur, ut videre potes in terminis) videtis quia voluntati illud tribuit: quia sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt (ibi quidem vides, quod sunt homines, qui volunt intelligere, & non possunt, sed quid sit illud quod volunt intelligere, & non possunt, prorsus non vides, nec re vera dixit ibi Augustinus: quare ergo dicunt adversarij illud esse agibile, potius quam intelligibile, & non saltem accurate examinarunt & perpenderunt omnia antecedentia, ut prudenter illud adjicerent sed ipsi noluerunt intelligere ut bene scriberent, dolose enim egerunt in conspectu Dei: nam si antecedentia bene perpendissent vidissent illud intelligendum esse non de rebus agibilibus, sed de rebus intelligibilibus non necessariis ad salutem, ex quibus jam sumpserat Augustinus exemplum in explicanda ista ignorantia, in qua vult homo intelligere, & non potest, cùm dixit, explicando initium Psalmi: fac hominem quærere quomodo sit æqualis filius patri, credidit, *quærit intelligere, & non potest* (ecce secundum Augustinum, id quod illi volunt intelligere, & non possunt, scilicet res mere intelligibiles, & speculativas, & non necessarias ad salutem qualis est ista quomodo filius est æqualis patri, unde & sequitur) magna enim res est, & vires majores desiderat, *quam ut possit capi*: & est initium fidei, quod custodit animam donec roboretur. Lacte nutritur, ut perveniat ad habitudinem, & firmitatem cibi solidioris, *ut possit intelligere, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* (ubi adhuc vides merum intelligibile & non agibile) antequam hoc possit, nutritur in fide, & conatur intelligere, ut intelligat, quantum Deus dederit. Quod & mox opponit rebus agibilibus, circa quæ non est talis ignorantia dicens: numquid & hoc cum conatu intelligit: quod tibi fieri non vis alteri ne feceris &c. ubi manifestum est Augustinum illam ignorantiam invincibilem, de qua ibi loquitur, solum intellexisse, de rebus mere intelligibilibus, seu

Prior textus supracitatus ab adversariis

Omittuntur reliqua istius textus quia circa illa nullam faciunt adversarii difficultatē aut instantiam.

merè speculativis non necessariis ad salutem ut intelligantur, non autem de agibilibus, seu spectantibus ad mores, & necessariis ad salutem, ut ipsi putarunt, aut putari voluerunt adversarij: qui sane magis hîc spectarunt ad intentum suum, quam ad sensum ab Augustino intentum, ut ex dictis videre est. Ex quibus omnibus clare apparet, quam longe recesserint adversarij à vero sensu Augustini, cum dixerunt Augustinum locutum ibi fuisse de ignorantia invincibili in rebus agibilibus, & actum inde secutum esse verum peccatum, cùm nihil de istis ibi dicat Augustinus, sed omnino contrarium, cùm istam ignorantiam solùm ibi intelligat in rebus intelligibilibus, & mere speculativis, non spectantibus ad salutem, de quibus nec dixit sequi peccatum, nec dicere potuit. Quanquam & si hoc intelligeretur de rebus agibilibus: bene exponi posset de impossibilitate tantum secundum quid, ob carentiam scilicet gratiæ proximæ, ad cujus absentiam sæpe dicit Augustinus sequi impossibile, non quidem absolutum, cùm ibi supponat gratiam orandi, ut supra satis vidimus; sed tantum secundum quid, quod non est contra gratiam sufficientem.

§. III.

In quo quidam alii explicantur Augustini loci, contra inexcusabilitatem peccatorum.

SEd adhuc proferunt locum ex Epistola ad Sixtum, ubi dicunt: quod postquam præmisisset Augustinus hæc verba: humana superbia tanquam præsumens de viribus arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat. Tandem de ignorantia, sive voluntaria, hoc est vincibili, sive invincibili sic concludit: ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat. Respondeo hęc quidem præmitti, quæ hîc dicuntur præmitti: sed est & alius discursus inter illa, & sequentia quæ dicuntur concludi ex illis, scilicet discursus de peccato originali, ex quo illa sequentia concluduntur, seu inferuntur, non vero ex præmissis supra allatis, ut patet ex ipso textu, qui se ita habet apud Augustinum. Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertransiit, in quo ante propria in singulis quibusque peccata, communiter peccaverunt (ubi vides sermonem esse, non de ignorantia invincibili, ut innuere volebant adversarij, sed de peccato origin. ut omnibus communi, & de propriis: ex quo discursu sic concludit) ac per hoc omnis peccator inexcusabilis est, vel reatu originis (ut parvuli, ut perpetuo amentes, & similes qui non habent usum rationis) vel additamento proprię voluntatis (ut sunt omnes ratione utentes, qui peccant etiam per propriam voluntatem non sicut præcedentes qui solùm peccant per alienam, per quam peccatum originale contrahunt, de quibus omnibus mox dicitur) sive qui

novit (quales sunt omnes ratione utentes) sive qui ignorat (quales sunt parvuli , & perpetuo amentes, & similes (sive qui judicat (ut sunt omnes ratione utentes) sive qui non judicat (ut sunt omnes qui ratione non utuntur, ut parvuli , perpetuo amentes , & similes) quia, & ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt sine dubitatione peccatum est (scilicet in ratione utentibus) in eis autem qui non potuerunt (quales sunt ratione non utentes) pœna peccati. Putavit enim Augustinus ignorantiam eorum qui nascuntur , & etiam mala casu accidentia ut amentia & similia esse pœnas peccati originalis , ut patet ex lib. 22. de civit. Dei cap. 22. circa initium ubi ait : nam quoad primam originem pertinet , omnem mortalium progeniem fuisse *damnatam* (ob peccatum originale) hæc ipsa vita si vita dicenda , est , *tot & tantis malis plena testatur : quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ , ex qua omnis error existit , qui omnes filios Adam tenebrosi quodam sinu suscipit* (quod indicat nativitatem) ut homo ab illo liberari , sine labore, dolore , & timore non possit. Et lib. 3. contra jul. cap. 4. quis ferat, inquit , *quoad ipsum animum , imaginem Dei , innocentiæ , sicut asseris , dote locupletem fatuam nasci* , si nulla ex parentibus mala merita in parvulos transeunt. Cum ergo putaret hanc ignorantiam accidere parvulis & amentibus perpetuis ob originale peccatum , bene dixit eam esse pœnam peccati nam quod hæc non intelligantur de infidelibus invincibiliter , ignorantibus ea quæ pertinent ad eorum salutem , patet , cum in eadem Epistola paulo ante ea quæ explicuimus dicat Augustinus , quod ipsi potuerunt invisibilia Dei , per ea quæ facta sunt , intellecta conspicere, & quod non potuit, dici de illis , quod non cognoverunt , cùm secundum Apostolum cognoscentes Deum , non ut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt , propter quod etiam dixit : eos esse inexcusabiles apud Deum, ut supra vidimus in testimoniis Augustini. Cum autem ibidem dicit Augustinus : quod quicumque sine lege peccaverunt , sine lege peribunt : non est contra nos : aliud enim est sine omni cognitione necessaria perire , & aliud sine cognitione legis perire : hoc posterius dicit Augustinus , & non illud prius , & sic consentit nobiscum , qui dicimus hominem numquam sine potestate ad cognitionem necessaria perire , & sic numquam gratia sufficienti destitui. Quantum autem ad illud , quod adducunt ex libro de sp. & litt. cap. 3. ubi dicit Augustinus , quod neque lib. arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet , si lateat veritatis via. Respondeo non esse intentionis Augustinianæ vocare , istud peccatum , verum peccatum : potuit enim istud vocare peccatum improprium , sicut sæpe vocat motus indeliberatos concupiscentiæ , peccata , etiam in renatis , imo & in confirmatis in gratia (ut in Apostolo Paulo) in quibus in confesso apud omnes est illa non esse vera peccata. Neque enim ibi definiebat Augustinus , quid homo possit facere sine gratia , sed *quid non possit facere sine gratia* , de quo formalis erat ei disputatio cum Pelagianis in illo libro : illis dicen-

bus, nos posse preceptum facere sine gratia, illo vero contra dicente, eos non posse illud facere sine gratia: unde ibi posse peccare nihil aliud est quam non posse præceptum facere quod est mere negativum, & potest esse sine peccato, ut V.G si talis impotentia fuisset in Adamo: nam quod dicunt absolutam impotentiam non excusare hominem lapsum, ut excusasset Adamum, respondemus id esse falsum, quandoquidem negat Augustinus actum hominis lapsi, sicut & stantis, esse verum peccatum, nisi fiat cum indifferentia ut late demonstravimus in tract. de indifferenti lapsi hominis arbitrio sub &c. non potest autem fieri cum indifferentia, nisi adsit potentia non peccandi, & per hoc non potest verum peccatum fieri cùm impotentia non peccandi secundum Augustinum. Porro quod ibi loquatur Augustinus mere negative dicendo, quid non possit lib. arbitrium, non vero positive, dicendo quid possit: præter rationem supra allatam de intentione Augustini, quæ erat tantum demonstrare quid non possit liberum arbitrium sine gratia, illud ibidem sic exprimit dicens: & cùm id quod agendum, & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur: *non agitur, non suscipitur, non bene vivitur.* Ubi vides omnia negativa, & nihil positum affirmari de potestate nostri arbitrij sine gratia, non enim dicit: male agitur, malum suscipitur male vivitur: sed, bonum non agitur, non suscipitur &c. quę sunt mere negativa quia nempe id unum ibi disputabat Augustinus cum Pelagianis, an lib. nostrum arbitrium esset sufficiens sine gratia ad preceptum implendum, an non, & nihil aliud: unde cùm dixit quod lib. arbitrium non valet nisi ad peccandum, cùm latet veritatis via, sensus est, quod non valet ad preceptum implendum, cùm via veritatis latet, non autem voluit quod positive valeret ad vere peccandum cùm de ista valentia, nihil ibi disputaretur, sed de alia, & ibi peccatum sumitur improprie pro eo quod habet objectum malum, abstrahendo ab aliis circumstantiis, ad male agendum requisitis. Eo modo quo sæpe explicat Augustinus illud Apostoli: quod nolo malum, hoc ago. Sed & si admitteretur ibi, Augustinum dicere voluisse: quod latente via veritatis lib. nostrum arbitrium valet ad peccandum vere, & proprie nihil tamen hinc inferretur contra nos, & pro peccato commisso in ignorantia invincibili. Nam licet ibi dicatur quod lateat veritas, non tamen dicitur quod tunc non possit impetrari cognitio illius per gratiam orandi, aut aliam remotam, quæ vere sufficit ad tollendam ignorantiam invincibilem: unde tunc non erit peccatum commissum in ignorantia invincibili, cùm ignorantia illa sit vincibilis per gratiam orandi, & de his forte peccatis loquitur Augustinus lib. de nat. & gr. cap. 22. cùm ait, loquens de Pelagio: nec cogitat, prævaricatorem legis, quam digne deserat lux veritatis, qua desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, vexatusque non surgat, & ideo tantum audiat vocem legis, quod *admoneatur implorare gratiam salvatoris.* Quod si objicias, tunc non fore veram propositionem Augustini, qua

dixit tunc lib. arbitrium solùm valere ad peccandum, cùm tunc secundum nos valeat etiam ad non peccandum per gratiam remotam, V. G. orandi, aut aliam similem, per quam poterit obtinere scientiam necessariam, & potentiam proximam ad implendum præceptum. Respondeo negando hanc sequelam in sensu Augustini: solet enim Augustinus solam potentiam proximam vocare potentiam, ita ut qui non habet illam dicat habere nullam, etiamsi habeat remotam, V. G. orandi, eleemosynas faciendi, & similes: unde libro de grat. & lib. arb. cap. 15. explicans ista verba S. scripturæ si volueris conservabis mandata, sic ait: ut homo qui voluerit, & *non potuerit*: ecce vides, negari potentiam, quasi nulla ibi esset ad præceptum implendum, & tamen ibi erat potentia remota seu potentia orandi, qua impetrari poterat potentia proxima faciendi præceptum, ut patet cùm addit: *oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata*: ergo iste habebat potentiam remotam, seu potentiam orandi, & impetrandi proximam, quæ est faciendi præcepti urgentis, sed quia non habebat proximam, negat Augustinus illum habere ullam. Sic ergo negat hîc Augustinus lib. arbitrium valere ad aliud quam ad peccandum, non quod re vera non valeat ad aliud, scilicet ad non peccandum, cùm ad id possit invocare, atque impetrare auxilium necessarium, & sufficiens, sed quia non habet ad id potentiam proximam, negat Augustinus eum ad id habere potentiam, seu valentiam propter rationem supra factam: unde sensus illius textus in hac via erit, quod quando latet veritatis via, lib. arbitrium non valet proxime nisi ad peccandum: in quo nihil habetur pro peccato commisso in ignorantia invincibili, quandoquidem nulla ibi est ignorantia invincibilis, cùm ipsa possit vinci orando, atque impetrando scientiam.

Ibi peccatum sumitur proprie. in alia autem via sumitur improprie, pro eo quod habet objectum malum, abstrahendo ab aliis circumstantiis eo modo ut jam dixi quo sæpe explicat Augustinus illud Apostoli. Quod nolo malum hoc ago. Quod intelligit de peccatis impropriis, & involuntariis.

Quantum autem ad textum quem ibidem adducunt ex libro de nat. & gratia cap. 40. dico non esse de ignorantia invincibili, cum qua voluntas peccatum componat: de quo solum quæstio est. Sed esse de ignorantia, quæ existit in homine, cùm non adest gratia: quod non indicat peccatum commissum in ignorantia invincibili, sed tantum indicat ignorantiam quæ in nobis est sine gratia eam impediente, & nobis impertiente contrariam scientiam: seu est de necessitate gratiæ ad fugandam ignorantiam requisitæ, non vero de peccato in ignorantia illa commisso: ut patet ex ipso textu: hinc saltem; inquit, confiteatur (scilicet Pelagius) esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum vivere (ubi vides meram assertionem ignorantiæ, quæ est in homine sine gratia: quam mox subdit non posse fugari per merum lib. arbitrium, sed per solam Dei gratiam, quam per crucem suam nobis Christus acquisivit) an & hoc ut sciat, sufficit ei lib. arbitrium,,

lexque naturalis, hæc est sapientia verbi; qua evacuatur crux Christi. Id est qua evacuatur, seu negatur gratia Christi, nobis per illius crucem acquisita, & ad fugandam hanc ignorantiam necessaria: & sic nihil est ibi ad propositum, cùm id non sit de vero peccato in ignorantia invincibili commisso, sed tantum de gratia ad illam fugandam, necessaria, de qua non est nobis controversia.

Licet autem prædicta, tam sint de fidelibus, quam de infidelibus dicta, ut patebit legenti: volunt tamen adversarij probare singulariter de fidelibus, quod etiam sæpe laborent ignorantia invincibili, & quod ex ea peccent. Sed quia multa inutiliter congerunt, non attingentes nodum difficultatis, cùm non demonstrent, eos carere gratia orandi, qua istam ignorantiam vincant, impetrando scientiam, quandoquidem illi habent fidem qua impetrent quod voluerint. Hinc est quod ista omnia prætermittimus, non solum ut inania, quandoquidem non attingunt prædictum nodum difficultatis, sed etiam ut non sincera, quandoquidem locos aliquos mala fide pro se adducunt, quorũ duos per accidens advertimus, & hîc notamus, quia suprà, eos perpendimus, ut sensum habentes sensui ab adversariis prætenso contrariũ: quorum primus est: aliud est non curasse scire, quæ negligentiæ peccata, etiam per sacramenta quædam legis videbantur expiari, aliud intelligere velle nec posse, &c. qui locus sic truncatus indicat ignorantiam invincibilem, at si addas quod mox sequitur, tunc apparebit, illam ignorantiam non esse invincibilem, sed omnino vincibilem. cùm mox addat Augustinus: *unde admonemur, à Deo petere sapientiam* (id est scientiam) qui dat omnibus affluenter, *utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt*, quomodo, & quantum res tanta petenda est. Per hæc indicans, illam ignorantiam non esse invincibilem, cùm possit superari per humilem orationem, quæ impetret scientiam necessariam, & tamen volunt adversarij id intelligi de tali ignorantia, *quá vult homo, & non potest scire quod justum est*. Quod utique est falsissimum. Alter locus est in eodem §. ubi istorum verborum Augustini corrumpunt sensum. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt. Quem locum explicant adversarij de simpliciter nescientibus, cùm non sit de talibus, sed tantum de iis, qui *tanquam* simpliciter nesciunt, ut habet expresse Augustinus: quod sensum longe facit diversum, quandoquidem Augustini verba significant tantum ignorantiam secundum quid, verba autem adversariorum significant simplicem, & absolutam ignorantiam ut per se manifestum est. Quam autem diversum faciant sensum ignorantia absoluta, & ignorantia secundum quid in ordine ad materiam de peccatis, de qua agimus, nemo est qui nesciat, cùm nemo dubitet peccata commissa ex ignorantia secundum quid, V. G. crassa, & supina quæ vincibilis est, esse vera peccata, secus vero peccata quę fiunt ex ignorantia simplici, & absoluta, seu prorsus invincibili quæ saltem plurimi negant esse vera peccata.

L. de nat. & gr. c. 17.

Lib. de nat. & gr. c. 17.

Lib. de gr. & lib. arb. c. 3.

§. IV.

§. IV.

In quo reliqui diluuntur Augustini loci ab adversariis adducti, cum explicata eorumdem doctrina de inexcusabilitate peccatorum.

VErum audiamus adversarios explicantes totam suam doctrinam de ignorantia invincibili, quæ non excusat hominem à peccato: dicunt ergo, per illam ignorantiam se intelligere illam, quæ est juris naturalis, & non divini, aut facti, quod & nos semper intelleximus, & ita intelligi cupimus. Istam autem ignorantiam non excusare à peccato probare conantur aliquibus Augustini textibus, quorum primus est ex serm. 4. de verbis Apostoli ubi ait Augustinus: Procedit lex Dei, & dicit: non concupisces: ille homo, qui putabat magnum bonum esse, magnamque fœlicitatem existimabat, ea quæ poscit, suæ concupiscentiæ non negare, sequi qua trahit, audit: non concupisces: & cognoscit esse peccatum: Deus dixit, homo audivit, Deo credidit, peccatum suum vidit, quod bonum putabat, malum esse cognovit, voluit frænare concupiscentiam, non ire post eam, strinxit, conatus est, victus est. Qui fuit antea nescius malorum suorum, factus est doctus, & pejus est victus. Cœpit esse non solùm peccator, sed etiam prævaricator, peccator enim & antea erat, sed antequam legem audiret peccatorem se esse nesciebat. Post quæ sic addunt adversarij: & tamen propter illa ignorantiæ suæ peccata, in quibus se peccatorem esse nesciebat, etiam damnandum esse testatur: si damnandus erat peccator, quam spem habet prævaricator.

Respondeo, hunc locum non esse de ignorantia invincibili, imo vero esse contrarium ignorantiæ invincibili, cùm supponat in ipso peccante scientiam, ut patet ex his verbis: ille homo qui putabat .... audit, non concupisces, & *cognoscit esse peccatum.* Deus dixit, homo audivit, Deo credidit *peccatum suum vidit*, quod bonum esse putabat, *malum esse cognovit*: & infra: antea nescius, *factus est doctus.* Quæ omnia claram supponunt in isto peccante scientiam, nullam autem ignorantiam, sive vincibilem, sive invincibilem. Quare ergo hunc locum allegarunt adversarij, quasi esset de ignorantia invincibili, cùm non sit de ignorantia, sive vincibili, sive invincibili. Forte propter hoc, quod ibi dicitur per accidens: antequam legem audiret peccatorem se esse nesciebat. Ubi re vera peccator dicitur nescius, sed non dicitur invincibiliter nescius, nec talis innuitur, sed tantum opponitur prævaricatori, qui per legem scit peccatum, peccator autem non scit illud per legem, sed per hoc non excluditur alia via per quam possit illud cognoscere: potest enim illam cognitionem immediate petere, si sit fidelis, si autem sit infidelis, potest in Deum credere, & per hanc fidem eamdem cognitionem obtinere, & sic non invincibili-

ter ignorare quod malum est. Ut autem clare agnoscas, hunc esse sensum Augustini: vide quam causam afferat, & peccati, & prævaricationis immediate post ultima verba ab adversariis allata, scilicet, si damnandus est peccator, quam spem habet prævaricator. Ergo inquit, ô *homo* (tam peccator, quam prævaricator) vicit te concupiscentia tua, vicit *quia* in malo loco te invenit (at quis est malus locus iste: certe non alius nisi mens præsumens de viribus suis, & nolens orare Deum, seu confugere ad Deum, ut habeat scientiam sibi necessariam, prout in antecedentibus explicuit, & mox indicabit, ut videbimus) invenit te in carne, ideoque vicit. Migra inde, quid expavescis. Non tibi dixi, ut moriaris (corporaliter) imo audeo dicere: dixi, ut moriaris (scilicet spiritualiter, præsumptioni, & superbiæ tuæ prohibenti te orare, & confugere ad Deum) si mortui estis, quæ sursum sunt quærite: in carne vivens, *noli esse in carne.* (Per carnem solebat Augustinus, præcipuè scribens, ut hîc contra Pelag. intelligere potentiam humanam fragilem, & modicam, confidentem in seipsa, & gloriantem in viribus suis, ut clare explicat lib. de gr. & lib. arb. cap. 4. circa initium, ubi ait: audet miser homo, quando bene vivit, & bene operatur: vel potius bene vivere, & bene operari sibi videtur: *in seipso, non in Domino gloriari, & spem rectè vivendi in seipso ponere*, ut sequatur eum maledictum Hieremiæ Prophetæ dicentis: maledictus homo qui spem habet in homine, & *firmat carnem brachii sui*, & à Domino discedit cor ejus. Et paulo post: ut ergo ostenderet, sic se admonuisse hominem, *ut nec in seipso haberet spem*: propterea cum dixit: maledictus homo qui spem habet in homine: mox addidit: & *firmat carnem brachii sui: brachium pro potentia posuit operandi, in nomine autem carnis, intelligenda est humana fragilitas, ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem, atque invalidam*: id est *humanam sibi sufficere ad bene operandum putat, nec adjutorium sperat à Domino*: propter hoc enim subjecit, & à Domino discedit cor ejus: talis est hæresis Pelagiana. Hoc ergo hîc intelligit Augustinus: per τὸ noli esse in carne: id est, noli confidere in fragilitate tua, seu in fragili potentia tua: ecce malus locus, in quo erat ille cui loquitur hîc Augustinus, cùm ait noli esse in carne) omnis caro fœnum, verbum autem Domini manet in æternum (sed audi quod sequitur) *Dominus fiat refugium tuum* (ecce ergo propter quod non vult Augustinus, ut homo sit in carne, id est in præsumptione de propriis viribus suis: quia nempe ista præsumptio Pelagiana, quam ibi impugnabat, prohibet ne confugiat homo ad Deū, & ne postulet scientiam, aut potentiam à Deo, à quo solùm potest eam habere: quod & late inculcat dicens) instat concupiscentia, urgeatte, magnas vires accepit adversum te prohibitione legis grandior facta est, majorem hostem pateris, *fit Dominus refugium tuum* (ecce adhuc consulit, ut confugiatur ad Deum: & per consequens supponit adesse potentiam orandi Deum, & petendi scientiam, aut potentiam proximam, sed impediri à carne, à præsumptione, à superbia omnia vo-

lente habere à seipsa & non à Deo qui est) turris fortitudinis à facie inimici (unde & sequitur) noli esse in carne (id est in præsumptione & superbia quæ suadetur à carne) in spiritu esto. Quid est: in spiritu esto : *in Deo spem pone* &c. & infra c. 8. in fine ; an dicturus es: volo sed non valeo : quare non vales : quia sanitas non est : unde sanitatem perdidisti , nisi quia peccando creatorem offendisti : ergo ut ejus panem cum suavitate , id est in sanitate manduces. *Dic illi : ego dixi Domine miserere mei sana animam meam* quia peccavi tibi. Ubi vides semper eum supponere potentiam orandi , & sic illam ignorantiam non esse invincibilem in istis. Neque vero quicquam aliud indicat Augustinus in cæteris locis , quos pro se citant adversarij , cùm & ipsi fateantur , non aliam , sed eamdem in illis tradi doctrinam , quam in præcedenti. Unde est quod in uno illorum loco (quem prudentissime volunt esse instar reliquorum omnium , quandoquidem in illo facit mentionem Augustinus cæterorum) indicat Augustinus nos semper habere potentiam orandi ad impetrandam scientiam contra ignorantiam , & robur contra infirmitatem. Ne peccemus , inquit , ut regat ille (scilicet Deus) *rogandus est* , cui dicitur in Psalmo : Dominus illuminatio mea , & salus mea : *ut illuminatio detrahat ignorantiam , & salus infirmitatem.* Quo sane nihil dici clarius poterat ad repellendam ab istis ignorantiam invincibilem , & impotentiam absolutam , cum qua volunt adversarij , homines peccare , quandoquidem ibi monet Augustinus , ut rogemus Deum (per hoc supponens nos id posse , & ad id semper gratiam habere) ut det scientiam contra ignorantiam , & robur contra infirmitatem.

Tandem ipsi volunt afferre radicem arcanæ suæ de ignorantia invincibili , & simul culpabili juris naturalis , sed cùm hæc doctrina falsa sit , ut patet ex supradictis , ideo & radicem illius negligendam esse duximus : quapropter duo solùm notamus , quę in eorum vanitate advertimus. Unum est quod volunt Christi fidem esse necessariam ad tollendam juris naturalis ignorantiam , quod omnino falsum est secundum mentem Augustini , cùm declaret Augustinus libro de prædest. sanct. cap. 7. fidem Christi non esse necessariam ad orandum , & per hoc ad sciendum , quod nobis præceptum est : cùm ibi dicat Cornelium centurionem & orasse , & bene operatum esse , seu bona opera fecisse antequam in Christum crederet. Alterum est : quod in tradenda illa sua falsa doctrina de ignorantia invincibili , & simul culpabili juris naturalis , inter locos illos quos adducunt in patrocinium sui erroris , nullus reperiatur qui neget , & tunc abfuisse potentiam remotam sciendi id quod necessarium est ad salutem : imo vero unum afferunt ubi innuit Augustinus etiam in profundissimo illius ignorantiæ barathro adesse gratiam orandi , & petendi auxilium , quo tenebræ istæ discutiantur. Nec cogitat (inquit Augustinus loquens de Pelagio) prævaricatorem legis , quam digne lux deserat veritatis , qua desertus utique fit cœcus , & plus necesse est offen- Lib de nat. & gr. c. 22.

dat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideo tantum audiat vocem legis, *qua admoneatur implorare gratiam salvatoris.* Ubi vides, Augustinum supponere in nobis adesse potentiam orandi, seu petendi gratiam necessariam ad cognoscenda præcepta, & alia necessaria, cùm dicat nos admoneri per legem, ut imploremus auxilium ad id necessarium: quod frustra omnino fieret nisi adesset gratia, qua huic admonitioni obediremus, aut obedire possemus, ut per se manifestum est. Et is erat sensus Augustini, & ejus adversariorum quibus ista dicebat, quod ubi est, exhortatio, seu admonitio ibi supponitur potentia in admonito ad faciendum, vel non faciendum illud, de quo admonetur, ut alibi demonstravimus. Unde ibi supponit Augustinus potentiam orandi, seu petendi scientiam, & per hoc non esse invincibilem illam ignorantiam. Confirmatur totum argumentum ex D. Prospero fidelissimo D. Augustini interprete, atque discipulo, qui toto fere libro 2. de vocat. gent probat eamdem, quam Augustinus, inexcusabilitatem, & simul gratiam sufficientem omnibus, & singulis præstitam, præcipue vero cap. 1. 4. 12. 13. 14. 15. 25. 29. 31. & 33.

In tract. de indifferenti, &c 2. parte arg. 35 & 39.

SECTIO SEXTA.

In qua proponuntur tres probationes sequentes: quarum prima sumitur, ex hoc quod redarguit Augustinus impios, eo quod noluerunt bene agere. Secunda ex eo quod non vult quemquam damnari, ob id quod non potuit præstare: tertia ex eo quod dicit Augustinus, Deum esse avarum animarum nostrarum.

5. PRobatio est, quod sæpe redarguit Augustinus impios, eo quod noluerunt, aut neglexerunt credere, & quod boni esse noluerunt: per hoc clare indicans, quod ipse censuit, illos omnes, & singulos ad id habuisse gratiam sufficientem, & consequenter omnes alios: nam si de aliquibus dubitandum esset, maxime de improbis, sed de eis non dubitat Augustinus, ergo non dubitat de ullis.

Consequentia clara est: prob. anteced. ex his Augustini locis: nam serm. 66. de temp. circa init. sic ait. Tempus est nunc remissionis pœnitentibus, sed tempus erit post mortem vindicationis *negligentibus* (non dicit impotentibus) confiteri peccata sua. Omnes enim impij amaram habent in tormentis pœnitentiam, sed non proficit eis ad remissionem, sed conscientia torquet ad augmentum pœnarum, quas patiuntur. *Potuerunt* enim sibi per confessionem præcavere tormentorum immanitatem, & *neglexerunt.* Et serm. 21. de diversis cap. 1. in fine, sic ait loquens de infidelibus: optime itaque, & rectissime ac-

cuſati ſunt, qui potuerunt inveſtigare numeros ſiderum, intervalla temporum, defectum luminum cognoſcere, & prædicere: recte accuſati ſunt, quoniam *à quo iſta facta, atque ordinata ſunt, non invenerunt, quia quærere neglexerunt.* Verum tamen eſt quod infra dicitur, quod invenire non potuerunt: ſed id non tribuitur veræ impotentiæ, ſed voluntati eorum ſuperbæ, quę noluit quærere, & ſic non potuit invenire: eo ſcilicet modo quo dicitur, quod ſedens non poteſt currere, non quod abſolute non poſſit currere, ſed quod non poteſt currere ſi prius nolit ſurgere, ſed velit ſemper ſedere: ita dicit Auguſt. quod iſti Deum invenire non potuerunt, non quod verè non potuerint, ſed quia præ ſuperbia eum quærere noluerunt: unde evanuerunt (inquit c. 4.) niſi *quia ſuperbi*: & cap. 5. videre perfecte, aut ſalubriter non potuerunt, *quia ſuperbi fuerunt.* Id omnino tribuens eorum ſuperbiæ, quæ noluit: & non impotentiæ, quæ non potuit. Et ſerm. 38. de ſanctis ante med. loquens de omnibus reprobis, ſic ait Illi qui ad ſiniſtram erunt, non ideo mittuntur ad ignem, quia peccatores fuerunt (quis enim non peccavit) ſed *quia* peccata ſua eleemoſynis redimere *noluerunt.* Et in libro contra Adimvantum cap. 26. in fine ſic ait: hæc ſunt mala, quæ Deus facit, id eſt peccatoribus pœnas, quod in ignem mittet arbores, *quæ in malitia perſeverantes, fieri bonæ noluerunt.* Et libro 22. contra Fauſt. cap. 22. ſub finem. Hoc, inquit, certe ſua culpa, non vi aliena fecerunt quod *cum poſſent, malo reſiſtere, noluerunt*, quod ſi facerent, bene facerent: ſi autem non facerent, graviter immaniterque peccarent. Si potuerunt (jam dixit quod potuerunt) & non fecerunt utique *noluerunt.* Si ergo noluerunt (jam dixit quod noluerunt) *voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis.* Ergo nec impotentiæ ſed negligentiæ, vel malitiæ. Et libro 83. qu. quęſt. 68. ſic ait: ad illam cœnam (id eſt ad vitam æternam) quam Dominus dixit in Evangelio, *neque omnes qui vocati ſunt, venire voluerunt* (ergo potuerunt, cum venire noluerint) neque illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur: itaque neque illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt Neque illi *qui noluerunt venire*, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi: quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera voluntate. Et paulo poſt: qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmij, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cum vocatus, *venire neglexerit*: & adhuc paulo poſt: ad judicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum *qui venire noluerunt.* Ubi nihil retractavit Auguſtinus ut videre eſt in libro 1. retract. cap. 26. & in Pſalm. 6. circa finem loquens de iiſdem impiis nolentibus vere converti ad Dominum, ſic ait. Quis non judicet eſſe juſtiſſimam pœnam, ut converſionem ad confuſionem habeant, *qui ad ſalutem habere noluerunt.* Et in Pſalm. 7. ſub finem loquens de impio in genere in hæc verba: convertetur labor ejus in caput ejus, &c. ſic ait: *non* enim *voluit ipſe peccatum evadere.* Et in Pſalm. 35 circa initium ſic ait: non unum hominem, ſed genus hominum iniquorum dicit, qui

ſibi adverſantur, non intelligendo ut bene vivant, *non quia non poſſunt, ſed quia nolunt*: de quo loco ſupra fuſe diſſeruimus in probatione præcedenti: & una columna poſt ſic ait. Audient hæc (ſcilicet ite maledicti in ignem æternum) illi qui ad ſiniſtram erunt, & gement infructuoſa pœnitentia: quia cum ita viverent, *eam fructuoſe noluerunt agere*. Et in Pſal. 45. circa finem: iſti, inquit, *nec venire volunt*, nec aſcendere, nec credere, nec proficere: & infra: *nolunt aſcendere, ſemper eligentes offendere*. Et in Pſalm. 57. circa finem. *Nolunt modo habere compunctionem medicinalem*, habebunt poſtea pœnalem. Et in Pſalm. 109. circa initium loquens de iiſdem impiis dicit: quod *nolunt ſe à peſſimis moribus convertere ad Deum*, ut ab illo juſtificentur. Et initio Pſal. 116. loquens de Judæis incredulis, dicit quod *civitatis Hieruſalem filij eſſe noluerunt*. Et libro de dono perſev. cap. 9. loquens de iiſdem ſic ait: facile eſt, ut infidelitatem accuſemus Judæorum, de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus, *credere noluerunt*. Et tract. 36. in Joann. in hæc verba: ego non judico quemquam ſic ait: venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſtea judicare, eos judicando, *qui ſalvari noluerunt*. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, Auguſtinum ſuppoſuiſſe in omnibus hominibus impiis, veram in Deum credendi, & bene vivendi fuiſſe potentiam, quam illi neglexerunt, & pro nihilo habuerunt, cùm ea uti poſſent, ſi voluiſſent, ad conſequendam vitam æternam. Quod ſi in his eam ſuppoſuit, quanto magis in cæteris, qui ea bene uſi ſunt; ergo eam ſuppoſuit, ſeu eam eſſe voluit in omnibus, & ſingulis.

6. Probatio eſt, quod non vult Auguſtinus quemquam damnari, ob id quod non potuit vitare, ergo ipſe ſuppoſuit in omnibus, & ſingulis eſſe gratiam ſufficientem ad vitandam damnationem, & per hoc ad conſequendam ſuam ſalutem: conſeq. clara eſt, probatur anteced. tum quia idipſum habet in terminis ſerm. 61. de temp. circa medium, ubi ait: quod Deus qui pius eſt, *non eſt damnaturus hominem, pro eo quod non potuit evitare*. Tum quia neminem vult peccare, in eo quod non poteſt vitare, ut late probavimus in tractatu noſtro de in- (2. parte argum. 53.) differenti lapſi hominis arbitrio &c. ex quo conſectaneum eſt, quod non vult quemquam damnari, ob id quod non potuit vitare, cùm nemo damnetur niſi ob peccatum. Tum denique quia vult neminem poſſe juſte puniri, ob id quod ex neceſſitate fecit, ut clare innuit lib. 2. contra Fauſt. cap. 5. poſt med. dicens. Quod lib. arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, *propter juſtum judicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicatur*. Si autem neminem vult poſſe puniri juſte, ob id quod ex neceſſitate fecit, ergo etiam neminé vult poſſe puniri juſte, ob id quod vitare non potuit, cum in eo vera neceſſitas ſit: ergo neminem vult damnari, ob id quod vitare *non* potuit. Unde libro 3. de lib. arb. cap. 20. initio dicit: quod ex converſione ad Deum, *ut vinceret quiſque ſupplicium* (ſcilicet damnationis æternæ) quod origo ejus ex averſione meruerat, non ſolùm volentem non prohiberi, ſed etiam

adjuvari oportebat. Ex quo consequens necessario est, quod in his qui damnantur, potestatem supposuit, qua vitarent, si vellent, ea, propter quæ damnati sunt, quod est vere supponere gratiam sufficientem ad salutem in omnibus, & singulis hominibus, quia si eam supposuit in istis, quanto magis in cæteris: sed in loco ultimo satis indicat singulos, cùm dicit ut vinceret *quisque* supplicium.

7. Probatio est, quod non raro dicit Augustinus, Deum esse avarum salutis nostrę, & animarum nostrarum: at certe non esset avarus animarum nostrarum, si aliquas earum relinqueret sine gratia sufficienti ad opera bona facienda, & mala vitanda, & ad consequendam vitam æternam: ergo concludendum est, quod omnibus, & singulis gratiam illam subministrat, nec umquam subtrahit eam ab ullis. Consequentia clara est, cùm proprium avarorum sit nihil prętermittere eorum, quæ sunt necessaria ad acquirendas pecunias: ergo Deus nihil debet prętermittere eorum, quæ sunt necessaria ad acquirendas animas, inter quæ nihil magis necessarium est, quam gratia sufficiens ad bona opera facienda, & mala vitanda, & ad consequendam salutem. Anteced. autem probatur ex his Augustini locis, sic enim ait serm. 15. Sirmundi longe post med. *avarus est* (scilicet Deus) sed *avaritia Dei salus nostra est. Avarus est, nummos suos quærit* (id est bona nostra opera) *imaginem suam colligit* (quæ est anima nostra ad imaginem illius facta) dares, inquit, pecuniam nummulariis, & ego veniens, cum usuris eam exigerem. Et serm. 37. longe ab initio, ostendit Deum non esse avarum suarum gratiarum, sed avarum esse animarum nostrarum, dicens: consolatur te redemptor tuus, consolatur te *non avarus* frater tuus: dignatus est enim esse frater noster ille Dominus noster, solus frater sine dubitatione fidissimus, cum quo concordia possidenda est. Dixi *non avarum* (scilicet gratiarum suarum) & forte *invenio avarum* (scilicet animarum nostrarum ut mox sequitur) *avarus est, sed nos* (seu animas nostras) *vult habere, nos vult acquirere.* Et in Psal. 99. in expositione longe ab initio dicit: *Deum avarum esse salutis nostræ.* Ex quo concludendum est, quod sicut avarus nihil omittit eorum, quæ sunt necessaria ad acquirendas pecunias, sic Deus nihil omittit eorum, quæ sunt necessaria ad acquirendas animas, & sic nullam prætermittit, cui non det gratiam sufficientem ad acquirendam suam salutem.



SECTIO SEPTIMA.

In qua proponuntur quatuor probationes ſequentes, quarum prima ſumitur ex ſingulari quadam propoſitione Auguſtini: ſecunda ex virtute ſpei: tertia ex adæquata quadam diviſione hominum: quarta ex altera quadam diviſione rerum ad ſalutem pertinentium.

8. PRobatio ſumitur ex quadam propoſitione, quam aliquando protulit Auguſtinus de gratia ſuffic. pro ſalute omnium, & ſingulorum in aliquo ſuo libro, quem confecerat ante exortam hæreſim Pelagianam. Nam timens ne Pelagiani ea abuterentur contra gratiam, ſic correxit eam, ut eam quidem ab errore Pelagianorum ſecluderet, ſed tamen eam reliqueret in tota generalitate ſua de ſalute omnium, & ſingulorum hominum, licet probe ſciret, Pelagianos illam etiam ſuo more interpretaturos eſſe de omnibus, & ſingulis hominibus, & non tantum de aliquibus. Ex quo manifeſtiſſimũ eſt quod admiſit Auguſt. gratiã ſuffic. pro omnibus, & ſingulis hominibus, & non tantùm pro aliquibus. Conſequentia clara eſt: prob. anteced. ex lib. 1. retract. cap. 10. ubi cum examinaret hanc propoſitionem quam poſuerat libro 1. de Geneſi contra Manich. cap. 3. ſcilicet: illud autem lumen, non rationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium, *ſe ad ejus præcepta implenda convertunt, quod homines poſſunt, ſi velint.* In qua propoſitione manifeſte aſtruebat gratiam ſufficientem pro omnibus, & ſingulis, hominibus, cùm hæc diceret explicando illum textum Joannis 1. qui vere eſt de omnibus, & ſingulis hominibus: ſcilicet: erat lumen verum, quod illuminat *omnem* hominem venientem in hunc mundum: omnem enim hominem, clare idem ſignificat, ac ſingulum quemque hominem, & per hoc, clare indicabat ſuam propoſitionem pertinere ad omnes, & ſingulos homines: unde & in fine illius, eumdem adhuc textum repetit, per eum ſua dicta confirmans & dicens: quia illud lumen, *omnem* hominem illuminat venientem in hunc mundum: per hoc clare judicans, ſe intelligere ſua dicta de omnibus, & ſingulis: & non tantum de aliquibus. Cum ergo timeret ne illam gratiam, quam in prędicta propoſ. innuerat, exponerent Pelagiani de ſola gratia intellectus, propter illud vocabulum *lumen*: aut de ſolo lib. arbitrio, propter illa verba, ſi velint, quæ communiter intelligebant Pelagiani de voluntate hominis ſine gratia, ſeu de ſolo illius lib. arbitrio. Timens, inquam, Auguſtinus, ne ſic abuterentur hoc textu contra veram Chriſti gratiam, quæ non ſolùm debet eſſe in intellectu, ut volebant Pelagiani, ſed etiam in voluntate, & quid ab illa diſtinctum,

&

minis voluntas, sed quid ab illa distinctum, & in ea existens: mox occurrit Sanctus Doctor huic inconvenienti in supradicto libro retract. cap. 10. sic retractans suum dictum, & dicens: non existiment novi hæretici Pelagiani (hoc) secundum eos (id est secundum sensum eorum perversum) esse dictum: *verum est* enim *omnino: omnes homines hoc esse, si velint*, sed præparatur (id est prævenitur, ut alibi explicatum est) voluntas à Domino, & *tantum augetur munere charitatis* (quæ est gratia, pertinens ad voluntatem) *ut possint*. Ubi vides, eum nihil retractare de generalitate suæ propositionis, sed potius eam confirmare, & sic admittere cum Pelagianis, in omnibus, & singulis hominibus possibilitatem salutis, sed tantum postulare contra eos, ut gratia præparet, seu quod idem est præveniat, & præexcitet voluntatem, ad hoc, ut illi omnes, & singuli homines præcepta servare, & per hoc, etiam salutem suam consequi possent. Et sic manifestum est, quod admisit eorum generalitatem quoad omnes, & singulos respectu possibilitatis salutis: & per hoc gratiam sufficientem pro omnibus, & singulis hominibus. Nam quod Pelagiani voluerint, suam possibilitatem salutis, esse in omnibus, & singulis: clare patet ex Prospero carmine de ingratis cap. 1 ubi exponens circa hoc sensa illorum, sic ait:

In tract. de indifferenti lapsi hominis arbitrio. &c. 2 parte sect. 6. §. 1.

Nullum autem *ex cunctis* exortem muneris hujus
Judicio genitum esse Dei: sed *quemque* mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis.

Ubi vides eos admittere possibilitatem salutis pro omnibus, & singulis hominibus, & non tantum pro multis, aut aliquibus: & proinde Augustinum eam admisisse cum eis, quandoquidem cætera corrigens, quæ erant in supra allata propositione pro errore eorum circa gratiam, non correxit illam generalitatem, imo vero, ut dictum est, per prædictum textum Joannis confirmavit.

9 Probatio sumitur ex virtute spei, quæ secundum Augustinum postulat, ut omnes, & singuli habeant gratiam sufficientem: quod probo sic ex ejus tractatu 41. in Joann. sub finem, ubi expendens illa verba Apostoli: velle adjacet mihi, perficere autem non invenio, sic ait: numquid dixit: non *mihi* adjacet facere bonum, *si hoc dixisset spes nulla esset* (ecce vides, Augustinum clare dicere quod spes nulla esset, si gratia sufficiens abesset: & per hoc innuere, quod gratia sufficiens debet esse in singulis, ut sit spei virtus in eis. *Mihi*, enim indicat singulos. Unde & excusans Apostolum à tali absurditate mox addit) non ait: non *mihi* adjacet facere (bonum) sed non mihi adjacet perficere. Quod ponit ibi & alibi Augustinus communiter, in carentia motuum involuntariorum concupiscentiæ, quæ carentia ut non est necessaria ad salutem ita nec ad spem. Et sic vides, Augustinum asserere tam necessario confitendam esse gratiam sufficientem in singulis quam necessario debemus confiteri virtutem spei esse necessa-

riam ad salutem. Nec vero dicendum est, Apostolum per τὸ mihi: solùm loqui de seipso, seu de sola persona sua. Nam id quod addit Augustinus satis indicat id de eo solo, non dici, cùm non dicat: nulla *ei* spes esset: aut nulla amplius *Apostolo* spes esset: sed generaliter, & absolute dicit: spes nulla esset: quod nullum prorsus excipit, imo vero omnem exceptionem rejicit propter illam negativam: *nulla*: quæ, ut malignantis est naturæ, ita & omnem rejicit exceptionem contrariam.

10. Probatio sumitur ex quadam adęquata divisione, quam facit Augustinus omnium hominum in electos, & reprobos, ut quibus data est gratia sufficiens in Psalm. 39. longe post medium in hæc verba: non celavi misericordiam tuam: ubi unumquemque illorum, ita alloquitur in singulari, ut satis indicet, fuisse in unoquoque gratiam sufficientem: unde sequitur, quod censuit omnes, & singulos homines, & non solùm multos, aut aliquos habere gratiam sufficientem: consequentia clara est, prob. anteced. afferendo prædictum locum, ubi sic ait: congregabuntur ante Deum omnes gentes, & dividet eas sicut pastor dividit oves ab hœdis: oves ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram: ovibus quid; venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est: hœdis quid; ite in ignem ęternum, ibi pœnitentiæ locus non est. *Quia misericordiam Dei contempsisti* (ubi vides eum alloqui omnes reprobos in singulari, seu ut singulos, eisque ut sic exprobare contemptum gratiæ, seu misericordię divinæ, quod satis indicat, eos illam habuisse, & ea uti noluisse, & proinde contempsisse: non enim aliter contemnitur gratia, quam cùm usus ejus negligitur, & ejus parata opitulatio repudiatur) veritatem (id est judicium, & sententiam pœnæ æternæ) sentient. *Si autem non contempsisti* (quod pertinet ad electos, eosque ut singulos, cùm alloquatur illos in singulari) veritate gaudebis. Id est sententiam, quæ tibi decernet vitam æternam lætus audies. Ubi vides, omnes homines interpellari, ut singulos: & unis exprobrari tanquam causam suæ damnationis, non impotentiam aliquam, aut carentiam gratiæ, sed contemptum illius, seu non usum illius, quod supponit illos eam habuisse: & alteris applaudi de non contemptu illius, seu de bono usu illius, quod adhuc supponit eos illam habuisse: & sic patet omnes, & singulos sufficientem gratiam habuisse, sed diversimode in illam affectos, diversa circa illam statuisse, & voluisse, & idcirco diversa secundum diversum illius usum, accepisse.

11. Probatio, sumitur etiam ex aliqua alia adęquata divisione, quam facit Augustinus omnium agendorum necessariorum ad salutem lib. de nat. & gr. cap. 69. ubi indicat Augustinus, in omnibus iis qui tenentur aliquid facere necessarium ad salutem, gratiam sufficientem existere, vel proximam, vel remotam. Ergo per hoc supponit esse in omnibus, & singulis gratiam vere suffic. consequentia clara est, prob. antec. per expositionem illius divisionis, & textus. Etenim illa agenda

necessaria, vel sunt facilia, vel difficilia: si facilia, supponit in nobis August. gratiam proximam ad ea agenda, & peragenda si velimus: si autem difficilia, supponit remotam, ut patet ex his illius verbis: eo ipso, inquit, quo firmissime creditur: Deum justum, & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, *& in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Ecce vides adæquatam divisionem omnium agendorum necessariorum ad salutem in res faciles, & difficiles: in facilibus dicit nos admoneri, ut agamus, quod indicat, illum supponere, quod tunc habemus gratiam proximam, cùm nihil requirat tunc à nobis antequam agamus, sed dicat, ut immediate agamus, quod esset stultum, & ridiculum, si tunc non possemus agere proxime, & immediate, & per hoc gratiam proximam non haberemus. In difficilibus autem dicit nos admoneri ad orandum, seu ad petendum auxilium, ut agamus, seu ut agere proxime possimus, in quo est gratia remota, quam supponit nos tunc habere, quandoquidem stultum esset, & ridiculum, nos admonere ad petendum, seu ad utendum gratia petendi, si eam non haberemus: & sic patet illa adæquata divisio quam supra diximus: quam etiam antea jam insinuaverat sub aliis terminis, dicens unicuique hominum, & per hoc singulis hominibus: quod Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, *& facere quod possis* (quod pertinet ad unumquemque in singulari) *& petere quod non possis*: quod similiter pertinet ad unumquemque in singulari. Per hoc indicans eamdem, quam supra explicaverat, potestatem in nobis omnium agendorum necessariorum ad salutem, quam vult quemlibet habere vel proxime cùm facere illud potest vel remote cum illud petere & impetrare possit, quod est posse illud remote, seu per gratiam remotam.

C. 43. sub finem.

SECTIO OCTAVA.

In qua duodecima exhibetur probatio, sumpta ex interpretatione Augustini in locum illum Apostoli: fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis.

12. PRobatio sumitur, ex eo quod sæpe referens Augustinus hanc locum Apostoli: fidelis Deus qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis. Manifeste declarat, nemini in tentationibus gratiam Dei deesse, sed eam semper adesse, ita ut eas vincere semper possit: ergo ipse censuit, gratiam suffic. omnibus, & singulis dari, ad consequendam suam salutem, quandoquidem nemo amittit salutem, nisi admittendo tentationem, & eam non vincendo, ut debet. Consequentia clara est. Probatur anteced. ex his Augustini lo-

cis : sic enim ait lib. de past. cap. 5. sub finem : ne timeas *non deerit in tentationibus* , ille in quem credidisti : fidelis Deus , qui non sinit te tentari , supra quam potes ferre : non hoc à me audis .... audis & ab ipso pastore qui pascit Israel : illi enim dictum est : potabis eos in lachrymis , in mensura : quod enim ait Apostolus : *non sinit tentari vos , supra quam potestis ferre* : hoc ait propheta , in mensura : *tantum tu noli dimittere corripientem , & hortantem , terrentem , consolantem , percutientem , & sanantem.* Ubi manifeste patet adesse auxilium Dei prorsus ex parte sua sufficiens , & cui nihil deest , ut efficiat , nisi consensus liber creaturæ , quem ideo consulit Augustinus , ut demus Deo , ut quid à nobis pendens , & in nostra omnino potestate. Idem fere habet in Psalm. 61. versus finem. Ubi ait : *qui dat potestatem tentatori , ipse tentato præbet misericordiam* (id est gratiam) *ad mensuram enim permittitur tentare diabolus.* Et potabis nos inquit , in lachrymis in mensura : noli ergo timere permissum aliquid facere tentatorem , *habes enim misericordissimum salvatorem.* Et in Psalm. 79. idem adhuc fere habet in hæc verba : cibabis nos pane lachrymarum , & potabis nos in lachrymis , in mensura. Quid est , inquit , in mensura , Apostolum audi : fidelis Deus qui non permittit vos tentari , supra id quod potestis ferre. *Ipsa est mensura pro viribus tuis , ipsa est mensura , ut erudiaris , non ut opprimaris.* Quid clarius pro gratia sufficiente tunc præstita. Et in Psalmum 88. conc. 1. circa medium. In hęc verba : tu dominaris potestati maris. Sic ait ; movetur quidem mare , & contradicit mare , perstrepit mare : sed fidelis Deus , qui non vos sinet tentari , supra id quod potestis. *Quia ergo fidelis est , qui non vos sinit tentari supra id quod potestis : motum autem fluctuum ejus tu mitigas* : id est mitigat Deus per gratiam suam suavefacientem præceptum , & vim concupiscentię sævientis comprimentem , quod est proprium gratiæ medicinalis Christi quæ proinde tunc adest nobis. Et in Psalm. 93. versus finem in hæc verba. Et Deus meus in auxilium spei meæ , sic ait. Sed *ne deficiamus , adest promissor erigens nos , & temperans ipsa mala quæ patimur , non enim frustra dictum est : fidelis Deus , qui non sinit vos tentari , supra quam potestis ferre* , sed faciet cum tentatione etiam exitum , ut possitis sustinere , sic mittat in fornacem tribulationis , *ut coquatur vas , non ut frangatur* : id est ut proficiat homo , non succumbat. Et in Psalm. 94. in hæc verba : quoniam ipsius est mare sic ait : *nulla tentatio , nisi acceperit mensuram à Domino* : sint ergo tentationes , sint tribulationes , consummaris eis , non consumeris : vide utrum tentationes non prosint , attende Apostolum : fidelis Deus qui non vos sinet , &c. non ait non , vos sinet tentari omnino : si enim recusares tentationem , recusares refectionem : *ergo reficeris , & si reficeris , in manibus artificis es* (ecce gratiam præsentem , & actu opitulantem , seu reficientem , & vide quot modis) aliquid tibi tollit , aliquid corrigit , aliquid complanat , aliquid mundat , agit quibusdam ferramentis suis. Ipsa sunt scandala hujus sæculi , *tu tantum de manu artificis noli cadere* (quid clarius pro gratia suffi-

cienti tunc præstita, cum per hæc indicetur tunc plenam nos habere potestatem, ne peccemus, & tunc à nobis prorsus pendere, ne cadamus: unde & sequitur) *nihil tentationis accidet ultra vires tuas* (ergo in omnibus tentationibus habemus gratiam sufficientem, cùm non superent vires nostras) hoc permittit Deus ad utilitatem tuam, unde tu possis proficere. Et serm 249. sub finem commentans eadem verba Apostoli sic ait: talis *unicuique* homini (ergo singulis) tentatio datur, sive in carnis desiderio, sive in ambitione sæculi, vel etiam in *quacumque* tentationis molestia, qualem *aut cum laude vincere, aut cum opprobrio* (propter scilicet negligentiam, aut pusillanimitatem, ob quam noluit resistere, cùm posset) *succumbere poterit.* Ubi manifeste arguitur præsens gratia sufficiens. Et serm. 81. de diversis in fine, explicans eumdem textum de impiis, & reprobis, sic ait: *non desunt imbres verborum Dei*, non sit sterilis in vobis ager Dei. Ubi sub nomine gratiæ externæ, designat gratiam internam, quæ numquam deest hominibus, unde monet eos, ut fructificent, quod inutiliter diceretur, & loquaciter, si ibi esset sola gratia externa Dei quandoquidem cum ea sola, nemo potest bene operari. Et serm. 17. firmundi post med. sic ait: *hic inter pericula, inter tentationes, & ab aliis, & à nobis* (ergo ab omnibus, & singulis, cùm non solùm velit id pertinere ad nos, sed etiam ad alios) *cantetur alleluia*: fidelis enim *Deus qui non permittet*, inquit, *vos tentari super id quod potestis.* Ergo & hîc cantemus alleluya. Adhuc est homo reus, *sed fidelis est Deus*: non ait non permittet vos tentari, sed *non permittet vos tentari super id quod potestis*, sed faciet cum tentatione etiam exitum, *ut possitis sustinere*: intrasti in tentationem, sed *faciet Deus etiam exitum ne pereas in tentatione*, ut quomodo vas figuli formeris prædicatione, coquaris tribulatione. Sed quando intras, exitum cogita, *quia fidelis est Deus* (qui scilicet non permittet te tentari ultra vires acceptas: unde & sequitur) *custodiet Dominus exitum tuum, & introitum tuum.* Ubi luce clarius ostendit, in omnibus, & singulis tentationibus, semper adesse gratiam homini, qua superet eam si velit, idque tam certo, & infallibiliter id jubet sperari, quam certum, & infallibile est, Deum esse fidelem, & justum: unde & toties repetit illud Apostoli: fidelis est Deus: quia nempe ad justitiam, & fidelitatem Dei pertinet, non sinere, ut aliquis tentetur supra vires suas, cùm, ut alibi indicat, Deus esset injustus, si puniret aliquem propter id quod non potuisset vincere, aut vitare: pro quo vide probat. sextam.

§. PRIMUS.

In quo ſolvuntur obiectiones adverſariorum prætendentium; Auguſtinum ſolùm intellexiſſe prædictum locum Apoſtoli de prædeſtinatis, & iis qui actu vincunt tentationem, & non de aliis.

VErum huic noſtræ probationi contrarij ſunt aliqui, contrario modo interpretantes prædictum locum Apoſtoli, & dicentes quod id quod ibi dicit Apoſtolus, non pertinet ad omnes, & ſingulos, ſed tantum ad prædeſtinatos, & ad eos ſolos qui vincunt tentationem. Sed quam longe ipſi diſtent à ſenſu Auguſtini, de quo ſolo hìc agimus, facile demonſtrare eſt ex dictis. Nam quod id vere pertineat ad omnes, & ſingulos ſecundum Auguſtinum, manifeſtum eſt ex loco quem allegavimus ex Pſalmo 61. Ubi ait: quod qui dat poteſtatem tentatori, ipſe tentato præbet miſericordiam. Ubi facit inſeparabilem miſericordiam Dei, ſeu gratiam à tentato, per hoc indicans, quemlibet tentatum habere gratiam ſufficientem, infra enim demonſtrabimus, in probatione 15. per ſenſum indefinitum intelligere Auguſtinum ſingulos, & neminem excipere. Item & ex illo quem allegavimus ex Pſalm. 94. ubi clare dicit: quod *nulla* tentatio eſt, quæ non acceperit menſuram à Domino: quam menſuram poſtea explicat eſſe vires noſtras: ſi ergo nulla tentatio eſt, quę non ſic proportionetur viribus tentati, nullus igitur tentatus eſt, qui non ſufficiat adæquate ſuæ tentationi. Item & in Pſalm. 249 dicit: quod talis *unicuique* homini tentatio datur, quam vincere poteſt, niſi opprobrio ſuo ſuccumbat: ergo id ſpectat ſecundum Auguſtinum ad omnes, & ſingulos, & non ſolùm ad prædeſtinatos, & ad eos qui actu vincunt tentationem, ut volebant adverſarij, ſed etiam ad eos, qui non vincunt eam, quod maxime indicat Auguſtinus in poſtremo illorum trium loco, ubi ait aliquando ſuccumbi tentationi cum opprobrio: nam qui ſunt illi qui ſuccumbunt tentationi cum opprobrio, niſi illi, qui propter ſuam negligentiam, aut puſillanimitatem, nolunt ei reſiſtere, cùm poſſent, & ideo eſt id illis in opprobrium, quod non eſſet in opprobrium, ſi non poſſent, cùm ob impotentiam ſuam excuſarentur. Dicendum igitur contra adverſarios eſt, Auguſtinum cenſuiſſe, quemlibet tentatum habere gratiam ſufficientem, vel proximam, vel remotam, quam habent etiam infideles, in quantum ſemper habent potentiam credendi in Deum remuneratorem bonorum, & punitorem malorum, quod ſufficit ad orandum, & impetrandum à Deo auxilium ſecundum Auguſtinum, qui agnovit hanc potentiam in Cornelio, antequam in Chriſtum crederet libro de prædeſt. ſanct. cap. 7.

Licet autem, ut aiunt adversarij, innuat Augustinus lib. de gr. & lib. arb. cap. 17. Petrum non potuisse sequi Dominum, quando dixit animam meam pro te ponam: non tamen per hoc negat in eo omnem veram potentiam, sed tantum proximam, quam solam communiter vocat Augustinus potentiam, ut supra explicuimus, & probavimus, unde & aliquando dicit eos non posse, qui non habent talem potentiam, in quibus tamen agnoscit aliam, scilicet remotam, quandoquidem in illis ipsis locis supponit illos ipsos posse orare, & impetrare adjutorium, quod sane sufficit ad vincendam tentationem. Imo & in ipsomet loco supra ab adversariis citato satis innuit Augustinus, Petrum & tunc habuisse gratiam remotam, scilicet gratiam orandi, cùm dicat, eum & tunc habuisse aliquam charitatem (per quam indicat ordinarie gratiam actualem medicinalem Augustinus) licet parvam, & imperfectam, quæ sane ad minus potest orare, & petere auxilium: nam si sola fides ad hoc sufficit, ut communiter asserit Augustinus, (habebat autem tunc Petrus fidem, & non parvam) quanto magis id potest cùm juncta est charitati, licet parvæ, & imperfectæ: unde quando Augustinus loquitur de peccato Petri, communiter tribuit illud superbiæ, qua scilicet nimis confidens viribus suis, noluit humiliare se, ut peteret, & obtineret gratiam proximam, seu gratiam faciendi, petendo, & quærendo, & pulsando ad Deum, ut haberet illam: ex quo patet, quod Petro non deerat potestas, ut putabant adversarij, sed deerat humilitas, ut supra etiam vidimus ex eodem Augustino.

Vide præfationem nostram libri de prædestinatione ad gloriam.

Quantum autem ad id quod dicunt: scilicet quod exponens Augustinus prædictum locum Apostoli, in Psalm. 120. addit hæc verba, quæ solet Augustinus intelligere de solis prædestinatis: novit Dominus qui sunt ejus. Ex quo volunt inferre, quod intellexit locum illum Augustinus de solis prædestinatis, quasi illi soli haberent potestatem vincendi omnes tentationes suas, & non alij. Respondeo hoc esse falsissimum: tum quia non addidit prædicta verba Augustinus occasione prædicti textus Apostoli, sed occasione alterius quem exponit ex Psalmo: scilicet hujus: custodiat Dominus introitum tuum, & exitum tuum. Tum etiam quia in diverso omnino sensu ea ibi protulit Augustinus, quam quem prætendunt adversarij, cùm tantùm ibi indicet Augustinus, victoriam justorum de tentationibus suis esse soli Deo cognitam, antequam vicerint: ipsis autem justis esse solùm cognitam cùm vicerint. Quod quam longe sit à prętenso sensu adversariorũ nemo est qui non videat, cùm ibi solùm agatur de præscientia Dei supra scientiam hominum respectu exitus tentationum suarum: putarunt autem adversarij ibi agi de potentia vincendarum tentationum, quam unis Deus daret & non aliis: & ibi solùm aliquid tribuit Augustinus Deo supra justos homines, putarunt autem adversarij ibi aliquid tribui justis hominibus supra cæteros homines, quod sane diversissimum, atque adversissimum est, & levissimam arguit istorum in

legendo, atque intelligendo Augustino attentionem, seu potius maximam animi praeventionem. Sic ergo se habet textus ille Augustini. Custodiat Dominus introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc, & usque in saeculum (ecce textum quem exponit, non textum Apostoli) quid est (inquit) introitum tuum; quid est exitum. Quando tentamur intramus: quando vincimus tentationem, eximus; audi introitum, audi exitum. Vasa figuli probat fornax, ait scriptura: & homines justos tentatio tribulationis. Si sic sunt homines justi, quomodo vasa figuli, necesse est ut vasa fornacem intrent, & non quando intrant securus est figulus (quia nempe non habet notitiam futuri, unde timet de futuro, ut & justi in tentatione, quia non habent notitiam futuri exitus tentationis, ideo timent, cùm intrant in eam, quia nondum tunc securi sunt de victoria) sed (tantum) cùm exierint. *Dominus autem securus est, quia novit qui sunt ejus.* Ecce ergo vides, cur dixerit verba illa Augustinus: novit Dominus qui sunt ejus: non certe ratione praedestinatorum ut sic, quemadmodum putarunt adversarij, quasi ad eos solos pertineret potestas vincendi suas tentationes, de quo ne minimum quidem ibi vestigium videas: sed ratione notitiae, & praescientiae Dei de exitu bono tentationis in hominibus, ob quam notitiam securus est Deus de illo bono exitu, dùm solùm ipsi intrant in tentationem, & antequam exierint: ob cujus scientiae defectum securi non sunt homines de victoria, dùm solùm intrant, sed solùm postquam exierint. Ubi tantùm vides fieri comparationem scientiae Dei cum ignorantia hominis, scientiae inquam Dei, quae praenoscit exitum bonum tentationis in hominibus, ob quam scientiam securus est Deus de illorum victoria, etiam antequam exierint, cum ignorantia hominum, qui non cognoscunt futurum exitum suae tentationis, dum intrant in eam, sed solùm dum exeunt: non autem vides fieri comparationem potestatis justorum, aut praedestinatorum, cùm impotentia caeterorum ad vincendas tentationes suas, ut putabant adversarij perperam arbitrantes ibi significari, seu indicari illam potestatem esse solum pro praedestinatis, & non pro aliis, de quo ne minimum quidem vestigium videas in toto illo textu, in quo solùm notat praescientiam divinam prae ignorantia humana de futuro exitu tentationum: unde & sic prosequitur. *Novit* qui in fornace non crepent (id est novit qui non succumbant tentationi) illi autem non crepant, qui non habent ventum superbiae (ob quam nollent orare, sed habent humilitatem ob quam orant auxilium & ideo exaudiuntur, & non succumbunt, ut mox sequitur) humilitas ergo custodit in omni tentatione, quia à convalle plorationis ascendimus, cantantes canticum graduum (quae cantatio, est oratio) & custodit Dominus introitum, ut salvi intremus: sana fide simus (per quam fit impetrans oratio) quando accedit tentatio, & custodit exitum ex hoc, & usque in saeculum. Ubi solùm docet creaturam, quomodo in ignorantia sua possit habere aliqualem securitatem de futuro exitu

Licet ibi exitum sumat pro victoria tentationis, non sequitur quod ita sumat alibi: hic enim exitus ponitur sine addito, cùm dicat Psalmista Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum sine ulla modificatione: in textu autem Apostoli adduntur haec modificantia, & explicantia exitum, scilicet, ut possitis sustinere: quae faciunt alium sensum, quem infra declarabimus.

suarum tentationum, scilicet si humiliter utatur auxilio sibi à Deo præstito, ad orandum, & non de propriis viribus superbe sapiat: quod & adhuc commendat postea subjiciendo supradictum textum Apostoli, ubi supponens nos habere sufficientem gratiam ad vincendas nostras tentationes, hortatur nos ad prædictam humilitatem, ut non præsumamus de viribus nostris, sed de auxilio Divino, dicens: custodite ergo vos, sed *non à vobis*, quia Dominus tegumentum tuum qui custodit, qui non dormitat, nec dormit. Et infra *Nemo de se præsumat.* Et adhuc infra. *In nostra potestate est* (scilicet tentationem vincere) Deo donante, si eum nobis faciamus custodem (id est si fidamus in ipso, & non in nobis) qui non dormit, neque dormitat, quia ipse custodit Israel. Et tandem infra: si de te præsumpseris, motus est pes tuus, si motus est pes tuus, jam putas te in aliquo gradu esse. Inde cadis, si superbus es, quia humilis in convalle plorationis dicit: ne des ad movendum pedem meum. Ubi nihil aliud prætendit Augustinus, nisi quod omnes habent auxilium sufficiens ad vincendas suas tentationes, quo debent humiliter uti orando, quærendo, & pulsando ad Deum, & non illud contemnere superbia Pelagianica, fidendo viribus suis mere humanis, seu, ut ait, movendo suum pedem sine Deo, nihil prorsus ibi distinguens inter justos, & injustos: inter prædestinatos, & non prædestinatos: cùm prædictus textus: novit Dominus qui sunt ejus, quem contra objecerunt adversarij, non sit ibi ab Augustino adductus ad ostendendum, quid habeant prædestinati supra non prædestinatos, sed ad ostendendum, quid habeat Deus supra homines in prænoscendo bono tentationum exitu, cùm ille noscat eum antequam sit, homo autem solùm postquam est: adducens illum locum solùm propter verbum novit, & non propter aliud, ut supra satis ostendimus. Ex quibus concludendum est, hunc locum potius pro nobis esse, quam contra nos, ut ex dictis manifestum est.

§. II.

In quo reliquæ solvuntur objectiones ad eumdem, qui supra, scopum collimantes.

SEd nec magis adjuvant adversarios cæteri, quos ibidem adducunt, loci, ut probent, Augustinum intellexisse prædictum lolocum Apostoli de solis prædestinatis, & non de aliis. Nam quantùm ad caput 9. libri de dono perseverantiæ. Nihil ibi affirmat Augustinus de ista materia, sed solùm dicit quod possibile Deo est aversas, & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso, aliqua superati tentatione, discedant: cùm possit, & quod ait

Apoſtolus, facere : ut non eos permittàt tentari, ſuper id quod poſſunt. Ubi vides omnia eſſe de poſſibili, & non de facto, & ad confirmandum illud poſſibile, locum illum ab eo adduci, nihil cogitans de aliis circumſtantiis, cùm non explicet ibi locum Apoſtoli, ſed tantum eum adducat, ut poſſibilitatem ſuam confirmet, quæ non eſt ad propoſitum noſtrum, cùm loquamur de facto, & non de poſſibili. Quantum autem ad tractatum in Pſalmum 61. quem etiam citant adverſarij, nihil ibi reperi quod tantiſper negaret, aut negare videretur, poteſtatem vincendi tentationes eſſe in reprobis, aut impiis, & innueret eam, eſſe ſolùm in juſtis, aut prædeſtinatis, imo vero reperi, quod non obſcure indicat eam eſſe in reprobis, impiis, & cæteris quandocumque tentati ſunt, cùm dicat quod qui dat poteſtatem tentatori, ipſe tentato prębet miſericordiam : per hoc indicans, quod eo ipſo quo DEUS dedit diabolo poteſtatem tentandi aliquem, quicumque ille ſit, dat illi tentato miſericordiam, ſeu gratiam, qua vincere poſſit tentationem, unde addit: quod ad menſuram permittitur tentare eum diabolus, per hoc indicans, tentatum recipere gratiam æqualem tentationi, nec umquam DEUM ſinere, majorem eſſe tentationem quam gratiam datam. Quantum autem ad tractatum in Pſalm. 77. nihil etiam ibi reperi, quod neget illam gratiam eſſe datam impiis, aut non prædeſtinatis : & ibi potius loquitur Auguſtinus de gratia efficaci ut ſic, quam de ſufficienti ut ſic : unde locus iſte non videtur eſſe ad propoſitum. Cujus eſt, inquit, cum DEO ſpiritus creditus, fidelem tenet DEUM, qui non eum permittet tentari ſupra id quod poteſt, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſit ſuſtinere (non ſimpliciter ſed) ne convertatur in die belli, id eſt ne ſuccumbat, quod dicit actum, & per hoc gratiam efficacem : ſi enim voluiſſet ſolùm loqui de gratia ſufficienti, vel non addidiſſet illa verba, vel potius dixiſſet, & poſſit non converti in die belli, ſed quia voluit loqui de gratia efficaci ut ſic, quam DEUS ſemper dat piis, qui fideles ſunt in ſervitio illius, ideo dixit : ne convertatur in die belli : unde loquens è contrario de impiis, quibus ſolis DEUS denegat gratiam illam ſecundum juſtitiam ſuam, ſic addit; qui autem in ſe non in DEO gloriatur, quantumvis jactet pollicitationem virtutis ſuæ (mere humanę ſecundum ſenſum Auguſtini, cùm vituperat eam) velut tendens, & mittens arcus (id eſt velut agens, aut non agens ex mero libito ſuo ſine gratia) convertitur in die belli (id eſt ſuccumbit in die tentationis (ubi vides ſolùm eis negari actum & per hoc ſolam gratiam efficacem in pœnam præſumptionis ſuæ ut ſequitur) quia non eſt creditus cum eo ſpiritus ejus, non eſt cum illo etiam ſpiritus DEI (ſcilicet actu protegens eum à caſu, ut mox ſequitur) & ſicut ſcriptum eſt, quia non credidit, ideo non protegetur. Ibi ergo ſolùm loquitur Auguſtinus de gratia efficaci, quam ſolis impiis, ſeu non fidelibus in DEI ſervitio denegatur, non autem piis, & fidelibus in ſervitio divino juxta communem illius doctri-

nam quam probavimus in nostra disput. de prædest. ad gloriam : & in tractatu de indifferenti, &c. 2. parte sect. 52. §. unico sub finem : aut saltem loquitur de gratia proxima, quam non dat Deus istis præsumptoribus, & confidentibus in viribus suis, de quibus ibi loquitur, sed tantum humilibus, & non in se, sed in solo Deo confidentibus, à quo postulant illam gratiam, & impetrant eam, quam non impetrant omnes alij, qui præ superbia, & præsumptione sua nolunt eam petere, sed, ut ait Augustinus volunt tendere, & mittere arcum, id est bene, vel male agere ex se ipsis, & non ex Deo : & sic nihil ibi est ad propositum, cùm non dicamus, impios, & negligentes habere semper gratiam efficacem, aut sufficientem proximam, cùm tentantur, sicut haberent pij, & fideles in servitio divino, sed solùm asserimus eos habere gratiam sufficientem, seu proximam, seu remotam qua vincere possint tentationem, qua premuntur. Ut autem videas, illos etiam habere istam gratiam secundum Augustinum, lege si vacat sequentia, & videbis quod ij quibus negata gratia ibi est : in lege Dei *noluerunt* ambulare : quod in sensu Augustini præsupponit gratiam, qua potuerunt, & malam voluntatem, qua noluerunt in hac lege ambulare, & per hoc omnem tentationem sibi obsistentem superare.

Parte 2. sect. 3. §. 2. puncto 7.

Quantum autem ad instantiam, seu quasi instantiam, quam contra proferunt adversarij putantes Augustinum postulasse orationem perseverantem usque ad finem vitæ, quod, inquiunt, solùm pertinet ad electos, qui soli sunt petentes finaliter. Respondeo, quod id non habetur apud Augustinum, nec quidem insinuatur in testimoniis ibi adductis. Nam cùm dicit Augustinus in libro de Catechis. rud. cap. 25. humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas. Quid ibi de perseverantia finali in oratione. Item cùm dicit in capite ultimo. Opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, ut non permittat servos suos tentari plusquam possint sustinere. Quid ibi de perseverantia finali in oratione. Item cum dicit in fine tractatus de urbis excidio. Oremus, & ingemiscamus ad Dominum, ut servetur erga nos, quod Apostolus dicit : fidelis qui non vos sinet tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum. * Quid adhuc ibi de perseverantia finali in oratione. Item cum dicit lib. 2. de serm. in monte Domini cap. 9. exponens illam partem orationis Dominicæ, ne nos inducas in tentationem. Deus induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit ordine occultissimo. Et cùm, quibusdam interjectis, adferens hæc Apostoli verba : fidelis Deus &c. sic ait : in qua sententia satis ostendit, non id nobis orandum esse, ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur : inducimur autem, si tales acciderint, quales ferre non possumus. In quibus omnibus nihil video de perseverantia finali in oratione, ut necessaria ad impetrandum à Deo, ne sinat nos tentari supra id quod possumus. Ex quo non solùm infringitur ad-

Loci adducti ab adversarijs.

Nota illi opera misericordiæ impetrare gratiam à Deo, sicut ipsam orationẽ, & sic ea pertinere ad gratiam sufficientẽ remotam, sicut ipsam orationẽ.

* Ibi omiserunt adversarij hæc verba quæ adducuntur apud Augustinũ. Scilicet: ut possitis sustinere.

versariorum instantia, quæ fundabatur in illis testimoniis, quasi innuentibus necessariam perseverantiam finalem in oratione, sed etiam labefactatur tota eorum opinio, cum in illis locis nulla fiat mentio de perseverantia in oratione, ut necessaria ad obtinendum, ne supra vires tentemur, quod certe moraliter esset impossibile, si illa necessaria foret ad vincendas, aut non habendas ejusmodi tentationes; quî fieri enim posset, ut in tot locis, ubi loquitur Augustinus de oratione, ut necessaria ad vincendas illas tentationes, aut non habendas, non meminisset istius circunstantiæ prorsus secundum adversarios necessariæ ad veram intelligentiam illius loci, & doctrinæ de tentatione: hoc incredibile est, præcipue cum in uno illorum loco recenseat ea, quæ id impetrant à Domino, scilicet opera misericordiæ, & orationem, & nihil dicat de prędicta finali perseverantia in ea.

Ad id autem quod tandem notant, sanctum Augustinum, ubi noster interpres habet, faciet cum tentatione proventum, ponere faciet cum tentatione exitum, quod videtur significare victoriam. Respondeo quod raro habet Augustinus exitum simpliciter, sed fere semper cum illo addito, quod est in textu Apostoli, scilicet: ut sustinere possitis, per hoc indicans se per illum exitum, nihil aliud intelligere communiter quam exitum ab impotentia ad potentiam sustinendi tentationem per gratiam, ut scilicet is, qui non poterat per se sustinere tentationem, fiat, aut evadat per gratiam, seu per auxilium à Deo præstitum, potens ad sustinendam illam, unde sæpe allegat textum illum contra Pelagianos superbos, & de se præsumentes, qui negabant gratiam Dei esse necessariam ad vincendam absolute tentationem, & sibi arrogabant illam potentiam, ut sibi propriam, & congenitam, & non à Deo ad singulos actus mutuatam, nihil ipse curans de actu, sed tantum de potentia, quæ sola erat inter eum, & illos controversa: illis volentibus eam esse ex natura, illo autem ex gratia. Unde non videtur aliter illum locum intellexisse Augustinus communiter, quam Cyprianus ibi ab adversariis ipsis relatus, qui pro eo quod est in textu Apostoli sed faciet cum tentatione exitum, ut possitis sustinere, sic habet: sed faciet cum tentatione, evadendi facultatem. Quam versionem, etsi non approbent adversarij nullam de eo rationem adducentes, nobis valde probatur, ut prorsus conformis sensui Apostoli, qui voluit objectum istius auxilij, per hoc verbum, faciet, expressi, esse sustinendi potentiam, sive evadendi facultatem, ut possitis, inquit, sustinere: quod si per exitum intellexisset victoriam, præpostere sic poneret actum ante potentiam cùm potentia debeat esse ante actum. Sensus enim esset quod Deus faciet victoriam in homine, ad hoc ut homo vincere possit: quod stultum, & ridiculum est, cùm potentia sit ad victoriam, seu ad hoc ut vincat homo, non autem victoria ad potentiam, seu ad hoc ut homo possit vincere, sive reportare victoriam; prius enim est posse, quam facere, ut per se manifestum est.

Eodem modo interpretatur hunc locum Primasius Augustini discipulus, qui pro eo quod est in textu Apostoli: sed faciet cum tentatione proventū, ut possitis sustinere: sic habet: illud faciet vobis provenire, *quod possitis sustinere.*

SECTIO NONA.

In qua proponuntur duæ ſequentes probationes ſumptæ ex diverſis phraſibus Auguſtini.

13 PRobatio eſt, quia ſæpe loquens Auguſtinus de gratia divina ad ſalutem neceſſaria, dicit eam nulli, aut nemini negatam, aut dicit omni datam, & ſimilia indicantia omnes, & ſingulos eam habere: ergo voluit omnes, & ſingulos habere illam gratiam neceſſariam, ſeu ſufficientem ad ſalutem: conſequentia clara eſt: probatur anteced. ex diverſis illius locis: ſic enim ait in Pſalm. 18. non longe ab initio. Cùm autem verbum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, *non* permiſit *ullum* mortalium ſe excuſare de umbra mortis (id eſt à damnatione quam incurrit) ipſam enim penetravit verbi calor. Id eſt gratia Chriſti. Et in Pſalm. 102. in hæc verba: Qui ſatiat in bonis deſiderium tuum &c. ſic ait: ſanat *omnino* ille *quemlibet* languidum (dans ſcilicet ei gratiam ſufficientem qua ſanetur à languore ſuo, ſi velit & ut poſſit etiam agere opera bona, & ſana) ſed non ſanat invitam. Ubi nullum excepit niſi invitum, ſeu reſiſtentem: quia nempe non dat gratiam neceſſitantem, ſed tantum invitantem, & indifferentem. Et tract. 2. in Joann. explicans illa verba. Erat (ſcilicet Chriſtus) lux vera, quæ illuminat (per gratiam ſuam) *omnem* hominem venientem in hunc mundum. Clare indicat illam particulam omnem, ibi ſignificare ſingulos, cùm per eam velit ſignificari ipſum Joannem. *Si omnem*, inquit, *hominem venientem & ipſum Ioannem.* Idem habet in ſerm. 8. Sirmundi ante medium. Et lib. de vera relig. ſub finem: *nulli*, inquit, *naturæ, quæ ab ipſo* (Deo) *bona eſſe poſſet, invidit.* Et *in bono ipſo* alia quantum vellent, alia quantum poſſent, *ut manerent*, dedit. Et paulo poſt. *Placuit*, inquit, *auctori ſuo, ut non interiret, quicquid* ab eo per verbum factum eſt. Id eſt ut nihil eorum interiret, & per hoc omnes, & ſinguli gratiam ſufficientem haberent ad ſalutem. Et lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 9. circa med. *nullam* ait *eſſe animam, quamvis perverſam*, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, *in cujus conſcientia non loquatur Deus.* Et in 2. parte ſupplem. ſerm. 40 ante med. ſic ait: conſideret *unuſquiſque* conſcientiam ſuam, & ſi in ſe ſuperbiæ malum (quod impedit communiter uſum gratiarum Dei) dominari cognoſcit, ad humilitatis medicamenta *confugiat.* Ergo poteſt confugere, ergo per hoc patet unumquemquem gratiam ſufficientem habere. Quod & infra repetit dicens: unde ſicut jam dixi, *unuſquiſque* revertat ad conſcientiam ſuam, & ſi in ſe radicem ſuperbiæ dominari cognoverit, *dum* ſcilicet, *& tempus benefaciendi in ſua poteſtate conſiſtit*: quanta poteſt velocitate

cum Dei adjutorio *extirpet superbiam , & plantet humilitatem*, &c. ergo unusquisque id potest , & proinde habet unusquisque gratiam sufficientem ad salutem. Et lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *nulli* , inquit , *homini ablatum* (id est negatum) *est*, scire utiliter quærere , quod inutiliter ignorat , *ut quærenti, & confitenti ille subveniat, qui* nec errat dum subvenit , nec laborat. Et serm. 61. de temp. initio clare dicit : quod *nullus invenitur* , qui charitatem perfectam (quæ sine dubio est gratia Dei per se sufficientissima ad salutem , cùm ei debita sint cætera auxilia ad salutem necessaria) cum Dei adjutorio non possit habere. Quod si quis cavillari velit , & dicat : hoc quidem ita esse , sed Augustinum non asserere , quod illud adjutorium ad illam charitatem habendam necessariam nobis semper suppetat, audiat sequentia. In reliquis (inquit Augustinus) operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prętendere , in habenda verò dilectione *nullus* se poterit excusare. At certe si ei deesset adjutorium , ad id necessarium , quis non videat eum non solùm excusationem qualemcumque , ut aliſà cæteris bonis operibus posse prætendere , sed juste, & legitime posse allegare. Quod & late prosequitur dicens : potest mihi dicere aliquis , non possum jejunare , *numquid potest dicere non possum amare* (ita sane si deesset ei adjutorium ad id necessarium , cùm tunc non minus esset impotens ad amandum , quam ille ad jejunandum) potest dicere ; propter infirmitatem corporis mei non possum à vino , vel à carnibus abstinere ; *numquid potest dicere non possum diligere.* Ubi semper supponit adesse gratiam sufficientem ad diligendum Deum, propter quod non excusatur ullus à diligendo Deo , sicut excusari potest ab abstinendo , sive à vino , sive à carnibus sibi necessariis ob infirmitatem suam. Et serm. 92. de diversis cap. 3. loquens de eadem lucidissima charitate , quæ refulsit in Stephano , reprehendit eos qui ab imitanda illa vellent se excusare , dicens : *nemo* mihi dicat : multum est ad me : homo erat , homo es. Sed non accepit à se. *Numquid accepit , & clausit tibi. Fons communis est , bibe* unde bibit , beneficio Dei accepit &c. Et serm. 4. ex parisiensibus cap. 6. clare dicit : quod *nulli deest Christus* , & quod ipse in omnibus plenus est. Et lib. 5. contra Iul. cap. 4. circa initium dicit : quod Deus præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ, *nolens aliquem perire.* Et lib. medit. cap. 2. ait : Deum *nullum* spernere , *neminem* abjicere *neminem* perhorescere , nisi qui forte amens illum exhorruerit. Et lib. annotat. in Job cap. 39. ait : quod in voluntate *cujusque* est , utrum tenebræ sit , an lux , id est, an bonus sit , aut malus , an prædestinatus , an reprobus. Et tract. de excidio urbis cap. 2. ait quod Deus *non vult invenire quem damnet.* Idem habet serm. 4. Sirmundi sub finem. Et in 2. parte supplem. serm. 32. circa med. sic ait : *quisquis* beatus vult esse , ad regnum cœlorum festinet , *nulli clausum est* , nisi ei qui se excluserit. Et libro 1. óperis imperfect. cap. 43. cùm Julianus adduxisset hæc verba S. scripturæ: Deus fecit hominem , & dimisit eum in manibus

consilij sui, *posuit ante eum vitam & mortem*, aquam & ignem, quod placuerit ei dabitur ei, & similia significantia potestatem liberam ad salutem, aut damnationem, quasi nempe hæc essent in potestate hominis sine gratia in voluntate necessaria: sic respondet Augustinus admittens eamdem potestatem in singulis, sed ad id gratiam sufficientem præstitam, dicens: hæc testimonia propter illam voluntatem dicta sunt in qua *quisque* id quod vult facit, ut si non habetur, ab eo poscatur (ubi vides gratiam sufficientem remotam supponi) qui in nobis operatur & velle: si autem habetur (quæ est gratia proxima) fiant opera justitiæ, & ei qui illam operatus est, agantur gratiæ. Per quæ omnia satis declarat Augustinus se omnino putasse quod omnes habent, & singuli gratiam sufficientem, seu necessariam ad salutem, cùm neget Deum ulli deesse, & asserat eum omni adesse, ut ex dictis manifestum est.

14. Probatio est: quia multis locis asserit Augustinus: gratiam semper, & ubique adesse, illam non deesse, numquam deesse, & similia, quæ satis, ut opinor, indicant, illum censuisse talem gratiam omnibus, & singulis datam esse: nam si semper, & ubique datur, & numquam negatur: ergo singulo cuique datur: nam si alicui non daretur, cùm hoc non possit accidere, nisi in aliquo loco, & tempore, non semper, & ubique daretur, quod est contra suppositionem: unde sola ista probanda suppositio est, seu hoc antecedens entymematis: scilicet, quod docuit Augustinus gratiam semper, & ubique adesse, numquam deesse, sive quid æquipollens: Sic ergo id docet Augustinus libro 2. de sermone Domini in monte capite 3. sub finem dicens: quod Deus *semper paratus est dare suam lucem nobis*, non visibilem, sed intelligibilem, & spiritalem: sed nos non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur Ecce ergo quomodo gratia semper adest nobis, & quomodo semper paratus est Deus nobis dare gratiam suam. Ecce nunc quod ubique: sic enim ait lib. 3. de lib. arb. cap. 19. cum autem *ubique sit præsens*, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: qui locus celebris repetitur, & approbatur libro de nat. & gr. c. 67. ut recta docens de gratia: nam post eum ibi citatum sic ait Augustinus. Ita & exhortatus sum, quantum potui, ad recte vivendum, & *gratiam Dei non evacuavi*, sine qua natura humana jam contenebrata, atque vitiata illuminari non potest, & sanari: de qua re cum istis (scilicet Pelagianis) tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei, quę est in Christo Jesu Domino nostro perversa naturæ defensione frustremus. Ecce ergo quomodo semper & ubique gratia, seu Deus adest nobis: quibus & adde hunc textum ex Epist. 50. sub finem ubi ait Augustinus: *quamdiu hic vivit* (scilicet homo):

eum sicut dicit Apostolus patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Et serm. 44. de diversis cap. 6. sic ait: conamini cogitare fratres *lumen veritatis*, *lumen sapientiæ* quomodo *ubique est præsens omnibus*, conamini cogitare lumen justitiæ, præsens est *omni* cogitanti. Et paulo post. Quid ergo est lumen justitiæ, de oriente surgit, & in occidentem vadit: an est alius locus unde oritur, aut quo venit, *nonne ubique præsto est*. Et in Psalm. 91. circa initium. *Non cessat*, inquit, *Deus monere bonum*, ut non cessat Satanas suadere malum. Et in Psalm. 102. in hæc verba: noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Non cessavit*, inquit, *vocare*, aut vocatum neglexit instruere, aut instructum cessavit perficere, aut perfectum neglexit coronare. Et multo post sic ait: *vocat undique* ad correctionem, *vocat undique* ad pœnitentiam vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis & multæ misericordię. Et conc. de emerito sub finem sic ait: ille (scilicet Deus) intus prædicat pacem, *nec cessat* prędicare, si audiatur. Et Homil. 7. de diversis in 1. parte suplem. circa initium: ecce, inquit, epulæ paratæ sunt, justitia Christus est, *nusquam deest*. Et tract. 2. in Joann. loquens de Deo ut de luce (quo verbo significat gratiam) quæ lucet in tenebris sic ait: ecce hîc est & modo & hic erat & *semper hîc est & numquam recedit*. Opus est ut habeas unde videas quod tibi *numquam recedit*, opus est ut tu non recedas ab eo *qui nusquam recedit*. Ubi manifeste vides Augustinum docere, Deum numquam & nusquam à nobis recedere, non cessare à monendis, & docendis hominibus, semper, & ubique adesse: quod luce clarius indicat, eum omnibus, & eorum singulis dare gratiam sufficientem,

---

SECTIO DECIMA.

In qua proponuntur duæ aliæ probationes sumptæ ex aliis quibusdam phrasibus Augustini.

15. PRobatio sumitur ex illis locis, in quibus Augustinus loquens homini simpliciter, & absolute, & per hoc omni homini, indicat, ab eo, seu ab ejus voluntate pendere, quod salvetur, si velit, aut quod ea faciat, unde salvetur si voluerit: ex quo manifestum est, quod ipse supposuit, quemlibet hominem posse salvari, si velit, & ad id habere gratiam sufficientem: nam cùm sic loquatur homini simpliciter, & absolute, non est potior ratio, cur id huic potius attribuatur, quam alteri. Ergo id convenit omni homini secundum Augustinum; & sic, manifestum est, Augustinum voluisse omnes, & singulos

singulos homines habere gratiam sufficientem ad consequendam suam salutem: consequentia clara est, nam & hunc ipse esse sensum suum manifestat Augustinus: homil. 11. ex 50. circa initium his verbis: *tu qui non vis corrigi*, ô quisquis hîc es, qui adhuc non vis corrigi: *quasi unus sit, magis debui dicere: quicumque hîc estis: tu tamen qui hîc es, qui non statuisti corrigi, sic loquar quasi ad unum* (non quod esset unus, sed cuilibet in particulari loquebatur, loquens tamen ad omnes, & singulos, ut patet ex sequentibus his verbis) *quisquis* non vis corrigi, quid tibi promittis &c. & libro 2. contra Cresconium grammaticum cap. 26. in fine: ex simili modo loquendi neminem vult excipi, ex eo enim quod dicit script. oleum *peccatoris* non impinguet caput meum: & *qui* baptisatur à mortuo, quid ei prodest lanatio ejus: quæ sunt propositiones indefinitæ, vult Augustinus simul cum grammatico illo, contra quem disputabat, illas intelligi de singulis, & neminem ab eis excipi, nullus, inquit, mortuus, nullus peccator exceptus est. Et libro contra mendacium cap. 1. ex eo quod scriptura vetat absolute, & simpliciter mendacium, vult per hoc intelligi omne, & quodcumque mendacium. An quia, inquit, non dictum est: perdes omnes qui loquuntur *omne* mendacium, vel qui loquuntur *quodcumque* mendacium, ideo putandum est, *alicui* mendacio locum relaxatum esse &c ex quo patet quod per hunc modum loquendi intelligit omnes & singulos. Probatur ergo nunc anteced ex multis illius locis nam lib. 22. contra Faust. cap. 22. post medium ait: quod *homo* potest peccare, & Deum negare, *sed si nolit, non facit*. Ergo pendet ab eo, seu ab ejus voluntate, quod non peccet, & sic non damnetur. Et serm. 14. de sanct. cap. 7. sic ait: *si vis*, tu es sedes Dei, id est, justus. Et serm. 5. de diversis cap. 6. sic ait: *si vult homo*, heri fuit palea (id est improbus) *hodie fit frumentum*. Id est electus, & bonus. Et serm 36. cap. 9. *si*, inquit, *nolueris, non erit*. (scilicet tua damnatio) Et infra. *time* pœnas in æternum, *non venient si nolueris*. Quid clarius. Et serm. 31 Sirmundi ante med. *ostenditur tibi mors*, scilicet æterna, *quæ, si volueris, non erit*. Et post med. *mors æterna, si nolis, ideo non erit*, quia *illud* (scilicet justitia & perseverantia in ea) *unde te ab ista morte redimes, si volueris, erit*. Et in Psal 32. conc. 2. loquens indefinite peccatori sic ait: Deum, *cum volueris*, habebis. Et in Psalm. 39. in hæc verba non celavi misericordiam tuam, &c. longe post med. *vis* inquit, *audire misericordiam Domini, recede* à peccatis, donabit peccata: *vis audire veritatem* (id est sententiam tuæ salvationis in die judicij) *tene* justitiam, coronetur justitia: modo enim misericordia tibi prædicatur, postea veritas exhibebitur. Et in Psalm. 57. sic objurgat peccatorem dicens: *non vis converti*: ut scilicet negligentem suam conversionem, quæ in ejus potestate erat, qui enim non vult, potest secundum Augustinum: unde Psalm. 61. in hæc verba semel locutus est Deus &c. dicit: quod *qui dat* potestatem tentatori, *dat tentato misericordiam*: id est potentiam resistendi: propter quod sic mox hortatur

Augustinus lib. 2. de actis cũ fœlice Manich. c. 5. sic explicat nolle: *qui* inquit *servare legem non vult, in potestate* eius est, si velit. Et serm. 232. de temp. circa init. opponit voluntatẽ impotentię dicẽs: *quod implere nolumus, non potuisse* nos dicimus, nolle in culpa est nostra, & *non posse prætenditur*. Et in infra citando lib. de gr. & lib. arb. c. 2. clare dicit: quod ubi dicitur noli hoc, aut noli illud, lib. arbitrium demonstratur. Quod sane non reperitur, ubi est impotentia: ergo id indicat potentiam.

quemlibet tentatum. Noli ergo timere permissum aliquid facere tentatorem, *habes enim misericordissimum salvatorem.* Et in Psalm. 63. sub finem sic hortatur peccatorem ad conversionem suam faciendam ex consideratione suæ potentiæ, & gratiæ datæ, aut paratæ, dicens: *nonne si vis, hodie fit, nonne si vis, modo fit.* Et in Psalm. 90. conc. 1. circa init. *si vis*, inquit, securus ambulare, *noli* declinare in dexteram, aut in sinistram. Ut quid nempe pendens ab ipso. Et in Psal. 95. circa med. sic ait. Non est magnum esse super dæmonia (id est vincere eorum tentationes, quę nos deducunt ad peccatum, & deinde ad damnationem) *poteris hoc, & tu si volueris.* Et in Psal. 101. sub finem: *noli*, inquit, *esse sterilis* (scilicet in bonis operibus) *si vis* habitare (scilicet regnum cœlorum) & in Psalm. 102. longe ab initio salutem, *si volueris, obtinebis.* Quid clarius. Et lib. 5. cont. Iul. c. 16 post med. sic eum roganti illi hæretico: fateris ergo ita virtutem pudicitiæ à *volentibus* posse servari, *ut sit, quicumque voluerit, corpore sanctus, & Spiritu.* Sic respondet Augustinus. *Respondeo me fateri.* Ubi clare admittit in cujuslibet esse potestate, ut sit sanctus corpore & Spiritu. Quæ est recta via ad vitam æternam: sed quia iste hæreticus, ibi non supponebat gratiam datam, sic prosequitur responsionem suam Augustinus dicens. Sed non sicut vos, nam vos ipsius animi viribus (scilicet solis) hoc tribuitis: ego adjutæ per gratiam voluntati. Id est utrique admittimus id esse in potestate hominis, & id pendere ab ipso sed id vultis esse ex mera natura, sed nos volumus id esse ex concessa cuilibet gratia. Et libro de gr. & lib. arb. mirum est quantis inculcet istam potestatem hominis, atque ab eo dependentiam: unde attribuit ei cap. 2. hęc verba scripturæ. *Si volueris*, conservabis mandata, apponet *tibi* ignem, & aquam, *ad quodcumque volueris extende manum tuam.* In conspectu hominis vita, & mors, & *quodcumque placuerit, dabitur ei.* Post quæ, ut ostenderet ea esse in hominis arbitrio, potestate, atque dependentia sic ait: ecce apertissime videmus expressum liberum humanę voluntatis arbitrium. Unde & postea congerit hæc verba scripturæ, indicantia hanc indefinite cujuslibet hominis potestatem, atque ab eo dependentiam. Scilicet. *noli* vinci à malo, *noli* deficere à disciplina Domini: *noli* negligere legem, *noli* abstinere benefacere egenti, *noli* fabricare in amicum tuum mala, *noli* intendere fallaci mulieri. Post quæ sic ait: nempe ubi dicitur: noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium (unde & sequitur) *nemo* ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet *quisque* cùm peccat. Per hoc clare indicans, in cujuslibet esse potestate, & arbitrio non peccare, non vinci à malo, legem Dei non transgredi, & consequenter non damnari. Quod si quis dicat in his & in multis aliis supraallatis testimoniis non fieri mentionem de perseverantia, sine qua nemo potest salvari. Respondeo 1. satis eam illam declarasse per hęc verba paulo supra allata:

noli vinci à malo, & noli deficere à disciplina Domini, & per hæc longe antecedentia quod homo non peccat, si non vult: quod pœnæ æternæ non ei venient, si non vult: quod est super dæmonia, & per hoc super omnes tentationes, si voluerit: & quod salutem, si voluerit, habebit. Respondeo 2. quod id satis alibi aperte declaravit scilicet libro de corrept. & gr. cap. 7. ubi loquens indefinite de homine converso, sic ait. *Homo* in eo quod audieras, & tenueras *perseverares si velles.* Quo nihil clarius dici poterat. Ex quo manifestum est, omnes homines habere gratiam sufficientem ad salutem suam consequendam, quandoquidem, & ad incipiendum, & ad perseverandum habent sufficientem potestatem, si ea uti velint, & cùm hoc pendeat ab eorum voluntate, ut ex dictis manifestum est.

16. Probatio similis fere præcedenti est, & sumitur ex his locis, ubi loquens Augustinus generaliter de nobis, ponit formaliter, aut æquivalenter salutem nostram in nostra voluntate, in nostra potestate, & in nostra electione, quod clare indicat, eum supponere, nos omnes, & singulos ad id habere gratiam sufficientem: unde & in aliquibus illis clare exprimit singulos. Nam 1. ponit nostram istam salutem in nostra voluntate: libro 1. de lib. arbitrio cap. 12. post med. ubi loquens de vita recta, & honesta, seu de bona voluntate, quæ sane fons, & origo est bonorum operum, & per hoc vitæ æternæ, sic ait: vides igitur jam ut existimo *in voluntate nostra esse constitutum*, ut hoc, vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono. Et cap. 16. circa initium sic ait: quid autem *quisque* sectandum, & complectendum eligat, *in voluntate esse positum constitit.* Quod etiam approbat in retract. suis libro 1. cap. 9. modo non intelligatur in sensu Pelagiano, quasi id esset in voluntate nostra sine gratia, sed vult id solùm esse in voluntate nostra per gratiam: quod & nos omnino supponimus, cùm ex hoc testimonio adesse semper nobis gratiam sufficientem inferamus, ubi & nota quod ibi exprimit singulos per τὸ quisque. Et lib. 2. de actis cum fœlice Manichæo, qui liber conscriptus fuit post Episcopatum suum, quo tempore à Deo edoctus erat de gratia. Sic ait: cap. 4. habet *unusquisque in voluntate*, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala, & esse arbor mala. Ubi nota *unusquisque*, quod designat singulos. Ubi quidem non est commemorata gratia, sed supposita, quia cùm tali disputabat, cum quo necesse non erat loqui ex professo de gratia, ut bene monet in retract. lib. 2. cap. 8. fœlix enim erat Manichæus, & non Pelagianus. Et lib. annot. in Job quem, sicut & præcedentem, condidit Episcopus cap. 39. post med. sic ait: *in voluntate cujusque est, utrum tenebræ sit, an lux.* Id est ut ibi explicat: justus, aut injustus: quod & vult pertinere ad unumquemque ut patet, & per hoc ad singulos. Et lib. de vera relig. cap. 6. ante med. idem dicit: cum ait quod: in hac area, id est Ecclesia: *pro voluntate quisque, vel palea, vel frumentum est.* Id est probus, aut electus, aut malus, aut reprobus. Utroque enim

modo ſumit paleam, & frumentum, ſed quolibet illorum modo hic ſumantur indicant gratiam ſufficientem dari cuilibet, ut patet ex hoc vocabulo, *quiſque*. In quo nihil retractavit Auguſtinus ut videre eſt in retract. ſuis libro 1. cap. 13. & in Pſalm. 102. longe poſt init. cùm dixiſſet quod Deus ſanat omnem ſpiritaliter languidum, ſic ait: quid autem te beatius, quam, ut tanquam in manu tua vitam, ſic *habeas in voluntate tua ſanitatem tuam*: ſcilicet ſpiritalem, quę vel ipſa vita æterna eſt, quomodo ſæpe ſumit eam Auguſtinus, vel via recta ad ipſam. Ubi quidem non eſt commemorata gratia, ſed ſuppoſita, quia loquebatur Catholicis quos bene ſciebat inſtructos eſſe in doctrina de gratia. Sic ergo dicit ſalutem noſtram eſſe in voluntate noſtra vel formaliter loquens de ipſa, vel æquivalenter, loquens de iis quæ cónducunt ad ipſam.

Quod autem ſit in poteſtate noſtra multis id indicat locis Auguſtinus: ſic enim lib. contra adim. cap. 5. dicit ſcripturam docere, quod *in noſtra poteſtate ab ipſo Deo poſitum eſt*, nos ſimiles eſſe Deo. In quo loco nihil retractavit. Et lib de fide contra Manich. c. 9. ait, *eſſe in poteſtate hominis* facere bene, aut male. Et ſerm. 112. de diverſ. cap. 2. dicit non eſſe in hominis poteſtate quo exitu vitam iſtam finiat, *ſed eſſe in poteſtate hominis quomodo vivat, ut ſecurus vitam finiat*. Id eſt, ut vitam conſequatur æternam: quo nihil frequentius inſinuavit, aut inculcavit Auguſtinus ſic enim ſerm. 61. de tempore verſus finem ait, quod *in noſtra poteſtate poſitum eſt*, qualiter in die judicij judicemur. Et ſerm. 67. ſub finem dicit, *in poteſtate noſtra eſſe* remedia ad ſalutem. Et ſerm. 94. cap. 3. dicit *in poteſtate noſtra eſſe* operari noſtram ſalutem. Et ſerm. 36. de diverſis ſub finem. *In poteſtate*, inquit, *habes ne veniat tibi quo timere debes*. Scilicet damnatio æterna, ut prius explicuerat. Et in Pſalm. 7. ſub finem ait: *diabolo non conſentire in poteſtate noſtra eſſe voluit*, qui nos fecit. Et in Pſalm. 61. ſub finem ait, quod *Deus dedit hominibus poteſtatem* faciendi *quod bonum eſt*, & non faciendi quod malum eſt. Et in Pſal. 70. loquens indefinite ſingulis immediate ante enarrationem 1. partis ait: non erat in poteſtate tua, ut non naſcereris ex Adam (hoc ſine dubio convenit omnibus, & ſingulis, ita ergo & quod ſequitur, ut comparatio legitima ſit) *eſt in poteſtate tua, ut credas in Chriſtum*. Et in Pſalm. 141. circa initium loquens de tentationibus quæ nos deducunt ad peccatum, ſic ait: tentator non ceſſat pulſare, ut irrumpat: ſi clauſum invenerit, tranſit, ideo Apoſtolus: quia *in noſtra poteſtate eſt* oſtium claudere (id eſt tentationes vincere) oſtium cordis, non parietum, ibi enim & cubiculum Quia ergo *in noſtra poteſtate eſt* hoc oſtium claudere: neque detis, inquit, locum diabolo. Etenim ſi intravit, & poſſidet: attende, *quia tu negligenter clauſiſti, aut claudere neglexiſti*. Ubi & vides conſenſum in peccatum, ſeu in tentationem, & per hoc damnationem æternam, nulli tribui impotentię, ſed ſoli negligentiæ, quæ ſupponit adeſſe potentiam in oppoſitum. Unde & paulo poſt cuilibet indefinite di-

cit: *timoris, & cupiditatis januam claude* contra diabolum, & aperi ad Christum. Ut quid omnino supponens existere in nostra potestate, quod si fideliter facimus, sine dubio salvi erimus. Et libro de nat. & gr. cap. 34. sub finem clare dicit: quod *fuit in nostra potestate, ut vitia, seu* peccata nostra, non accidant. Et libro 1. retract. cap. 22. ait, *in potestate esse hominis* mutare in melius voluntatem. Et paulo post. *In nostra* etiam *esse potestate*, ut vel inseri bonitate Dei (quod est salvari) vel excidi (quod est damnari) ejus severitate mereamur. Quo nihil dici clarius, aut efficacius poterat secundum nostram intentionem: ad quæ tamen omnia præsupponit gratiam sufficientem, quam negabant Pelagiani, totum ponentes in natura, & virtute humanâ, & nihil in virtute divina, contra quos ibi agebat Augustinus.

Quod tandem ponat salutem nostram in electione nostra Augustinus, multis adhuc illius locis probari potest. Nam in Psalm. 36. conc. 1. circa initium loquens de futura pace piorum propter bona opera sua, & de labore impiorum futuro propter mala opera sua in die judicij, sic quemlibet alloquitur, dicens: *elige* (utrumvis) dum tempus est. Et in Psalm. 53. circa initium equidem, inquit, *nunc eligendi potestas adjacet*, veniet tempus quando potestas deerit eligendi, cùm jam Deus non differet sententiam judicandi. Et in Psalm. 74. sub finem quemlibet alloquens dicit. *Modo est tibi tempus eligendi*, tunc non erit: scilicet in die judicij. Et eodem modo loquens in Psalm. 93. circa med. *elige tibi*; temporalem *vis* laborem, an sempiternam pœnam. Et in Psalm. 144. ante med. sic ait: *tempus electionis nunc est*, acceptionis postea erit. Scilicet in die judicij. Et serm. 36. de diversis sub finem loquens unicuique indefinite sic ait: *si elegeris hìc bene vivere*, in æternas pœnas non mitteris: quia vero non potes hìc, ne moriaris: *elige cum vivis ne in æternum moriaris*. Et serm. etiam 50. de diversis loquens cuilibet indefinite, sic ait: si dimiseris manum ad justitiam, pereant divitiæ, si dimiseris manum ad divitias necesse est, ut amittas justitiam, *modo elige*. Scilicet justitiam aut injustitiam. Et sermone duodecimo ex additione Lovaniensium capite 10. sic ait: *modo eligite, aut dextram, aut sinistram*, id est vitam æternam, aut ignem æternum. Et serm. 18 de verbis Apostoli cap. 3. erit, inquit, cœlum novum, & terra nova, ibi impij, ibi mali ibi nequissimi habitare non sinuntur: *eligat modo qui talis est*, ubi desideret habitare, cum tempus est. Et in fragmento 11. cuilibet indefinite loquens in hoc statu naturæ lapsæ. Sic ait: ægrote quomodo sanaberis, qui de medicamento erubescis, *elige tempus*, nunc est tempus, postea contemptus. Et infra: *elige hoc tempore quam partem teneas in futuro*. Ex quibus omnibus manifestum est, Augustinum censuisse nostram salutem esse in nostra electione, sicut & in nostra potestate & voluntate, & per hoc etiam censuisse omnes & singulos habere gratiam sufficientem ad salutem suam consequendam si ea uti voluerint.

SECTIO UNDECIMA.

In qua duæ sequentes proponuntur probationes quarum una sumitur ex eo quod dicit Deum expectare pœnitentiam hominum, altera ex locis formalibus vel æquipollentibus pro gratia sufficiente.

17. PRobatio est quod sæpe dicit Augustinus absolute & simpliciter de peccatore quod expectat, aut expectavit eum Deus ad pœnitentiam, ad resipiscendum, & similia : ergo per hoc indicavit se censuisse omnes & singulos peccatores habere gratiam sufficientem ad salutem. Consequentia clara est, quia cùm hoc non sit determinatum ad hunc vel illum peccatorem sed sit absolute & simpliciter dictum, non est potior ratio cur de uno peccatore potius intelligatur, quam de alio, & per consequens intelligitur de omni, seu de quolibet peccatore, & sic de omnibus, & singulis. Antec. autem probatur ex claris Augustini testimoniis. Sic enim ait in Psalm. 32. conc. 1. versus finem in hæc verba : misericordiam & judicium : *patiens est Deus super peccatores, donec convertantur.* Et in Psalm. 49. circa finem in hæc verba: hæc fecisti & tacui : quid est, inquit, tacui : vindictam supersedi, severitatem meam distuli *patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diu expectavi :* hæc fecisti, & tacui. Cùm autem *ad hoc expectarem ut te pœniteret* secundum Apostolum dicentem : tu autem secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens thesaurisas tibi iram in die judicij &c. Et infra quid *tibi* faciam, modò *te* non vides, facio ut videas *te*, quia si videres *te*, & displiceres *tibi*, placeres mihi : quia vero *te* non videns placuisti *tibi*; displiceris mihi, & *tibi*, mihi *cùm judicaberis, tibi cum ardebis.* Ubi vides eum alloqui singulariter reprobos, ut quorum singuli expectati fuerunt à Deo, ut pœniterent (quod stultum fuisset, si non potuissent) & non pœnituerunt : quod satis arguit, eos habuisse gratiam sufficientem ad pœnitendum, & multo magis electos, & sic omnes, & singulos. Et in Psalm. 144. circa medium. Vocat *te* nunc, inquit, exhortatur *te* nunc, *expectat donec resipiscas*, & tardas. Et infra : *longanimis expectat peccatorem.* Quod pertinet ad quemlibet, & non ad hunc, aut illum solùmmodò peccatorem. Et serm. 88. de temp. circa init. eodem modo loquitur dicens : *expectat peccatorem* donec convertatur. Et serm. 220. c. 2. quia, inquit, bonus est in te (scilicet Deus) quia *longanimis est in te*, quia patiens est in te, quia differt te, & non aufert te, contemnis. Et ser. 48. de diversis c. 6 *ut pœnitentiam agas expectat te*, sed si te non mutaveris, damnat te. Et tract. 23. in Joann. post med. mansuetus, inquit, Dominus, longanimis

Dominus, misericors Dominus; sed & justus Dominus, & verax Dominus: *largitur tibi spatium correctionis*, sed tu plus amas dilationem, quam emendationem. Quod satis arguit emendationis illius possibilitatem, & per hoc gratiam sufficientem. Unde & ibidem sic severe pronuntiat contra illos. *Quos* modo *sustinet* (scilicet Deus) peccantes, judicaturus est *contemnentes*. Quod satis arguit quod non solùm sustinet, aut expectat futuros pœnitentes, sed etiam futuros impœnitentes, & damnandos, quos hic vocat contemnentes, & quod largitur eis spatium correctionis, sicut & cęteris, & per hoc omnibus, & singulis. Et libro de Catechis. rud. cap. 26. tam vult nemini deesse auxilium ad pœnitendum, quam de nullius jubet desperare salute. *De nullius*, inquit, *hominis* correctione desperet (Catechista, seu prædicator Evangelicus) *quem patientia Dei videt vivere, non ob aliud*, sicut Apostolus ait, *nisi ut adducatur ad pœnitentiam* ubi vides finem patientiæ Dei generalem, scilicet, ut quilibet peccator pœniteat. Et jam c. 19. dixerat Augustinus: quod Deus *dat pœnitendi spatium, iis ipsis quos novit in malitia sua esse perseveraturos* ut scilicet pœniteant: quod si dat reprobis, quanto magis cæteris: ergo dat omnibus, & singulis. Et tandem libro 5. contra Jul. cap. 4. circa init. sic ait: justus & bonus est (Deus) & quod *præbendo patientiam* (id est expectando) *dat locum pœnitentiæ, nolens aliquem perire*. Ubi manifestum est Augustinum censuisse ita Deum expectare peccatores ad pœnitentiam, ut neminem eorum perire velit defectu gratiæ necessariæ, quod est id omne quod contendimus.

Penultima probatio sumitur ex diversis locis quasi formalibus, & expressis, in quibus clarius, & expressius suam nobis demonstravit Augustinus sententiam de sufficientia gratiæ, omnibus, & singulis præparatæ: quorum quidem jam aliquos hinc inde dispersos, vel totos, vel partiales adduximus, alios autem nondum adduximus.

In primis celebris est ille ex lib. 3. de lib. arb. cap. 19. circa initium, ubi ait Augustinus quod: *ubique præsens est* (Deus) *qui* multis modis per creaturam Domino *servientem, aversum* vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur conantem adjuvet, exaudiat deprecantem. Et post pauca: *nulli* enim *hominum ablatum est* scire utiliter quærere quod inutiliter ignorat, &c. Et lib. de vera religione cap. 25. initio dicit quod divina providentia *non solùm singulis hominibus* (quoad fidem habendam) *quasi privatim* sed universo generi humano tanquam publice *consulit*; quid *cum singulis* agatur (scilicet in interiori) Deus scit qui agit, atque ipsi, cum quibus agitur, sciunt (per quod indicat gratiam credendi singulis hominibus datam cum de ea ibi loquatur Augustinus) quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit &c. quę non pertinent ad nos, cum sint mera externa, sed quantum ad fidem, & per hoc quantum ad gratiam, quæ sufficit ad salutem, vides quod divina providentia consulit, seu providet, ut eam habeant *privatim singuli*, si nempe eam ad-

mittere voluerint : in quo nihil retractavit Augustinus licet in illo ipso capite aliqua alia retractaverit. Et Epist. 119. ad Januarium cap 16. in fine. Vocantur inquit *ad requiem alterius vitæ*, quo ab ipsa transitur, quod Pascha significat, *omnes* in nomine Patris, & Filij, & Spiritu sancti. Supra autem ostendimus in probatione prima, omnes significare etiam singulos in sensu Augustini. Et lib. de agone Christiano cap. 11. sub finem loquens de gratia Christi sic ait : *ô medicinam omnibus consulentem*, omnia tumentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, *omnia perdita reparantem*, omnia depravata corrigentem; quis jam extollet contra filium Dei; *quis de se desperet pro quo tam humilis esse voluit filius Dei*. Et libro 2. de serm. Dom. in monte cap. 3. sub finem : fit, inquit in oratione conversio cordis ad eum, *qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit*. Et serm. 67. de tempore circa med. sic inducit Christum loquentem cuilibet homini. Ego te *ô homo* de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi imaginem nostram, similitudinemque conferre dignatus sum (credo quod hoc respicit singulos homines) ego te inter paradisi delicias (in parente tuo Adamo) collocavi : tu vitalia mandata contemnens deceptorem sequi quam Deum maluisti. Cùm expulsus de paradiso jure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis pariendus introivi, in præsepio expositus, & pannis involutus jacui, infantiæ contumelias, humanosque dolores, *quibus tui similis fierem, ad hoc scilicet, ut te mihi similem facerem*, pertuli, &c. *ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi*. En clavorum vestigia quibus affixus pependi, en perfossum vulneribus latus, *suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres, conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo* (quæ omnia, ut vides, respiciunt singulos, cùm respiciant homines, ut homines sunt, & non minus reprobos, quam electos, ut mox etiam sequitur) *cur quod pro te pertuli, perdidisti; cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti*, non te ego de morte mea quæro, *redde mihi vitam tuam pro qua meam dedi* &c. Ergo etiam pro reprobis Christus dedit vitam suam, & munus redemptionis, seu passionis suę, quod non potest intelligi nisi de gratia suffic. ab eo ad hoc ipsis data, prout ipse supra dixit Augustinus : scilicet, ut eis daret gloriam suam, & ut in æternum viverent : unde & infra sic objurgat quemque impium, & reprobum dicens : *& quia post omnia mala tua ad pœnitentiæ medicamenta confugere noluisti* (ergo id poterant in sensu Augustini) *ab auditu malo non mereberis liberari*; Qui tunc erit stridor dentium cùm sanctorum multitudine ad dexteram regis, & ad gloriam segregata, peccati populus (id est reproborum cœtus) in profunda tartari sine ulla miserationis, ac venię spe demersus, excludi se tenebris suis à beata Sanctorum luce viderit &c. Et in Psalm. 32. conc. 1. sub finem sic ait : misericordiæ tempus modo est, judicij tempus post erit, unde est misericordiæ tempus : *vocat modo aversos*, donat peccata conversis, *patiens*

est super peccatores, donec convertantur : quandocumque conversi fuerint, præterita obliviscitur, futura promittit. *Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adjuvat dimicantes, neminem deserit laborantem, & exclamantem ad se, donat unde sibi sacrificetur*, ipse tribuit unde placetur. Et in Psalm. 145. post medium sic loquitur ad singulos, tanquam ad eos, de quorum salute cura est Deo. Audi eloquia divina, *noli de te desperare., qui curavit facere te, non curat reficere te* nonne Deus tuus est qui fecit cœlum & terram & mare, &c. ibi ostendens quod nullum Deus creavit, cujus salutem non curet, quod sane pertinet ad omnes, & singulos. Et tract. 2. in Joann. in hæc verba lux lucet in tenebris. Ecce, inquit, hîc est, & modo, & hîc erat, *& semper hîc est, & numquam recedit, nusquam recedit*, opus est ut habeas, unde videas *quod tibi numquam recedit*, opus est ut tu non recedas *ab eo, qui nusquam recedit.* Et libro de nat. & gr. cap. 67. repetit, & ratum habet id quod dixerat libro 3. de lib. arbitrio, & supra retulimus, scilicet quod *Deus ubique præsens est, qui multis modis* per creaturam sibi Domino servientem, *aversum vocet*, doceat credentem., consoletur sperantem, &c. Et serm. 11. de verbis Apostoli cap. 1. sub finem clare indicat gratiam suffic. non esse in nobis minus communem, & generalem, quam ipsam creationem, quam nemo dubitat pertinere ad omnes, & singulos homines. Sic enim ait ibi : *non fecit, & deserit: non curavit facere, & non curat custodire* : ploremus ante Dominum qui fecit nos : quia non ploravimus quando nos fecit, & tamen fecit. *Qui ergo fecit antequam rogaretur, deserit cum rogatur* : tanquam ergo dubitaret homo : utrum exaudiretur orans, admonuit eum scriptura cum dicit ; ploremus ante Dominum qui fecit nos. Utique exaudit quos fecit, utique *non potest non curare quos fecit.* Quod non solùm intelligit de curatione corporali, seu de cura circa corpus, sed etiam de curatione spirituali, seu de cura circa animæ salutem spiritualem, & æternam, ut patet ex sequentibus, ubi reprehendit Pelagium, & Pelagianos, qui negabant istam curam spiritualem esse in Deo, quasi homo ad id sibi sufficeret, dicens verumtamen *juxta altiorem intellectum, &*, quantum existimo, *ulteriorem*, vidit quosdam (scilicet Pelagianos) Spiritus sanctus dicentes, vel dicturos : quod Deus fecerit eos homines : justos autem ipsi se faciunt, prævidens eos, admonuit eos, & ab hac extollentia revocavit eos. Et infra : audite, audite, & justos, & injustos, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Ubi clare ostendit quod non solùm secundum naturam ipsi cura est de nobis, sed etiam secundum mores, & gratiam, providens nobis auxilia sufficientia, non solùm ad vivendum corporaliter, sed etiam spiritualiter, ut perveniamus ad vitam æternam : & lib. 4. de Symb. ad Catech. cap. 5. ante med. exhibet Deum per passionem Domini nostri Jesu Christi : *liberantem omnes quos creaverat homines*, At qui sunt illi quos creavit Deus homines, nisi singulos : ergo liberavit, singulos, quos creavit singulos, dando eis gratiam sufficientem ut liberarentur à peccato, & sanarentur si vellent.

SECTIO DUODECIMA.

In qua proponitur ultima probatio generalis, sumpta ex doctrina discipulorum Augustini.

ULtima pobatio sumitur ex doctrina discipulorum Augustini: Prosperi, scilicet, Fulgentij, & aliorum similium probe callentium doctrinam tanti magistri.

§. PRIMUS.

Testimonia Prosperi, & Fulgentij.

PRimò multa possem proferre ex Prospero, sed aliqua jam retuli in probatione 4. hujus partis, & infra aliqua alia referam in 2 parte conclusione de infidelibus, quapropter his omissis: quæ restant, hîc proferam breviter: libro ergo 2. de vocatione gent. cap. 29. loquens de adjutorio Dei, dicit: quod *nemini negatur*, & quod nulli debetur. Ex quo clare sequitur quod omnibus, & singulis datur: & sub finem capitis: *universitati*, inquit, *hominum* ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut *neque ulli pereuntium* (ergo omnes, & singulos complectitur, cùm nequidem ullum pereuntium, de quibus principalis quæstio fieri posset, prætermittat) *excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis* (quia nempe omnes, & singuli habuerunt auxilium remotum in oratione, aut eleemosyna, aut similibus quibus istud proximum impetrare potuerunt, sed noluerunt) neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari (ubi nota comparationem quæ omnes & singulos complectitur. Omnes enim nemine excepto indigent gratia Dei ad singulos suos actus) cùm & illos propria nequitia demergat, & istos Dei gratia perducat ad gloriam: quod ideo respicit omnes, & singulos. Et lib. de lib. arb. ad Rufinum in prioribus ejus partibus, loquens de divitiis divinæ misericordiæ: negat *quemquam iis carere*. Quod certe respicit omnes & singulos: licet autem loquatur ibi de aliquibus particularibus, non tamen id intelligit de iis solis cùm non neget quemquam *eorum* carere illis divitiis, sed generaliter neget quemquam, seu ullum simpliciter carere illis divitiis. Et in responsione ad object. 8. gallorum sub finem sic ait: omnium ergo hominum cura est Deo, & *nemo est* (ergo omnes, & singulos complectitur) *quem non, aut Evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat: sed infidelitatem hominum ipsis ascribamus hominibus.* Et in respons. ad object. 15. numero 8. sic ait: qui dicit quod *non omnes* (ergo ibi loquitur de singulis: nam si unus desit, ergo ibi non omnes sunt, cùm negatio sit malignantis naturæ, & neminem præter-

mittat: unde propterunum Judam Iſcariotem dixit aliquando Jeſus, quod non omnes ejus Apoſtoli mundi erant. Qui ergo dicit quod non omnes, id eſt non ſingulos) *homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei: qui omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire* (hucuſque de gratia ſufficiente quæ datur omnibus, & ſingulis: quod ſequitur eſt de gratia efficaci, quæ non datur ſemper ſingulis, ſed aliquibus) & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit, juſtificatos glorificavit. Tandem in reſponſione ad 15. object. vincentianam ſic ait: *nemini* Deus correctionis adimit viam, *nec quemquam* boni poſſibilitate diſpoliat. Quo nihil certe clarius dici poterat pro gratia ſufficiente, omnibus, & ſingulis data excepto nemine.

Nunc tranſeundum eſt ad alterum ſingularem Auguſtini diſcipulum, ſcilicet fulgentium, qui probe in hac materia condiſcipulo ſuo conſentit. Nam primò aſſerit quod homines non peccant, aut deficiunt, niſi voluntarie, ſeu propria voluntate, quod in ſchola Auguſtini ſignificat indifferentiam, & per hoc poteſtatem ad oppoſitum, ſeu gratiam ſufficientem ad non peccandum: ſic enim libro de fide ad Petrum c. 21 definit peccatum dicens: illud eſſe malum, quo *voluntarie creatura deficit* à ſummo bono creatore ſuo. Ubi nota: creatura: ſimpliciter, & abſolutè, ut per hoc intelligas, quod hoc pertinet ad omnes, & ſingulos, prout probavimus ex Auguſtino in probat. 15. initio: ita ut nulla creatura peccet, ſcilicet rationalis, & capax peccati, niſi voluntarie id eſt indifferenter & cum poteſtate ad oppoſitum & per hoc cum gratia ſufficiente ad non peccandum, & per hoc ad non pereundum, cùm nemo pereat niſi per peccatum. Ubi etiam nota, quod definitur peccatum: & per conſequens quod id debet reperiri in quocumque ſingulari peccato, & per hoc in omnibus, & ſingulis peccantibus: & ſic quod nemo peccat niſi voluntariè, & per conſequens quod nemo damnatur niſi voluntarie, quod omnino ſupponit in quolibet gratiam vere ſufficientem ad ſalutem. Et libro 1. de prædeſt. ad Monimum cap. 19. dicit: peccatorem *propria voluntate* cadere, in perditione peccati dimiſſum. Et cap. 26. verſus finem ait: hominem non habere niſi *peccatum ſpontaneum*. Et paulo poſt dicit: *voluntariam* ejus eſſe iniquitatem. Et cap. 27. circa initium dicit: quod homo *ex voluntate ſua* male concupiſcendo incipit peccatum, & male operando perficit. Et ſub finem: quod *propria voluntate* facit peccatum. Ubi non eſt imaginanda talis ſolùm indifferentia, quæ ex multis peccatis unum poteſt eligere præ alio: nam cùm ibi excuſet fulgentius voluntatem divinam, ut non concurrentem ad peccata hominum: non per hoc ſatis eam excuſaret, ſi ſolùm per hæc vellet dicere, quod dat nobis facultatem eligendi unum ex multis peccatis cùm ſaltem hinc haberetur, quod concurreret, & impelleret ad peccatum in genere; quod ſemper eſſet inhoneſtum, & injurium Deo, & per hoc intolerabile. Ex quo manifeſtum eſt, quod

Omnes iſtos terminos: voluntarie & voluntarium, ſponte & ſpontaneū, & propria voluntate late explicuimus de indiffrerētia reſidente in volūtate, voluntarie & ſpōtaneè agente tract. de indifferenti &c. in 2 illius parte.

talem ibi non intelligit Augustinus indifferentiam, sed istam aliam, qua possit homo peccare & non peccare, ut sic totum tribuatur ei, & nihil Deo, quod supponit gratiam sufficientem omnibus, & singulis peccantibus datam, ad hoc ut non peccent, si nolint, & sic salventur, & ut si nolint tota culpa eorum sit. 2. Dicit quod peccatum hominis est permissivè tantum à Deo: & quod homo peccans deserit Deum priusquam à Deo deseratur: ergo per hoc clarum est, quod habuit gratiam sufficientem ad non peccandum, quandoquidem si eam non habuisset, jam desertus à Deo fuisset, & non solùm permissus peccare, sed etiam in peccatum à Deo præcipitatus, cùm ab eo fuisset privatus omni prorsus auxilio sibi ad non peccandum necessario, & in tali statu positus ut non posset non peccare: quæ cùm neget Fulgentius, ideo dicendum est secundum eum, quod omnis peccans habet gratiam sufficientem ad non peccandum, & per hoc ad operandam suam salutem. Porro quod dixerit Fulgentius hominem prius deserere Deum, quam Deus eum deserat, & Deum se habere tantum permissivè ad peccatum hominis: patet ex prædicto libro ad Monimum cap. 13. ante medium ubi ait: quod justè Deus hominem peccare permittit, & quod justè *deseritur à Deo, qui deserit Deum*, & quia homo *deserens Deum peccat*, deserens (consequenter) peccatorem Deus, justitiam servat. Quod & mox confirmat, referens peccatum ad propri m hominis affectionem, & ex parte Dei ad meram ejus permissionem, quod certè verum non esset, si omni gratia, peccator dispoliatus fuisset; quis enim dicat provisorem mere permittere mala quæ facile potest impedire, subministrando suis subditis sufficientem ad id potentiam, & non vult: V. G. quis non dicat quod cùm tempore famis vehementis non vult rex, aut caput reipublicæ subministrare naves, & alia necessaria ad transvehenda ex aliis regionibus frumenta, ut posset facile, quis inquam non dicat istum provisorem esse veram causam, & non solùm permissivam mortis pauperum, & egenorum, qui non habent satis pecuniæ ad emendum panem sibi necessarium ob nimiam caritatem: sine dubio non est ista permissio, sed vera occisio. Vnde si Deus non daret gratias sufficientes peccantibus hominibus, non diceretur eorum peccata solùm permittere, sed vere efficere, si tamen vera peccata dici possunt, ea quæ absoluta, & inevitabili necessitate fiunt, qualia tunc peccata illa essent. Neque vero recurrit Fulgentius ad peccatum orig. sicut quidam, ut per illud excuset ibi Deum à tali crudelitate, & injustitia sed tantum ad inclinationem hominis perversam, quæ vult peccare: & ad Dei patientiam, quæ vult istud permittere, cùm impedire posset, si vellet, dicens consequenter. *Quid* autem *magis justum* quam ut ille qui *desiderio peccandi jam peccat*, pro eo quod *desiderans peccare*, ipse sibi noxius efficitur, semetipsum peccato suo lędere *permittatur*. Vbi vides ex parte peccatoris solum allegari affectionem ejus in peccatum & non ipsum pecc. orig. & ex parte Dei solam permissionem, quæ sane supponit in peccatore potentiam

ad oppositum, & per hoc gratiam sufficientem ad non peccandum & ad consequendam suam salutem. 3. Dicit lib. 2. de veritate prædestin. & gr. quod dum præcipitur nobis aliquid, ostenditur *quid habere debeamus* (ergo supponit in nobis potentiam ad præceptum exequendum sed audi quomodo) sed quia id ex nobis habere non possumus, *admonemur, ut* à quo nobis datur præceptum, *ab ipso petamus auxilium.* Ergo Fulgentius supponit in nobis potentiam ad orandum, & ad impetrandum auxilium necessarium ad observandum præceptum, & per hoc ad obtinendum regnum æternum. Id autem habet in prioribus supracitati libri partibus. 4. Dicit in supracitato libro 1. ad Monimum cap. 28. quod peccatores in causa sunt cur non adjuventur à Deo, quod intellige quoad gratiam proximam: non enim expectat Deus aliquam dispositionem ex parte nostra, ut habeamus simpliciter gratiam, seu ut habeamus gratiam primam, quod esset Pelagianum, sed data gratia aliqua, V. G. remota, expectat aliquid ex nobis, ut det nobis proximam: unde supra vidimus, Augustinum per prædictum verbum adjuvare, quo utitur ibi Fulgentius intelligere gratiam proximam quandoquidem tales non adjutos hortatur ut orent, & quærant, & pulsent ad Deum quod non faceret, si non haberent gratiam orandi, & quęrendi, ut haberent illam proximam. Ergo secundum Fulgentium, ut & secundum Augustinum infra referendum in testimonio Fulgentij, isti non adjuti habent gratiam orandi, & quærendi tale proximum adjutorium, ut faciant bonum, & ut præcepta impleant. Vnde quando dicit Fulgentius: quod peccatores in causa sunt, cur non adjuventur, clarè indicat quod ipsi habent gratiam orandi, & quęrendi, sed ea uti nolunt, ut possent: & ideo manifestum est, quod non carent omni gratia, sed solùm proxima, quam etiam ipsi haberent, si eam quærere vellent. Quod satis indicat eos habere gratiam sufficientem ad salutem æternam. Sic autem declarat Fulgentius, istos non adjutos esse in causa, cur non adjuventur: dicens in prædicto capite initio: quod homines peccantes, *ut non adjuventur à Deo, in ipsis causa est, non in Deo.* Quod & repetit sub finem ejusdem capitis, idque, ut traditum ab ipsomet Augustino, dicens. In istis S Augustini dictis attende mi charissime: primùm, *ut non homines adjuventur à Deo, in ipsis causa esse dicitur, non in Deo.* 5. Denique dicit eodem libro c. 19. initium peccati & perditionis nostræ, esse ex nobis & non ex Deo: quod sane non diceret, si careremus omni gratia sufficiente ad non peccandum, & ad obtinendum regnum æternum. *Peccare*, inquit, *in hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit* (ergo discessus ejus à Deo, est initium peccati, non vero discessus Dei ab eo per omnis gratiæ sufficientis subtractionem) scriptum est enim: quia initium superbiæ apostatare à Deo: & alio loco: ecce omnes qui se elongant à te peribunt (quod sine dubio dicitur de homine lapso) perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Isti ergo qui se elongant & fornicantur à Deo, utique peccando pereunt per suam malam voluntatem (non ergo per necessitatem: unde &

addit) quæ non eſt ex DEO. Quod omnino falſum eſſet ; ſi omnem gratiam ad non peccandum , & ad non pereundum , neceſſariam ſubtraxiſſet : unde & paulo poſt addit : & quia *huic malo auctor non eſt Deus, ſed homo perverſus* (quid clarius) digne itaque homini *qui ſe perdidit* (non DEus eum per ſubtractionem gratiæ illi neceſſariæ) redditur in tormentis æterna perditio , ut *pereat* quidem *qui perire voluit* : (ergo iſta peritio eſt voluntaria , non neceſſaria peccatori , qualis tamen prorſus eſſet , ſi omni gratia ſibi neceſſaria ad non peccandum , & ad non pereundum , caruiſſet) non tamen ſic pereat , quemadmodum voluit. Scilicet ſemper fruendo delectatione peccati , ut cuperet , ſed patiendo pœnam æternam , ut explicat ibi Fulgentius. Et ſic patet ex Fulgentio , ſicut & ex Proſpero neminem prorſus carere gratia ſibi neceſſaria , & ſibi ſufficiente ad conſequendam ſuam ſalutem , ſed unumquemque ſe perdere , & perire per voluntatem ſuam perverſam , quæ negligit iſtam gratiam.

§. II.

Proponuntur teſtimonia Oroſij Auguſtini diſcipuli : ubi & obiter oſtenditur ex Auguſtino , quod poſſumus vincere omnes tentationes noſtras , tam collective , quam diſtributive ſumptas.

HIs addamus & Oroſium Auguſtini amicum , & diſcipulum , qui in Apologetico de libertate arbitrij contra Pelagium , ubi & vocat Auguſtinum Patrem ſuum , ſcilicet ſpiritualem : ſatis clare indicat gratiam ſufficientem datam eſſe omnibus , & ſingulis hominibus , primò his verbis col. 11. habitis : mea ſemper hæc eſt fidelis , atque indubitata ſententia , *Deum adjutorium ſuum* , non ſolùm in corpore ſuo , quod eſt Eccleſia , cui ſpecialia (id eſt majora , ut infra videbimus) ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur : *verum etiam univerſis in hoc mundo gentibus* , propter longanimem ſui , æternamque clementiam , *ſubminiſtrare*, non ut tu aſſeris (loquitur Pelagio) cum diſcipulo tuo Cœleſtio .... In ſolo naturali bono , & in lib. arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contributam : ſed *ſpeciatim* , quotidie , per tempora , per dies , per momenta , per atomas , *cunctis , & ſingulis miniſtrare* (ubi vides , exerte eum dicere , quod non ſolùm cunctis , ſed etiam ſingulis , hæc gratia ſubminiſtratur à DEO : unde & mox comparat iſtam gratiæ ſubminiſtrationem lumini ſolis , quod ſine dubio DEus cunctis , & ſingulis adminiſtrat , dicens) dicit enim ſcriptura : qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos , & malos : ſine dubio omnes , & ſingulos. Et paulo poſt : quantum , inquit , de DEi adjutorio gaudeam , per id metire , quod *miniſtrari per ſingula , etiam gentibus probo* : & adhuc paulo poſt : at vero , ut *adeſſe adjutorium Dei , & per ſingula , & per ſingulos*

Hic liber habetur in Bibliotheca Patrum impreſſa pariſiis apud ægidiũ morellum anno 1644. tomo 15. pag. 800.

manifestius probem, &c. quod postquam sigillatim probavit in paganis, & Christianis, sic concludit: col. 16. ex quo evidentissime declaratum est, *nemini hominum deesse Dei adjutorium*, presertim cùm & seductor insistat, & insit infirmitas. Ubi & nota rationem, quę convenit omnibus, & singulis hominibus, scilicet: quia diabolus seductor instat, & quia inest infirmitas; in quo enim ista non reperiuntur: ergò & in omnibus, & singulis reperitur adjutorium Dei ad vincendam quamlibet tentationem ingruentem. Et col. 18 sic redarguit Pelagium dicens: *exprobras Ecclesiæ Catholicæ*, cujus nos viscera sumus, *quod quasi dicere desperando videatur, quod Deus author hominis, imposuerit homini, quod ferre non possit* (ecce negat Deum impossibilia pręcepisse, & per hoc asserit unicuique gratiam sufficientem dedisse ad implenda præcepta, & ad facienda omnia quæ necessaria sunt ad salutem: sed audi quomodo positive asserit Deum omnia possibilia præcepisse, & per hoc ad ea implenda gratiam sufficientem unicuique dedisse) cujus tamen (scilicet Ecclesiæ Catholicæ) fidelissima est, & ore, & humilitate professio: *Deum*, & primò *omnia possibilia præcepisse*, & nemine tamen *possibilia* complente, propterquod, subditus sit omnis mundus Deo, postea pondus præcepti substituta gratiæ indulgentia sublevasse. Ubi vides eum asserere positive, quod Deus omnia possibilia præcepit, & per hoc sufficientem ad hæc implenda gratiam subministravit. Quod si verum esset, quod aiunt adversarij, scilicet quod infideles, qui nihil audierunt de Evangelio, & indurati Hæretici, & Catholici (qui sane faciunt majorem partem orbis terrarum) non haberent gratiam sufficientem ad implenda præcepta; numquid falsum dixisset Orosius dicendò: quod Deus omnia possibilia præceperit, cùm major pars (à qua debet saltem sumi denominatio) eorum, qui subduntur illis præceptis, non posset ea implere. Cùm autem addit: quod nemo possibilia implet, clare ostendit etiam non implentibus ea esse possibilia, sed eos nolle ea implere, illum defectum non attribuens gratiæ, quomodo quidam ex Scholasticis, cùm dicunt præcepta esse possibilia distributive, non vero collective: id est nullam tentationem in singulari, homini accidere, quam non possit vincere, non tamen posse omnes vincere, quæ eveniunt ei. Quod non solùm contrarium est gratię sufficienti ut sic (quandoquidem hęc non sufficit ad omnes tentationes omnino superandas, cùm non obstante illius adjutorio, tandem aliquando cadendum sit, & id non ex mera voluntate hominis, sed ex infirmitate gratiæ, quæ tantùm habet sufficientem proportionem ad quamlibet sigillatim, seu distributive, tentationem superandam, non autem ad omnes collective) sed etiam omnino est contrarium menti Augustini, & discipulorum ejus, qui semper putarunt omnes tentationes, & collective, & distributive sumptas, posse vinci ab homine, sed hominem nolle eas vincere & seipsum in hoc negligere. Quod quia magni momenti est pro consolatione animarum, ideo id obiter volo probare ex Augustino, cujus sensum hîc propo-

nam pro sensu etiam omnium suorum : sic enim ait libro 1. de peccat. mer. cap. ult. fit ut per ignorantiam, vel infirmitatem, *non exertis adversus concupiscentiam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita nonnulla cedamus.* Ubi vides nullam prorsus afferri impotentiam voluntatis, ut causam peccati (qualis certe posset afferri, si non posset collective vincere omnes tentationes suas) sed meram hominis voluntatem, nolentem uti omnibus viribus suis, seu ut ait nolentem exerere omnes vires suas ad vincendas omnes tentationes suas, ut posset : unde fit ut aliquando cadat, & peccet. Et libro 2. cap. 3. id referens dictum à Pelagio : si nolumus non peccamus, & non præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati. Per quod intelligebat Pelagius nullam omnino esse impotentiam in voluntate nostra, sive collectivam, sine distributivam ad vincendas omnes tentationes suas, cùm putaret nostram voluntatem esse æque-fortem, & validam, ac voluntatem Adami : sine ulla dubitatione id approbat Augustinus dicens : quasi nostrum hoc ullus ignoret. Et explicans postmodum cur aliquando peccamus, non obstante hoc, quod pendeat à nostra voluntate, ut non peccemus. Nequaquam id refert ad quandam impossibilitatem collectivam, ut adversarij, sed ad meram nostram negligentiam, quia nempe, nolumus omnem adhibere conatum, quem possemus, dicens. Sed hoc non vident (Pelagius, & sui) quod *ad nonnulla* (non dicit ad omnia collective, & universim sumpta, sed ad aliqua singularia) vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, *magnis aliquando, & totis viribus opus esse voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibituros prævidit* (ubi non dicit nos adhibere non posse, sed nos adhibituros non esse, quod est, adhibere nolle; & proinde se negligere) qui per Prophetam veridice dici voluit : non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. At, quare dicit hîc, quod non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens : nisi quia cùm nemo hîc ullam possit prætexere cujuscumque impossibilitatis, sive collectivæ, sive distributivæ causam, tunc omnino confiteri homo cogitur, se bene agere potuisse, sed noluisse, nec omnes ad id conatus suos adhibuisse, ut poterat sed omnino se neglexisse. Unde libro de nat. & gr. cap. 13. adhuc approbat Augustinus istud dictum à Pelagio : quod scilicet *negligentiæ hominis imputari debet, quod non est sine peccato.* Per hoc ostendens, quod nulla ibi reperitur cujuscumque generis impossibilitas, sive distributiva, sive collectiva, sed mera negligentia, merus gratiæ contemptus, mera benefaciendi, & peccatum vitandi noluntas. Vnde ibi tantum postulat, ut homo talem petat gratiam, quâ actu vincat talem negligentiam, id est ut petat gratiam efficacem : & ut cum peccatum vitarit, justitiamque acquisierit, non id suæ tribuat diligentiæ, quasi suis solis viribus partæ, sed ut per gratiam adjutæ, ut patet ex his verbis : sed dignetur inde orare Deum, ne illi hæc iniqua negligentia *dominetur.* Quem rogabat quidam quando dicebat : itinera mea *dirige* (per gratiam tuam) secundum verbum tuum, &

non

non *dominetur* mihi omnis iniquitas. Ne dum *suæ diligentiæ*, *quasi propriis viribus fidit* (negando gratiam sibi necessariam) neque hîc *ad veram iustitiam*, neque illic, ubi sine dubio perfecta desideranda est, & speranda perveniat. Itaque putabat Augustinus, sicut & Pelagius, nos absolute posse esse sine peccato, & solùm negligentiæ nostræ, non vero ulli cuicumque veræ impotentiæ imputari debere, quod non sumus sine illo, sed volebat Augustinus ad id præsupponi gratiam, in voluntate necessariam, quod negabat Pelagius. In quo totum erat dissidium partis Pelagianæ, & Augustinianæ, seu quod idem est, Catholicæ, ut & infra clare explicat Augustinus cap. 17. ubi cùm sermo esset de impossibilitate non peccandi, negat de illa ullam sibi esse controversiam cum Pelagio (quia nempe illam utrique negabant absolute, & sine distinctione) sed tantum dicit esse quæstionem de causa, & principio possibilitatis non peccandi: an esset gratia an vero mera natura: *non*, inquit, *ibi est quæstio quæ versatur* (scilicet de impossibilitate ipsa, de qua paulò ante locutus fuerat) *illud est quod expecto* ab isto (scilicet Pelagio) audire si possim; eos qui secundum spiritum vivunt (id est qui bene vivunt) & ob hoc etiam hîc adhuc viventes jam quodammodo in carne non sunt; *utrum gratia Dei vivant secundum spiritum*; *an sibi sufficiant jam data cum creantur possibilitate naturæ* & sua propria voluntate: cùm plenitudo legis non sit nisi charitas (id est gratia) & charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris. *Non per nos ipsos* (ut putabat Pelagius, volens istam possibilitatem nos habere à nobismetipsis & non à Deo) sed per spiritum sanctum (id est per gratiam Dei, quam solet Augustinus exprimere hoc nomine) qui datus est nobis. Quod & deinde late prosequitur, nihil aliud ibi inculcans contra istum hæreticum, nisi gratiam esse causam necessariam possibilitatis non peccandi, non autem ad id sufficere meras vires humanas, ut volebat iste hæreticus. Et cap. 43. sub finem: jam nunc inquit videamus *unde possit*, *unde non possit* (esse sine peccato) iste (scilicet Pelagius) dicit: voluntate non est, quòd natura potest. Ego dico voluntate quidem non est homo justus, si natura potest: sed *medicina poterit*, *quod vitio non potest*. Et brevius cap. 59. sub initium: hoc (scilicet esse sine peccato) *unde sit possibile confiteatur*, *& pax est*, Ipsa enim est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua omnino iste nos orantes adjuvari, ut non peccemus, nusquam dicere voluit. Ubi vides, solùm quęstionem fuisse de causa possibilitatis non peccandi, quam scilicet volebat Augustinus esse gratiam divinam, non autem meram naturam, ut volebat Pelagius. Nullam vero quęstionem fuisse de modo possibilitatis istius cum nihil ibi distinguat Augustinus de illa possibilitate; an collectiva, an solùm distributiva sit.

§. III.

Prosecutio ejusdem materiæ, & in fine testimonia Primatij Augustini discipuli.

MIrum sanè esset, quod cum tam subtilis Doctor toties ibi, & alibi affirmet hominem lapsum posse esse sine peccato gratia juvante divina (non sane extraordinaria, ut volunt adversarij, cùm de ea non disputaret Augustinus cum Pelagio, sed de gratia solùm quotidiana, & ordinaria) numquam tamen meminerit præclaræ istius distinctionis, nempe quod id possumus distributive, non vero collective, quod maxime dicendum, & distinguendum erat, si tantum possemus distributive, & non etiam collective: quia si non possemus id collective, non rectè tribueretur nostræ negligentiæ, ut tribui volebat Augustinus, quod non sumus sine peccato, sed insufficientiæ ipsius gratiæ, quæ quidem habebat sufficientem proportionem ad vincendam quamlibet sigillatim tentationem, non vero habebat ad superandas omnes illas collective, quandoquidem non obstante ejus adjutorio tandem aliquando cadendum esset, idque non ex voluntate mera hominis, sed ex infirmitate gratiæ, ad hoc genus collectivum possibilitatis non proportionatæ, quod absit ab tanto doctore, ut tam miseram, & tam debilem Christi gratiam, contra Pelagianos, & Semipelagianos prædicaverit: cùm è contra tam fortem, & vegetam semper eam esse voluerit, ut de ejus infirmitate numquam hominem juste conqueri posse ipse permiserit. Unde est quod damnat istam propositionem lib. de dono persev. cap. 22. cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini; *ideo* nondum surrexistis, *quia* necdum vos adjutorium gratiæ miserantis erexit. Quare enim damnat istam propositionem: nisi quia videbatur peccator in ea causari gratiam quod ipse nondum surrexisset, cùm è contra seipsum solum causari debuisset, quod nondum ipse surrexisset, cùm id posset, si voluisset. Unde & mox addit: cum bene & convenienter dici possit, & *debeat*: si qui autem in peccatorum damnabilium delectatione remoramini: *apprehendite saluberrimam disciplinam.* Ubi manifestissime ostendit numquam ex ulla parte vires gratiæ deficere homini etiam non bene agenti cùm hîc hortetur talem hominē, ut apprehendat justitiā, tanquam eipossibilē, & per hoc neque collective, neque distributive rectè, dici posse, aut debere: hominem non posse omnes tentationes vincere cum gratiis ordinariis, quasi ordinariæ non sufficerent: sed potius dici debere, quod cum illis gratiis homo potest esse sine peccato *si voluntas ejus non desit*: ut ait libro de sp. & litt. cap. 1. & 35. Non longe ab initio: & quod, ut non adjuvetur ab istis gratiis, causa est in ejus voluntate (quæ scilicet non vult cooperari) & non in Deo: Ut dicit lib. 2. de peccat. mer. cap. 17. sub initium. Et sane num-

quam permisisset Pelagius sibi talem tantummodo possibilitatem concedi, quæ posset tantum distributive, & non etiam collective tentationes omnes vincere, & præcepta observare quod maximam suæ amplissimæ libertati, atque indifferentiæ detrimentum intulisset: nec etiam Augustinus eam sive ulla distinctione, & restrictione ei concessisset, si putasset eam esse restringendam, & limitandam ad posse solum distributive, & non esse extendendam ad posse etiam collective, & omnimode, cùm probe nosset Augustinus Pelagium eam postulare amplissimam, & indistinctissimam, & non minorem sane quam Adami, cujus vires fortissimas, atque robustissimas volebat Pelagius hominem lapsum æquare & æmulari. Unde cùm explicans Pelagius libro de nat. & grat. cap. 58. istum textum Jacobi 4. resistite diabolo & fugiet à vobis: dixisset: animadvertendum est, quid possit nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, *qui solis prævalere non resistentibus potest.* Sic Respondet Augustinus hæc verba mea sunt: verius enim dici non potest. Ubi clare vides admitti ipsam possibilitatem Pelagii absolute, & simpliciter, & sine ulla prorsus distinctione. Imo & quod efficacius est, ibidem explicans in quibus circunstantiis sua ista possibilitas differebat à Pelagiana, nihil prorsus habet de illa distinctione, quam adferunt Scholastici, de posse distributive, aut collective, sed totam & totaliter suam differentiam ponit in eo quod ipse Augustinus volebat istam possibil. esse à Deo, seu à gratia ejus, Pelagius autem volebat esse solùm ab homine, seu à mera natura dicens: sed hoc interest inter nos, & istos, quod *nos*, etiam cùm diabolo resistitur, *poscendum Dei adjutorium*, non solum non negamus (ut Pelagius) sed etiam prædicamus: isti autem tantam tribuunt potestatem voluntati, ut pietati auferant orationem. Id est dependentiam à Deo, ut habeatur adjutorium sibi necessarium ad vincendam omnem tentationem Ecce totam & totaliter quam affert Augustinus differentiam inter possibilitatem Pelagianam & suam.

Unde concludendum est, Augustinum numquam voluisse restringere possibilitatem hominis lapsi ad posse solum vincere sigillatim, & distributive omnes tentationes occurrentes, & non extendere eam ad vincendas illas simul, & collective: sed dicendum est, illam voluisse esse prorsus illimitatam, & indistinctam, sicut ipse Pelagius: modò esset à gratia, & non à mera natura, ut volebat Pelagius: & modo concederetur quod licet id posset homo omnimode, non tamen id præstaret effective, non ex defectu gratiæ, sed ex defectu voluntatis humanæ, quæ non satis cooperari vellet gratiæ datæ, nec omnes vires suas adhibere vellet, ut opus esset, prout ipse Augustinus satis in præcedentibus declaravit. Et hæc est, ut opinor, vera Augustini sententia de possibilitate non peccandi, & per consequens omnium discipulorum ejus, & proinde etiam Orosij, cujus occasione hæc disseruimus. Nunc redeundum ad ipsum est, à quo sic non inani-

ter, & non sine gravi ratione digressi sumus, cùm id necessarium esset ad explicandam ejus, & magistri ejus rectam, & veram non peccandi possibilitatem. Sub finem autem tractatus, sic ait Orosius ad propositum nostrum, quod est sufficientis gratiæ, omnibus, & singulis datæ. Habeo infirmitatem, & gaudeo in cognitione infirmitatis meæ. Cùm enim infirmor, tunc potens sum. Potentem invocando Deum, qui me exaudit infirmum, qui nobis fidelissime repromisit: ego autem vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. *Peculiare opus infirmitatis est in omni loco semper orare* (quæ est gratia communis, & numquam deficiens in homine, unde & innuit eam *semper* esse in homine) ut omnipotens Deus, qui spopondit non deserere, adjuvare non cesset. Ergo illa gratia numquam deest homini, sed semper parata est ei, ut semper detur ei, si velit eam petere: & tandem arguens Pelagium, qui sibi vires illas sufficientes attribuebat, & non adjutorio divino, ut volebat Augustinus, sic ait: non enim palmes, sed vitis potest (scilicet ut à qua virtus est, palmes enim etiam potest, ut in quo virtus ipsa recepta est, sed non ut à qua primitus virtus ipsa agendi est, de qua origine formaliter disputabatur ab Augustino, & discipulis ejus contra Pelagium, & Pelagianos, ut paulo supra vidimus ex Augustino: & ideo loquitur hîc de illa Orosius, volens cum Augustino, ut Pelagius confiteretur, illam esse à Deo, & non ab homine, ut ipse contendebat: unde & prosequitur dicens) & quod vitis potest (ex seipsa & tanquam ex origine). palmes ostendit (cùm sit receptaculum virtutis ejus) sufficit ergo *unicuique* ut habeat (per hoc indicans quod unusquisque, seu omnis singulus, habet gratiam sufficientem, seu potestatem sufficientem, & adæquatam operi, sed non à seipso, ut volebat Pelagius, sed à solo Deo, ut volebant Augustinus, & discipuli ejus, unde & addit) at vero unde, & ubi habeat, & humiliter agnoscat, & patienter expetat. Hæc ibi Orosius, quę sunt valde efficacia pro gratia sufficiente ût data unicuique.

In disput. de prædest. ad gl 1. parte sect. 4. § 3 puncto 1. sub finem.

Tandem addendus est Primasius Augustini, ut alibi dixi discipulus, qui in hæc verba Apostoli 1. ad Timotheum 2. Deus vult omnes homines salvos fieri: sic ait: unus Deus, & Pater, & Filius, & Sp. sanctus, *omnium hominum Deus est, & ideo* (nota istam consequentiam) *cupit omnes salvari quos fecit.* Ergo sicut fecit omnes, & singulos ita, & vult omnes, & singulos salvari nemine excepto. Ubi & notandum est illud verbum *cupit.* Quod non dicit quamlibet voluntatem, sed affectuosam, & desiderantem vere aliquid, propter quod debet dare media, saltem sufficientia ad hunc finem. Et in hæc paulo post sequentia verba. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Sic ait: *pro omnibus* quidem effusus est sanguis Christi, sed credentibus prodest, incredulis autem erit in condemnationem. Ubi nota hanc adæquatam omnium divisionem: credentibus prodest, scilicet per gratiam efficacem, infidelibus non prodest ob gratiam factam inefficacem, seu

ob resistentiam arbitrij: quare enim dicit quod mors Christi erit in istorum incredulorum condemnationem, nisi quia eis meruit sufficientes gratias, quas suo tempore receperunt, sed eis restiterunt, & ideo sanguinis Christi pro eis effusi, & eorum culpà eis inutilis, rei facti sunt, & digni æternæ damnationis. Denique in hæc verba ejusdem Apostoli 2. ad Cor. 5. & pro omnibus Christus mortuus est: sic ait: solus inventus est, qui, *ut immaculata hostia, pro omnibus moreretur, pro eis qui erant mortui in peccatis.* Atqui omnes, & singuli mortui sunt in peccatis, ergo pro omnibus, & singulis mortuus est Christus: pro quibusdam quidem efficaciter, pro aliis sufficienter; ut satis vidimus in præcedenti ejus testimonio. Et sic finiunt omnes probationes ex Augustino & ex discipulis ejus.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

Solvuntur objectiones contra præcedentem doctrinam factæ. Et primò eæ quæ fieri communiter solent.

§. PRIMUS.

Prima objectio sumpta ex desertione, & altera sumpta ex apparenti omnis vocationis negatione, proponuntur, & solvuntur.

PRimò ergo objicitur: quod multis in locis dicit Augustinus: Deum neminem deserere, nisi prius ab homine deseratur. Ex quo videtur sequi, quod Deus deserit, & destituit aliquos omni auxilio sufficienti ad salutem, qui eum prius deseruerunt per peccata præcedentia.

Respondeo neg. conseq. hæc enim desertio non est quoad gratiam sufficientem, sed sæpissime tantum quoad efficacem, & est communis Augustini doctrina, asserentis Deum nemini negare gratiam efficacem, quod est uno modo deserere secundum Augustinum, nisi ob præcedentia sua peccata: unde negationem istam, seu indurationem, & desertionem, quæ sunt synonima apud Augustinum, tribuit communiter Augustinus judicio, pœnæ, supplicio, ut late ostendimus in disputatione nostra de prædest. ad gl. quia numquam negat gratiam istam nisi peccata præcesserint. Vnde explicans Augustinus causam, & effectum istius desertionis libro de natura, & gratia capite vigesimo tertio, non dat ei pro effectu negationem potentiæ abstinendi à peccato, sed tantum negationem actus, quod solùm indicat negationem gratiæ efficacis, non vero etiam sufficientis. Nam cùm diceret ibi Pelagius *Deum ad peccata non cogere* (id est non neces-

2. parte sect. 3. §. 2. puncto 7.

ſitare, quomodo explicat ipſe Janſenius lib. 2. de hær. Pelag. cap. 1. coactionem Pelagianam, & nos in tract. de indifferenti, &c. parte 2. argum. 64.) ſed dignos deſeri (propter ſcilicet peccata ſua præcedentia) tantum deſerere. Sic reſpondet Auguſtinus: *ſi hoc dicit, veriſſime dicit* Ergo ſecundum Auguſtinum deſertio non neceſſitat ad peccandum, quandoquidem fatetur, Deum non neceſsitare ad peccata per deſertionem: at ſi tolleret gratiam ſufficientem omnino neceſsitaret: ergo per deſertionem numquam ſubtrahit omnem gratiam ſufficientem, ſed aliquando ſolam efficacem: quod & mox indicat expreſſius dicens: deſerti quippe, ut dixi, luce juſtitiæ, & per hoc contenebrati, quid pariant (non dicit quid poſſunt parere: re vera enim poſſunt parere bona opera, cùm habeant gratiam ſufficientem ſaltem ad orandum, & ſupplicandum, ut clare indicat in præcedente capite 22. & ſequente 30. quæ infra referemus: ſed quia non habent efficacem, ideo bene dicit, quid pariant) aliud, quam hæc omnia, quæ commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, *ſi dicto obaudiant* (quæ dubitatio maxime indicat, etiam in eo ſtatu indifferentiam eis relictam, ut obaudiant aut non obaudiant, ſi velint, & per hoc, eos habere gratiam ſufficientem ad obaudiendum, ſeu obediendum, ſi velint) ſurge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus. Qui ſunt omnes effectus gratiæ efficacis, & operantis bonum.

Poſſet etiam dici quod ſæpe etiam intelligit Auguſtinus per illam deſertionem ſolam ſubtractionem gratiæ juſtificantis quod probari poſſet per textus aliquos ipſiuſmet Auguſtini ut V. G. cum dicit Auguſtinus libro de nat. & gr. cap. mox citato 23. ad peccatum valet mors animæ *quam deſeruit vita ſua hoc eſt Deus, quæ neceſſe eſt mortua opera faciat, donec Chriſti gratia reviviſcat.* Quæ certe non poſſunt alite intelligi quam de ſubtractione gratiæ habitualis per quam ſolam Deus quaſi informat animam noſtram & facit eam vivere & viventia opera producere, quam cum ſubtrahit, & ſic deſerit animam hæc omnia non poteſt anima facere, ſed ut mortua nihil niſi mortuum, tunc poteſt facere. Item & cum dicit cap 26. quod cum Deus . . . *vivificat mortuum id eſt juſtificat impium* (quę eſt interpretatio ipſiuſmet Auguſtini) non deſerit (ſcilicet quoad illam gratiam ſanctificantem) ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur. Item & cùm dicit in Pſalm. 70. conc. 2. quod quomodo ſi anima deſerat, corpus moritur: ſic *anima moritur, ſi deſerat Deus.* Quod prorſus non poteſt intelligi niſi de gratia habituali ſeu juſtificante. Et ſic verum eſt quod alio etiam modo Deus nos deſerit ſine pręjudicio gratiæ ſufficientis cùm illa deſertio ſit tantum quoad gratiam habitualem ſeu ſanctificantem cum qua deſertione bene ſtat quod homo habeat gratiam ſufficientem ad petendam illam gratiam & omnia neceſſaria ad illam obtinendam V. G. vel contritionem, vel veram confeſſionem vel alia hujuſmodi neceſſaria & ſufficientia ad noſtram converſionem ſeu

justificationem. Verum tamen est quod per illam desertion em seu per gratiæ habitualis subtractionem non solùm illam gratiam amittimus sed etiam plurima auxilia singularia quæ cum illa nobis conceduntu r quia numquam illa gratia, sola conceditur sed multa etiam alia actua - lia cum ea donantur secundum Augustinum: ut late probavi in tract. de indiff. &c. & patet etiam ex aliquo loco quem modò allegavimus ubi ait Augustinus quod Deus cum justificat, non deserit nisi deseratur, *ut pie, semper, justeque vivatur* Ubi vides, quod Deus justificat impium, & dat ei gratiam habitualem, non tantum ad hoc, ut justus, & gratus sit, sed etiam ut pie, justeque vivatur. Quod certe sine aliquibus auxiliis, nec fit, nec fieri omnino potest. Et libro de corrept. & gr. cap. 7. circa init. loquens idem Augustinus homini justificato dicit ei: homo in eo quod audieras, & *tenueras*, perseverares si velles: quod cùm non possit omnino fieri sine gratiis actualibus, manifestum est, quod per hæc intelligit Augustinus illi gratiæ habituali acceptæ in justificatione, aliqua annexa esse auxilia singularia per quæ homo potest perseverare si velit. Sed cùm illa auxilia sint singularia, non hinc sequitur, quod his subtractis, subtracta sint etiam omnia alia, quæ nobis conceduntur à Deo sine prædicta gratia, ut est gratia orandi, pœnitendi, & similes gratiæ, quæ sunt via ad obtinendam prędictam gratiam habitualem, cum sibi adjunctis, & debitis peculiaribus auxiliis. Et sic patet 2. quod nos aliquando deserit Deus sine præjudicio gratię sufficientis, quando scilicet nos deserit per prædictam subtractionem gratiæ habitualis, & gratos nos Deo facientis, & per singularia quædam auxilia sibi annexa, nos ad bonum agendum adjuvantis. Quibus duobus modis faciendi desertionem, addo & tertium, quo sumpsit etiam illam desertionem Augustinus sine prę-jùdicio gratiæ sufficientis, scilicet quoad auxilia proxima, non vero quoad remota, quæ supponuntur sub illa: quod patet ex lib. de nat. & gr. cap 22. initio, ubi ait Augustinus loquens de Pelagio. Nec cogitat, pravaricatorem legis quam dignè lux *deserat* veritatis, qua *desertus* utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideo tantum audiat vocem legis quod *admonetur implorare gratiam salvatoris.* Ubi vides desertionem, sed tamen sub ea vides relictam gratiam ad orandum, seu gratiam remotam, qua implorare possit proximam salvatoris. Et cap. 30. loquens de eadem desertione sub nomine cæcitatis, dicit quod pro illo vitio *supplicandum est*, ut sanetur, non superbiendum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est. Vbi sub ista desertione supponit Augustinus relictam supplicandi potentiam, ad cujus usum nos hortatur, & dicit non esse superbiendum, ne contemnatur. Et sic patet triplex solutio ad objectionem suprafactam: elige quam volueris, quælibet enim earum firmum habet fundamentum in Augustino. Tam longe autem abfuit Augustinus à neganda omni gratia in desertione; ut ipsam desertionem admiserit in Adamo peccante, in

quo tamen semper suppofuit esse gratiam sufficientem. Vnde est quod in exposit. 2. Psalmi 29. circa medium illi attribuit hæc verba. Psalmistę : *avertisti faciem tuam à me*, & factus sum conturbatus.

Objicitur 2. quod aliquando dicit Augustinus aliquos non vocari à Deo : at sine vocatione Dei impossibile est credere, sperare, & diligere, ut oportet ad salutem : ergo illi privantur gratiis sufficientibus. Majorem probant ex libro de dono persev. cap. 9. circa initium ubi ait Augustinus : cur *ille non vocetur*, aut ita non vocetur : inscrutabilia sunt judicia Dei.

Respondeo ibi Augustinum non loqui de omni vocatione, sed de sola clara, & aperta vocatione, quæ fit per prædicationem Evangelij, de qua loquebantur Semipelagiani, contra quos iste liber conscriptus est, qui dicebant quod posita clara Evangelij prædicatione, poterat quilibet, qui eam audierat, credere pro libito sine gratia Dei in voluntate necessaria, quorum errorem confutat Augustinus isto, & præcedente libro, qui est de prædestinatione sanctorum, in quo specialiter disputat hanc quęstionem, quæ est de vocatione ad primam fidem, quam quæstionem sic proponit c. 6. * initio in persona Semipelagianorum sic loquentium. Multi *audiunt verbum veritatis* : sed alij credunt alij contradicunt. Volunt ergo isti credere (scilicet per merum lib. arbitrium) nolunt autem illi. Vbi vides eos proponere quæstionem sub hac suppositione, quod Evangelium Dei prędicaretur, seu quod verbum veritatis proponeretur, quæ est vocatio illa clara, & aperta de qua loquimur. Et eamdem facit suppositionem ipse Augustinus in eodem libro cap. 9. circa finem dicens. Vtrum *prædicato sibi Christo* à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi. Id est an supposita illa vocatione clara, & aperta, homines essent credituri ex seipsis, an vero ex addita in voluntate gratia. Vbi vides illum supponere illam vocationem claram, & apertam ad quæstionem suam, sicut & Semipelagianos sed & in ipso capite 9. libri de dono perseverantię, è quo sumptus est locus objectus, eamdem facit suppositionem, loquens de eo quod futurum esset si Tyrij, & Sidonij ita vocati essent scilicet per prędictam prędicationem claram Evangelij, & per miracula Christi, quod etiam facit capitibus sequentibus, scilicet cap. 10. 11. & 14. unde non est mirum, quod cum loqueretur ibi cum Semipelagianis de ista vocatione clara, & aperta in suppositione illorum, de illa sola loqueretur, & non de alia, cùm dixit, quod ratio, cur aliqui non vocentur, scilicet prædicta clara, & aperta vocatione, referenda esset ad inscrutabilia Dei judicia. Nam quantum ad sensum suum peculiarem, & proprium, ipse tenuit aliam vocationem magis communem (prout infra videbimus, cùm loquemur de gratia infidelium) de qua non sunt prædicta Dei judicia inscrutabilia : cùm detur omnibus, & singulis hominibus. Vnde valde hallucinantur, qui illam vocationem, de qua loquitur supra Augustinus intelligunt de omni vocatione Dei circa homines, quasi non esset alia, cùm

sit

* Lib de prædest. sanct. c. 6.

Forte ideo loquebatur August in eadem prędicta suppositione : ut ostenderet Semipelagianis istis, contra quos ibi agebat, quod quãcumque clara & aperta facta esset vocatio ad primam fidẽ, non tamen sufficiebat ad movendum voluntatem ad credendum nisi præterea adderetur voluntati gratia qua excitaretur ad fidẽ quod nolebant admittere illi hæretici, putantes sufficere istam vocationẽ seu gratiam intellectus.

sit tantum intelligenda de illa singulari, & clara, quæ fit per prædicationem Evangelij, quam libenter fatemur non omnes habere, sed aliam, de qua infra loquemur, vere sufficientem ad salutem æternam.

Sed fortasse dices; cur non expressit Augustinus quod loquebatur specialiter de illa vocatione, & non de omni.

Respondeo id reliquisse colligendum ex subjecta materia, sicut in alio loco, ubi loquens de vocatione efficaci; dicit simpliciter eos non vocatos, qui non erant vocati ista vocatione, relinquens similiter id colligendum ex subjecta materia: quod aliquis rudis in lectione Augustini, cito explicasset de omni vocatione, cùm sit solum de ista, scilicet de efficaci, & non de omni alia, ut clare patet ex textu, sic enim ait in illo loco (scilicet libro de prædest. sanct. cap. 16. initio. Vocat enim Deus *prædestinatos* multos filios suos, *ut eos faciat membra prædestinati unici filij sui* (ecce vides eum loqui de vocatione efficaci, cùm pertineat ad prædestinatos: Vnde & sequitur) non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias (id est vocatione inefficaci, cum non habuerit effectum) illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est: & gentes quibus crucifixus stultitia est: sed *ea vocatione prædestinatos vocat*, quam distinxit Apostolus dicens: ipsis,. vocatis Judæis, & Græcis prædicare se Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam Sic enim ait: ipsis autem vocatis: ut illis ostenderet *non vocatos* (quod aliquis rudis, ut dixi, cito interpretaretur de negatione omnis vocationis, cùm luce clarius appareat ex subjecta materia, Augustinum loqui de negatione solius vocationis efficacis, & non alterius: unde isti negationi mox opponit, non vocationem simpliciter, sed vocationem efficacem, ut patet) sciens esse quamdam *certam vocationem* eorum, *qui secundum propositum vocati sunt*, quos præscivit, &c. *qua vocatione fit credens*. Quæ est gratia efficax. Vbi vides, eum loqui de vocatione efficaci, quasi de omni cum simpliciter dicat eos non vocatos, qui non vocati sunt illa vocatione, & tamen loquitur de sola efficaci. Ita & dicendum est in textu nostro, quod loquitur de vocatione clara, & aperta per prædicationem Evangelij, quasi de omni, licet loquatur de ista sola clara, & aperta, quæ fit per prædicationem Evangelij, de qua loquebantur Semipelagiani, cum quibus ibi disputabat. Quę omnia discernenda sunt ex subjecta, ut jam dixi, materia.

Vt autem abundantius videas, nulli umquam Augustinum voluisse negatam esse vocationem simpliciter, sed tantum certam, & singularem ut prædictam claram & apertam, aut efficacem, aut proximam, & non aliam, recole illa quæ diximus supra in argum. 10. & 11. ubi apparet apud eum ista vocatio ita universalis quoad omnes nemine excepto, ut non sine magna contradict. potuerit in loco objecto dicere contrarium. Sed discernenda est in allato loco subjecta materia, quæ erat de Semipelagianis, tantum agnoscentibus illam voca-

tionem, quæ fit per prædicationem Evangelij: unde de illa sola ibi loquitur Augustinus. Et hinc est quod D. Prospor. Fdelis Augustini Interpres, ac Discipulus, Respondens pro eo ad capitula Gallorum, qui erant Semipelagiani, in responsione ad hanc objectionem in ordine quartam, qua dicebatur, Augustinum asseruisse, quod non omnes vocentur ad gratiam: licet ibi videretur, sermonem esse de omni vocatione, respondet tamen de sola vocatione prędicta, quæ fit per prædicationem Evangelij, & non de alia: quia probe sciebat, ibi solùm sermonem esse de illa, & non de alia, cùm id objiceretur à Semipelagianis Augustino.

Denique dici posset, quod in loco supra objecto loquitur Augustinus de sola gratia proxima vocationis, quam forte ut simpliciter gratiam, ita & simpliciter vocationem suo more voluit appellari. Licet esset & alia remotior, quam infra explicabimus, cùm exponemus gratiam infidelium. Quia ut supra vidimus, solebat solam illam gratiam vocare gratiam, quæ erat proxime ad effectum ponendum, ita & forte voluit vocationem simpliciter illam vocari, quæ erat proxime ad credendum in Christum, qualis est prædicatio, seu annunciatio Evangelij, licet tamen ipse cognosceret & aliam remotam, quæ primò nos deduceret ad cognitionem unius Dei, & deinde ad orandum Deum ut nobis necessaria subministraret ad faciendam nostram salutem, scilicet fidem in Christum per prædicationem Evangelij, ut infra explicabimus.

Paulo infra citabitur locus ubi id agitur.

Sed dices: necessario ibi loquitur Augustinus de omni vocatione, quandoquidem mox opponit ei vocationem peculiarem, dicendo: aut non *ita* vocetur: ergo prius locutus est de omni vocatione, & non de illa sola peculiari, quæ fit per claram, & apertam verbi Dei prædicationem. Respondeo neg. consequ. quia ista comparatio, nón est inter vocationem generalem, & peculiarem ut sic, sed inter certam peculiarem, & aliam peculiariorem: inter scilicet peculiarem claram, & aliam claram peculiariorem, scilicet efficacem, quam ibimet paulo ante declaraverat dicens: cur autem iste *ita* vocetur, *ut vocantem sequatur*: quæ est gratia efficax, seu quę habet effectum: & ita, non negatur ibi omnis vocatio, sed tantum aliqua peculiaris, quæ est prædicta clara, de qua locuti sumus: vel aliqua peculiarior, quæ est gratia efficax, seu habens effectum: vel gratia proxima, non autem omnis remota, vel alia.

§. II.

In quo solvuntur tres sequentes objectiones : quarum prima est, quod aliqui habent gratias insufficientes, duæ cæteræ, quod habent nullas.

OBjicitur 3. quod libro 1. ad simplic. qu. 2. dicit aliquos ita vocatos esse, ut moveri non possent : ergo eorum vocatio fuit insufficiens. Respondeo 1. hoc intelligi posse de carentia solius gratiæ proximæ, & non remotæ, cùm sæpe neget absolute Augustinus aliquem posse, qui non habet illam gratiam, licet habeat remotam ut supra notavimus in probat. 4. post Augustini testimonia : & sic posset dici quod illi non fuerunt privati omni gratia sufficiente, sed tantum proxima, & non remota. Respondeo 2. & magis ad propositum, scilicet textum Augustini non habere id simpliciter, sed cum addito : sic enim habetur in textu : ad alios vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, *ut eam capere apti essent*, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi. Ista additio manifeste indicat ibi solum negari vocationem illam fuisse congruam, seu efficacem, non vero negari fuisse sufficientem. Ponit enim vocationem congruam, seu efficacem in illa aptitudine, seu dispositione voluntatis (quæ ibi negatur) ut patet ex sequentibus, ubi ait : quod eorum miseretur Deus (id est eos efficaciter vocat, nam infra dicit, quod nullius frustra miseretur) quos *ita* vocat, quomodo eis *aptum est*, ut sequantur. Non dicit, ut sequi possint, sed ut sequantur, quod indicat gratiam efficacem. Et paulo post : nullius, inquit, Deus frustra miseretur, cujus autem miseretur, *sic* eum vocat, *quomodo scit ei congruere* (seu aptum esse) *ut vocantem non respuat.* Non dicit, ut vocantem non possit respuere, sed actu non respuat, quod indicat solam gratiam efficacem. Et confirmatur, ex eo quod illi vocati, de quibus loquimur dicuntur fuisse non electi, non vero insufficientes ad electionem : ergo per illam vocationem non excludit sufficientiam, sed solum effectum, per electos enim ibi intelligit Augustinus congruè, seu efficaciter vocatos, ut patet ex his verbis, *illi enim electi, qui congruenter vocati.* Ergo illi vocati, de quibus hîc loquimur, solum negantur fuisse congrue, seu efficaciter vocati, non vero sufficienter : unde de iisdem paulo post loquens Augustinus, dicit eos non fuisse electos, *quia non secutos* : non dicit quia non potuerunt sequi, sed quia non sunt secuti ; quod indicat solam negationem gratiæ efficacis, & non sufficientis. Quod adhuc confirmari potest, ex hoc quod postea loquens de omnibus vocationum modis, nullam ponit insufficientem, sed solùm indicat efficacem, & inefficacem, ut patet ex his verbis, quæ faciunt quasi conclusionem omnium antecedentium. Cum ergo, inquit, alius sic, alius autem sic

moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat; *alio modo dicta non moveat* (nota quod non dicit non potest movere, sed quod non movet, quod solum arguit negationem gratiæ efficacis) aliumque moveat, *alium non moveat* (neque dicit ibi quod non potest movere) quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque Deo conjungeret in qua Jacob justificatus est. Ubi vides omnes vocationes describi, ut efficaces, aut inefficaces, nullas autem ut insufficientes, cùm nequidem ibi apponat verbum non posse, quod faciebat difficultatem. Manifestum ergo est Augustinum per prædicta verba non intellexisse vocationem insufficientem, sed inefficacem, ut patet ex prædicta additione, cùm non dicat simpliciter, quod non possent moveri illa vocatione, sed quod non possent moveri *ita ut apti essent eam capere*, id est ita ut consentire parati essent. Unde dicit quod vocati dici potuerunt, non vero electi: id est efficaciter vocati, ut supra explicuimus. Alij alias afferunt solutiones; aliqui dicunt, Augustinum per non posse, intelligere, difficile posse, ut sæpe scriptura dicit aliquid impossibile, quod est multum difficile. Alij dicunt non posse moveri, intelligi in sensu composito, id est præsupposita eorum mala voluntate, qui sensus compositus non rarus est apud Augustinum, ut videre est lib. 26. contra Faustum cap. 4. lib. contra Fortun. disput. 2. circa medium, tract. 53. in Joann. lib. 83. quæst. qu. 76. lib. 2. de serm. in monte cap. 19 & 24. & etiam alibi: vera tamen mihi videtur illa solutio quam dedimus ex circumstantiis loci supra notatis.

Objicitur 4. quod lib. de dono persev. c. 12. indicat August. Deum non dare gratiã aliquibus. Respondeo ibi August. non loqui de qualibet gratia sed de gratia perseverantiæ in singulari, de qua totus liber conscriptus est: ibi enim concludit ea omnia quæ de ista gratia prius differuerat, ut patet ex his illius verbis *Conficitur itaque* gratiam Dei (scilicet de qua prius locutus fuerat) non secundum merita accipientium dari, sed secundum placitum voluntatis ejus in laudem, & gloriam ipsius gratiæ ejus, ut qui gloriatur nullomodo in seipso, sed in Domino glorietur. Qui hominibus dat quibus vult, quoniam misericors est, quod etsi det justus est: & non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit, non omnibus dando, quid omnes mererentur, ostendit: bonus in beneficio certorum, justus *in supplicio cæterorum*, &c. quod sane indicat finem vitæ, in qua sola datur supplicium, aut præmium æternum: & per hoc manifestum est, solum ibi agi de gratia perseverantiæ, aut de negatione illius. Gratia autem illa perseverantiæ, de qua loquitur ibi Augustinus non est gratia mere sufficiens ad perseverandum, sed est gratia efficax, ut patet ex ejus definitione quam habet ejusdem libri cap. 6. ubi ait. De illa perseverantia lo-

quimur, *qua perseveratur in finem*, quæ si data est, *perseveratum est usque in finem*: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Ibi ergo loquitur Augustinus de gratia efficaci ad perseverandum, non autem de sufficiente, & dicit, illam gratiam efficacem negari quibusdam, quod libenter admittimus, nec est contra gratiam sufficientem. Aliquando etiam hoc modo loquitur Augustinus de ipso actu quem ideo vocat gratiam, quia datus à Deo est per gratiam efficacem: qui modus loquendi, tam frequens est apud Augustinum, ut putarit Estius esse perpetuum, prout notavimus in tractatu de indifferenti lapsi hominis arbitrio, &c. si ergo sic ibi loquitur Augustinus non removet gratiam sufficientem ab aliquibus, sed tantum efficacem, cùm hęc sola, & non altera, sit ad actum exstiturum.

3. parte sect. 4. §. unico. Initio.

Objicitur 5. quod in Epistola 107. ad vitalem circa med. inter duodecim sententias, quas ibi intimat Augustinus isti hæretico, ut contra errorem Pelagianum, & Semipelagianum tenendas, & confitendas, hanc habet, quæ est in ordine quarta. Scimus non omnibus hominibus dari: Supple gratiam ex præcedenti sententia. Respondeo illam gratiam non esse gratiam sufficientem, sed solam congruam, seu efficacem, quam satis indicatam putavit Augustinus ex præcedente sententia, ubi dicitur: quod gratia ad singulos *actus* datur. Gratia enim quæ datur ad actum, est gratia efficax, & non mere sufficiens, quæ datur ad posse sine speciali intentione, aut prævisione actus futuri, ut altera. Gratiam enim dari ad singulos actus secundum sensum Augustini, & conciliorum, hanc sententiam inculcantium contra errorem Pelagianum, nihil est aliud, quam nullum esse actum bonum ad quem gratia non data sit, contra errorem priorum Pelagianorum, qui volebant gratiam dari tantum ad facilius, & non ad simpliciter agendum, per hoc contendentium esse posse aliquos actus bonos sine gratia: item & contra errorem posteriorum Pelagianorum, qui volebant nos posse petere, & quærere, & pulsare ad Deum sine gratia. Et etiam Semipelagianorum, qui volebant nos posse primò credere sine gratia, & sic esse aliquos actus bonos sine gratia. Quod omnino excluditur per prædictam sententiam quæ vult omnes, & singulos actus esse à gratia. Unde cùm ibi sermo sit de gratia, quæ datur ad singulos actus, nullus autem actus est, sine gratia efficaci, relinquitur quod ibi sermo est de gratia efficaci, non solùm in illa pręcedente sententia sed etiam in ea, qua de agimus, quę repetit sensum suum ex præcedente illa sententia.

Nota quod in hac 4. sententia nomen gratiæ siletur, & ex præcedēte supponitur: ut per hoc intelligas, de eadem hic sermonem esse gratia, ac in præcedente sententia: quod etiam servatur in repetitione earumdem sententiarum infra referenda.

Id autem maxime confirmatur ex repetitione ejusdem sententiæ, quam habet paulo post Augustinus in eadem Epistola, ubi explicans latius istam sententiam ait; quomodo dicitur omnes homines eam (scilicet gratiam) fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent, quoniam: Deus vult omnes salvos fieri. Ubi vides sermonem esse de tali gratia, quam non accepimus, & quam tamen respuimus; quod non potest intelligi de gratia mere

sufficiente, seu non effectum habente. cùm illa fiat in nobis sine nobis; quis enim potest impedire inspirationes bonas, & pios motus immissos à Deo, ne sint in nobis; sed possumus impedire ne habeant effectum in nobis, quod est illos respuere, & rejicere, seu eis non consentire quod est etiam impedire, ne gratia accepta sit efficax, seu effectum habeat. Ergo ibi loquitur Augustinus de gratia efficaci, seu de actu bono, & non de sufficiente, seu de potestate ad bonum: & vult dicere quod non ideo Deus dat nobis actum bonum, quia parati sumus eum recipere, & ideo non dat, quia non parati sumus eum recipere, ut contendebant Pelagiani, & Semipelagiani per textum illum Apostoli: Deus vult omnes salvos fieri: quem ideo ibi habet Augustinus, ut vidimus: sed quod Deus dat illum actum bonum, quibus vult, & negat quibus vult nulla habita ratione prædispositionum, aut non prædispositionum hominum. Quod confirmat exemplo parvulorum, quibus dat aliquando baptismum, quæ est gratia efficax illorum, etsi non parati sint, imo reluctantes sint ad illam gratiam, & ideo dicit non omnes habere bonum actum, quia non vult illum dare omnibus, non quia non omnes volunt eum recipere, ut isti errantes putabant. Quod sic confirmat, ut diximus, exemplo parvulorum dicens: cùm multis non detur parvulis, & sine illa (scilicet gratia efficaci baptismi) plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, & paratis, Deo nolente non detur, cùm repente antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur: unde manifestum est, eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod: Deus omnes homines vult salvos fieri: cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis. Ecce ergo quam gratiam non vult dari omnibus, scilicet eam quæ habet effectum in homine, non vero eam quæ potest habere effectum de qua sola hîc loquimur) cùm nullum ibi sit verbum de potentia negata, sed solùm de actu ut ex dictis clarum est.

Vide in disput. nostra de prædest. ad gl. parte 1. sect. 7. §. 2. puncto 4. & 5. explicationem difficultatum quæ possent fieri super hunc textũ Augustini, de non velle Deum omnes salvos fieri.

Tandem dici posset, ibi tantum sermonem esse de gratia proxima, & non de omni, propterea quod per gratiam simpliciter dictam, solam intelligebat Augustinus gratiam proximam, & non etiam remotam, ut supra late demonstravimus, hac parte sect. 4. §. 1. & adhuc infra demonstrabitur 2. parte sect. 4. §. primo sub finem. Et sic non negatur hîc omnis gratia, ut volebant adversarij, sed tantum aliqua, scilicet, aut efficax, aut proxima, non autem omnis gratia sufficiens, tam proxima, quam remota.

§. III.

In quo solvuntur duæ objectiones sequentes quarum prima est quod Augustinus rejicit gratiam communem, altera est, quod si talis gratia daretur, frustra funderentur preces ad Deum.

OBjicitur 6. quod gratia illa quæ ità communis est omnibus, ut reperiatur in singulis, est omnino contraria scripturis, & ipsimet Augustino, qui ait libro de prædest. sanct. cap. 5. quod nihil huic sensui (scilicet Apostoli dicentis) quis enim te discernit &c. tam contrarium est, quam de suis meritis, sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei, sed gratia, quæ discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis, & malis?

Respondeo, ibi Augustinum non rejicere gratiam actualem communem, sed tantum naturam communem, in qua ponebant Pelagiani, & Semipelagiani suam gratiam erroneam: quod patet ex sequentibus, cùm addit Augustinus. Sit ergo *gratia naturæ attributa*, *qua sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus*, sit etiam *gratia naturæ attributa*, qua in ipsis hominibus, à deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur à tardis, ac si quid hujusmodi est (quod semper sistit in natura, ut vides) sed non se ille, quem coercebat Apostolus, adversus pecus inflabat (scilicet de natura humana, & rationali, seu donata lib. arbitrio, quam supra pecus habebat) nec adversus hominem alterum, de *aliquo munere naturali*, quod inesse posset & pessimo (ergo non loquebatur ibi de aliqua gratia actuali, & supernaturali; sicut nos, sed tantum de aliqua gratia naturali, seu insita nobis à natura, quam ipse rejiciebat, & pro qua volebat tantum supernaturalem, seu tendentem ad gloriam, ut etiam mox sequitur) sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, sibi, non Deo tribuens, inflabàtur, quando audire meruit: quis te discernit, quid autem habes, quod non accepisti. Ut enim sit *naturæ* (ecce adhuc vides naturam commemoratam, ut communem) fidem posse habere (id est capacem esse recipiendæ fidei, si detur) non tamen habere (scilicet ex propria virtute) non enim omnium est fides, cùm fidem posse habere sit omnium: non autem dicit Apostolus, quid autem potes habere, quod non accepisti, ut posses habere (hanc enim possibilitatem, habemus à natura) sed ait: quid enim habes quod non accepisti: proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, *naturæ* est hominum (quia capax est recipiendæ fidei, & charitatis) habere autem fidem (actualiter) quemadmodum habere charitatem, gratia est fidelium (quia nempe non possumus hoc ex natura, sed ex opitulatione solùm divina, sed audi quidpiam clarissimum) illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit, ab-

homine, hominem, ipsa vero fides, discernit ab infideli fidelem. Ecce ergo gratia communis, de qua loquebatur in loco nobis objecto, & quam rejiciebat Augustinus, ut incapacem discernendi hominem ab homine juxta sensum Apostoli: est natura humana, est lib. arbitrium, per quod possumus habere fidem, si detur, & per quod, ut supra dixit, discernimur à pecoribus: non autem est gratia illa actualis sufficiens, per quam possumus efficere fidem in nobis, & etiam charitatem: ista enim est vera gratiã, per quam discernit Deus hominem ab homine, juxta sensum Augustini, cùm dat eam alicui, ut efficacem, seu prævisam effectum habituram, tunc enim nihil habet homo ille, quod non acceperit, cùm gratiam istam habeat à Deo, & consensum suum, seu effectum à Deo per gratiam illam singulariter electam, cui prævidit Deus voluntatem illius libere, & libenter consensuram, cum potuisset ei dare aliam, cui præviderat voluntatem illius non consensuram. Sic ergo discrevit eum Deus suadendo, & movendo efficaciter illum ad bonum per gratiam supradictam, & ei fecit misericordiam, cùm dedit ei talem gratiam singulariter ut sic electam, non tamen alteri fecit injuriam, cùm non dedit ei talem gratiam, quandoquidem habet aliam vere sufficientem Imo etiam aliquando secundum se fortiorem, quæ omnino pendet ab ejus arbitrio, ut habeat, vel non habeat effectum, & nemini Deus debeat potius hanc quam illam gratiam, cùm sit Dominus bonorum suorum. Et hæc est vera discretio Augustiniana, & Christiana, quæ non est in natura communi, ut Pelagiana, sed in gratia actuali, & supernaturali, ut nostra, quia licet illa gratia sit communis omnibus, ut sufficiens, est tamen sub alia ratione, diversa, imo vero in ratione gratiæ diversissima, cùm longe magis gratificetur is, qui accipit gratiam prævisam à dante ut effecturam, quam qui accepit gratiam non effecturam, licet utraque illa gratia sufficiens, & vere indifferens sit. Hanc itaque communem gratiam non rejicit Augustinus, ut contendit objectio, sed potius eam admittit, & solùm rejicit communem naturam, quam Pelagiani proferebant, ut gratiam Christianam.

Ibi gratiam sufficientem sumo in sensu Augustini, quę aliquando habet effectum, aliquando non: non vero in sensu Scholasticorum, in quo numquam habet effectum

Objicitur 7. quod si gratia sufficiens daretur singulis, frustraneæ essent orationes pro bono agendo, imo stultum esset, idcirco Deum orare, cùm jam haberemus in potestate opus bonum, & sic teperet oratio, & accenderetur elatio secundum Augustinum. Respondeo hæc omnia esse falsa. Nam licet haberemus gratiam sufficientem ad bonum, non tamen haberemus semper proximam, sed tantum aliquando remotam, unde sæpe nos monet Augustinus, ut petamus proximam, præcipue in difficilibus, & gravibus tentationibus, saltem non habemus semper efficacem, cum semper non resistamus tentationi, unde saltem istam recte possumus petere ut & illam petit Ecclesia secundum Augustinum lib. de prædest. sanct. cap. 8. post med. dicens: si non *facit* volentes ex nolentibus Deus (quod indicat gratiam

tiam efficacem per verbum facit) quid orat Ecclesia secundum præceptum Dei pro persecutoribus suis. Et infra. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis *operetur* & velle. Quod adhuc indicat gratiam efficacem per verbum operetur. Et paulo post: orat (Apostolus) pro non credentibus, quid nisi ut *credant*. Quod clare indicat gratiam efficacem per verbum credant: unde & sequitur: non enim aliter *consequuntur* salutem. Sic ergo indicat Augustinus nos recte posse orare Deum pro habenda gratia efficaci: imo & ostendit alibi, nos posse orare Deum, pro habenda gratia proxima, quæ ad bonum agendum sufficiat. Ut cùm lib. de perfect. justitiæ cap. 10. dicit: oret gemitu voluntatis, ut impetret donum *facultatis*: & lib. de gr. & lib. arb. cap. 15. oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta *sufficit* ad implenda mandata: & cùm cap. 16. dicit: à Deo petendum esse, ut tantum velimus, quantum *sufficit*, ut volendo faciamus. Quod & multoties habet alibi ut jam vidimus in probatione 4. hujus partis. Quando autem dicit: quid stultius quam orare, ut facias, quod habes in potestate. Hoc solùm dicit contra Pelagianos, id intelligens dè potestate absoluta à nobis solis pendente, non autem de potestate data à Deo per gratiam sufficientem indifferentem, prout multis probavimus ipsiusmet Augustini testimoniis in disput. nostra de prædest. ad gl. parte 1. sect. 7. §. 2. puncto 7. in margine. Licet autem Adamus non indigeret orare pro habenda gratia proxima ob fœlicitatem status illius, tamen indigebat orare pro habenda gratia efficaci, si certo vellet eam habere. Unde quando dicit Augustinus in exposit. 2. Psalmi 29. quæ illi abundantia erat quando constitutus est homo in paradiso, quando nihil ei deerat, quando Deo fruebatur. Hoc solùm indicat, in eo fuisse abundantiam omnis sufficientiæ, tam proximæ, quam remotæ, & omnimodæ facilitatis ad bonum, cùm nihil illi, ut alibi ait, concupiscentialiter resisteret, sed omnia, magna facilitate perageret, quod tamen non impediebat quin posset orare, seu petere efficaciam, cùm non obstante hac abundantia peccatum commiserit mortiferum, quod sane numquam admisisset, si gratiam ad non peccandum efficacem habuisset. Cùm autem ibi addit Augustinus de eodem Adamo. In paradiso non clamabas, sed laudabas. Non per hoc intelligit quod non potuit rationabiliter clamare pro gratia efficaci obtinenda, sed vult dicere, quod non potuit ibi clamare, clamore miserorum in tanta sua beatitudine, ac fœlicitate, quod postea clarius exprimit per hæc verba: non gemebas, sed fruebaris, foris positus geme, & clama: propinquat tribulanti qui deseruit superbientem. Ubi luce ipsa clarius est, ibi solùm sermonem esse de gemitu, seu clamore miserorum, & in tribulatione positorum, qui non debebat esse in paradiso, seu in loco tantæ fœlicitatis, non autem de oratione fœlicium, qui solùm postulant gratiam efficacem, seu effectum habituram, quam utinam bene clamasset Adam, si ibi clamare idem esset, ac orare, non sic superbus in peccatum incidisset, nec nos miseros in

Lib de dono persev. cap. 11.

Lib. de dono persev. cap. 16.

suam perditionem pertraxisset. Cùm autem dixit Augustinus : quod extingueretur oratio, & accenderetur elatio, dum timemus, ne tepescat hortatio. Respondeo, istud non dixisse Augustinum, occasione gratiæ nostræ sufficientis, & indifferentis, sed potius occasione contemptus illius, seu occasione superbiæ Pelagianicæ, quæ repudiabat istam gratiam, ut sibi non necessariam, & volebat sufficientiam mere naturalem, & propriam & gratiæ non indigam. Nam posita assertione hujus gratiæ sufficientis, & indifferentis, in omnibus, & singulis admittendæ, non extinguitur oratio, cùm ut supra vidimus bene possit peti proxima, cùm solum adest remota, & saltem possit peti efficax, cùm nemo sciat an illam habeat, necne : nec etiam accenditur, sed potius extinguitur, & comprimitur fallax elatio, cum gratiam illam non eligamus, sed talem tantum accipiamus, qualem Deus vult impertiri, majorem aut minorem, proximam aut remotam, efficacem aut inefficacem, juxta beneplacitum Dei, aut punientis, aut miserentis, & spirantis, ubi vult; in quo est maxima dependentia, & profundissima humiliatio nostra : unde hinc non est metuendum, ne Deum negligamus, cùm tam stricte ab eo pendeamus in conficienda nostra salute, propter diversas suas gratias, quas potest dare, ut libuerit. Neque etiam hinc timenda est nostrarum virium nimia confidentia, cum non eas sufficientes agnoscamus, sed adjutorio divino prorsus indigas, & ex se insufficientes, & soli Dei gratiæ prorsus innixas, quam Deus potest nobis largiri, magnam aut parvam, proximam aut remotam, efficacem aut inefficacem prout ei placuerit : quæ, qui bene perpenderit, facile perspiciet, quod non potest nobis bene tribui, quod solis olim attribuebat Augustinus Pelagianis, in propria scilicet virtute confidentia, & Dei adjutoris neglectus, cùm ejus gratiæ necessitatem, & non solam utilitatem, in tam multis agnoscamus.

§. IV.

In quo octava proponitur objectio, sumpta ex eo quod asseritur, omnem Christi gratiam esse efficacem.

OBjicitur 8. quod omnis gratia Christi sufficiens, est etiam efficax secundum Augustinum, dicentem libro de prædestin. sanct. c. 8. quod vera Christi gratia, à nullo duro corde respuitur, sed ideo tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur: atqui non omnes, & singuli, habent gratiam efficacem ad salutem, aliàs nullus damnaretur. Ergo non omnes, & singuli habent gratiam sufficientem ad salutem.

Respondeo neg. maj. quam & late confutavimus in disput. nostra de prædest. ad gl. parte 2. sect. 3. §. 10. puncto 2. & sequentibus præcipue vero puncto 15. & sequentibus & toto tract. de indifferenti &c.

ad probationem dico id non reperiri apud Augustinum sed aliud: non enim ibi loquitur Augustinus generaliter de vera Christi gratia, ut innuit objectio, sed de aliqua tantum singulari, scilicet efficaci, qua creditur in Christum, ut patet ex his illius verbis immediate antecedentibus textum allegatum. Multos *venire videmus* ad filium, quia multos *credere videmus* in Christum (quæ omnia significant gratiam efficacem, per quam solam venitur ad filium, & creditur in Christum & vult ostendere, istum effectum esse ex gratia divina, & non ex natura humana contra Semipelagianos, qui putabant esse ex natura, quod formaliter ibi oppugnabat Augustinus: unde & addit) sed ubi, & quomodo *à patre* (id est à Deo, & non ab homine) audierint hoc, & didicerint (id est obedierint, & crediderint, quod indicat efficaciam) non videmus. Nimirum gratia *ista* secreta est, *gratiam vero esse quis ambigat* (ubi vides, eum loqui de aliqua singulari gratia, & non de omni, ut & cum addit) *hæc* itaque gratia (id est, non omnis gratia, sed hæc) quæ occulte (id est singulariter, non communiter) humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. In quo est singularitas illius gratiæ, quæ ut talis eligitur, cui non resistet arbitrium, licet ei possit resistere. Ut autem clarius adhuc videas, quod ista gratia de qua ibi loquitur Augustinus, non est gratia Christi secundum se, sed aliqua singularis inter veras Christi gratias, valde notabile est, quod nullum ibi habet terminum generalem, quo indicet, istam gratiam esse gratiam Christi secundum se, ut si diceret: omnis Christi gratia, aut vera Christi gratia, aut gratia Christi simpliciter, sed hæc aut ista gratia: & etiam indicat qualem, cùm addit: qua multos *venire videmus*, aut *credere videmus* in Christum. Quod solùm indicat actum, & per hoc solam gratiam efficacem. Et hinc etiam est quod non ibi loquitur de potentia, licet ibi quæstio esset: an homo *posset* credere in Christum sine gratia Dei, an non: Semipelagianis id asserentibus, contra vero id negante Augustino, ut late demonstravimus in prima parte nostri tractatus de indifferenti, &c. unde si contendisset ibi Augustinus illam gratiam, quæ à nullo duro corde respuitur, esse necessariam ad credendum primitus in Christum, seu, quod idem est, esse talem sine qua non posset credi in Christum, qui est proprius caracter gratiæ, Christi ut sic, quæ dat simpliciter posse benè agere, posuisset ibi aliquid de potentia, sicut de actu: sed nihil ibi videas de potentia, sed totum de actu, ut supra notatum est, actus autem est proprius caracter gratię efficacis, ut efficacis: ergo per hoc manifestum est, quod ibi tantum locutus est Augustinus de gratia efficaci (occasione scilicet scripturæ ibi allatæ, cujus testimonia erant de actu, & per consequens de gratia efficaci) non vero de gratia Christi secundum se, aut de vera Christi gratia, ut prætendebat objectio: & sic nihil ibi habetur contra gratiam sufficientem quoad omnes, & singulos, cùm de ista gratia ibi sermo non sit, sed de alia.

Multi item similes afferuntur loci, qui omnes sunt de gratia efficaci, & non de gratia Christi in genere: unde non sunt ad propositum. Ij autem fere omnes sunt, cùm exponit illud scripturæ testimonium Joannis 6. omnis qui audivit à patre meo, & didicit venit ad me. Qui locus manifestissime est de gratia efficaci, seu quæ habet effectum: unde non est mirum quod exponens locum illum, obiter, & occasione illius loquatur solum de gratia efficaci, & non de alia: signum autem certissimum, quod non intelligit illum scripturæ locum de gratia Christi secundum se, illud est, quod ubi exponit illum locum, ut libro supracitato de prędest. sanct. cap. 8. lib. de gr. Christi cap. 14. lib. de dono persev. etiam cap. 14. & tract. 26. in Joannem, numquam dicit illam gratiam, ut exprimitur in illo loco, esse necessariam, & sine ea nihil boni posse fieri, quæ est nota essentialis, & intrinseca gratiæ Christi secundum Augustinum, & de qua ideo toties prædicat ista script. testimonia contra Pelagianos necessitatem illius negantes, scilicet: sine me nihil potestis facere: & non sumus sufficientes cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Sed semper, & circunspecte, dicit tantum quod illa gratia, habet effectum, & quod si non habeat effectum, non est illa gratia, de qua ibi loquitur Christus, quę omnia probe conveniunt gratiæ congruæ, seu efficaci, quæ habet effectum à voluntate, & non ex natura sua: certum enim est quod omnis gratia efficax habet effectum, sed non est certum, imo vero est falsum, quod omnis gratia Christi sit efficax, ut late probavimus in prędicta nostra disput. locis supracitatis, præcipue postremis.

Verum contra hæc instari posset ex eo quod sæpe opponit Augustinus gratiam Christi, legi, atque doctrinę, quarum ista solùm prævaricationem afferat, quia lex per legem à nemine impleta est, aut impleri potest, illa liberationem: quia quod impossibile erat legi, per gratiam impletur. Respondeo, Augustinum nolle per hoc dicere, quod Christi gratia semper operetur liberationem nostram per conversionem veram, sed velle dicere, quod ad solam Christi gratiam pertinet operari liberationem istam, non autem ad legem, atque doctrinam, ut volebant Pelagiani, quos ibi confutabat qui per legem, & doctrinam, intelligebant gratiam intellectus: de hoc enim concertatio erat inter Augustinum, & illos; an gratia intellectus, seu lex & doctrina, sufficerent ad implenda mandata: an pręterea requireretur gratia in voluntate necessaria, illis affirmantibus legem, atque doctrinam ad id sufficere, Augustino vero contra contendente præterea requiri gratiam in voluntate necessariam, prout late demonstravimus in disput. nostra de prædest. ad gl. parte 2. sect. 3 §. 10. puncto 10 & sequent. item & in tota parte prima tract. de indifferenti, &c. unde concludendum est, Augustinum non opponere legem, atque doctrinam, seu gratiam Pelagianam, veræ Christi gratiæ, in hoc quod hæc semper haberet effectum, illa autem non, sed in hoc, quod ad veram

Christi gratiam pertineret posse habere effectum, & aliquando illum habere, prout nempe homo uti ea vellet, aut nollet: gratiam autem Pelagianam, seu legem, atque doctrinam, nec effectum habere aliquando, nec eum habere posse, cùm insufficiens prorsus esset ad ponendum illum effectum, ut etiam manifestatur in instantia supra facta, cùm dicitur, quod *lex per legem a nemine impleta est, nec potest impleri*. Unde Augustinus opponendo legi gratiam Christi, opponit potentiam impotentiæ, non vero actum non actui, ut prætendebat instantia supra facta. Cùm autem dicit Augustinus: in Epist. 107. Quod facere quod lex jubet, est opus gratiæ, non opus legis: vult dicere quod hoc facere pertinet ad solam Christi gratiam, tanquam proprietatem ejus præcipuam, non vero ad legem, atque doctrinam, seu ad gratiam Pelagianam quæ prorsus ad id insufficiens est, ut etiam habetur in prædicta instantia; cùm dicitur: *quod hoc erat impossibile legi* Unde opponit ibi potentiam gratiæ Christianæ, impotentiæ gratiæ Pelagianæ, quæ erat in lege, atque doctrina, non vero actum non actui. Ut etiam patet in sequente textu cùm dicitur. Non ergo gratiam dicamus esse doctrinam, sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam, quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam. Et in isto qui est ex Epist 89. ad abundantiam delictorum lex nos docet, quid velle debeamus, nisi adjuvet gratia, ut quod volumus valeamus (per gratiam excitantem) & quod voluerimus impleamus (per gratiam adjuvantem) in his, & similibus locis nihil aliud commendat Augustinus quam sufficientiam gratiæ Christianæ, contra insufficientiam gratiæ Pelagianæ, seu gratiæ intellectus, seu legis, atque doctrinæ: & licet in plerisque illis locis det Augustinus actum illi gratiæ Christianæ, tamen in plerisque aliis quos notavimus in nostra disput. dat ei solùm potentiam, & plerumque indicat resistentiam ei factam, & effectum ejus impeditum, ut etiam notavimus in prædicta disputatione, & in tractatu de indifferenti, &c. & nusquam vidimus eum clare pronuntiasse, sive formaliter, sive æquivalenter gratiam Christi semper habere effectum, aut numquam ei resisti.

Vt clarissime agnoscas, gratiam quam Pelagiani ponebant in lege, atque doctrina: nihil aliud significasse, quam gratiam intellectus, seu cognitionis: præter locum clarissimum, quem sæpe citavimus ex lib. de gratia Christi cap. 7. vide etiam lib. 4 ad Bonif. cap. 11. ante med. ubi ait quod: gratiam nolunt Pelagiani, *nisi legem videri*, ut videlicet *non ad faciendum, sed ad agnoscendum, quod faciamus nos Deus adjuvare credatur* Ecce quid intelligebant per legem, atque doctrinam, ipso interpretante Augustino.

Notandum autem est, quod in plerisque illis locis, ubi dicitur Augustinus dare actum suæ gratiæ: non tam dat ei actum, aut effectum, ut putant adversarij, quam indicat eam respicere actum, seu effectum, tanquam finem suum, & proprium, ut patet ex particula, ut, quæ ibi apponitur: V.G. cùm dicitur: adjuvat gratia, *ut* quod voluerimus, impleamus. Sanat gratia voluntatem, *ut* sanata volun-

tas impleat legem. Et gratia data est, *ut* lex impleretur, & similia: consequens enim non est, ut omne quod respicit actum tanquam finem, semper attingat illum. Unde manifestum est quod nihil hinc habetur contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam, quam secundum Augustinum defendimus.

§. V.

In quo nona & ultima proponitur objectio sumpta ex hoc quod nunc juste negatur nobis omnis gratia ob peccatum orig. & est justa pœna peccati illius.

Objicitur 9. hic textus libri de corrept. & gr. cap. 11. sub finem, ubi ait Augustinus: si autem hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset: quoniam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent: nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est. Quæ verba, inquiunt objicientes, non de auxilio congruo, & efficaci, sed de sufficienti intelligenda sunt: nam quicumque peccant, auxilio congruo & efficaci carent, quibus nihilominus culpa imputatur: illud autem auxilium de quo loquitur August. tale est ut sine eo operantibus culpa non imputatur. Hoc autem aliud esse nequit, quam sufficiens, & necessarium: cum ergo de illo dicat Augustinus: nunc autem quibus deest tale adjutorium, nunc pœna peccati est. Plane sensit, aliquibus hominibus nunc denegari: verum quia culpa eorum denegatur, ideo nihilominus imputari illis peccatum, quod tamen primo homini, aut Angelo non imputaretur, si absque ulla eorum culpa tale auxilium eis subtraheretur.

Respondeo verum quidem esse non ibi sermonem esse de auxilio congruo, & efficaci, sed de solo sufficiente, & necessario ad agendum: sed debebant objicientes distinguere inter sufficiens, & sufficiens: nam aliud est sufficiens auxilium ad agendum, quod dicitur proximum: aliud sufficiens ad orandum, quod dicitur remotum. De primo hîc agitur, & non de secundo, quod tamen sufficit ad salutem: agitur enim hîc de tali auxilio quod necessarium fuit Adamo, & nobis: at auxilium ad orandum, seu remotum, non fuit necessarium Adamo, ob perfectionem status illius, cui debebatur auxilium illud proximum, & proinde superfluum erat ei remotum, quod est tantum ad obtinendum proximum, unde non agitur hîc de remoto, sed tantum de proximo, quod facile concedimus, aliquando deesse nobis, licet non defuerit Adamo. Verùm cùm non probetur, deesse nobis, & remotum, scilicet auxilium ad orandum, ideo hæc objectio nihil efficit contra nos, cùm illud remotum nobis sufficiat, per quod possumus impetrare proximum, & sic agere bonum necessarium. Sensus itaque textus hujus est: quod si adjutorium proximum defuisset primo

homini, sine culpa cecidisset, quia nempe sine eo non poterat bene agere, & non tenebatur illud petere, cum ei debitum esset ex vi perfectionis & innocentiæ suæ ut supra expositum est. At vero si desit nobis, & ideo cadamus in peccatum, non excusamur à culpa, quia eo privari digni fuimus, vel ob originale vel ob actuale peccatum nostrum: & ideo orare debuimus, & petere supliciter illud auxilium prorsus nobis indebitum, & non expectare illud ut debitum: aliàs rei peccati erimus, cùm ea facere noluerimus, quæ potuimus, & debuimus, ad vitandum peccatum. Et sic patet quod in eo peccare possumus carendo tali gratia, & non petendo eam, in quo non peccasset ipse Adamus non petendo eam ob scilicet differentem utriusque statum. Quia nempe in statu naturæ puræ id est innocentis debebantur Adamo talia auxilia, & ideo non erant tunc poscenda, sed tantum expectanda, seu non rejicienda, si offerrentur: at vero in statu naturæ lapsa, & peccato infectæ, ut nunc est, non sunt debita, sed indebita nobis talia auxilia, & ideo poscenda sunt nobis, & non solum expectanda aliàs culpabiles sumus, si iis juste privati, postea delinquimus. Propter quod toties dicit, & repetit Augustinus: quod debemus petere auxilium, cùm non adest potestas faciendi aliquid ita ut nihil videre possis frequentius in illius contra Pelagianos lucubrationibus, quam istud principium: propter quod etiam dicit: quod Deus impossibilia non jubet: quia, inquit, jubendo monet, & facere quod possis, & *petere quod non possis*. Et in alio loco: eo ipso inquit quo firmissime creditur (id est debet credi) Deum justum, & bonum, impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & *in difficilibus quid petamus*. Et hinc est, quod non excusamur, cùm non implemus præceptum, quod implere non possumus, si nempe auxilium petere negligamus: quia nempe meruimus privari tali auxilio: & ideo tenemur illud petere, ut habeamus illud, cum sit indebitum nobis. At vero in tali casu excusati fuissent Adam, & Angeli innocentes, etiamsi non petiissent illud, quia nempe non meruerant illo privari, cùm adhuc innocentes essent sed debitum erat eis secundum Augustinum, & ideo non tenebantur illud petere, cùm non teneamur petere tanquam supplices, id quod debitum est nobis, sed tantum id quod indebitum est nobis, & ad quod nullum jus verum habemus. Unde bene notavit Augustinus in textu supra allato, quod quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur secundum gratiam datur, non secundum debitum quemadmodum olim dabatur primo homini, & Angelis innocentibus secundum Augustinum ex quo sequitur quod petere illud tenemur, cùm alia via illud habendi non suppetat nobis, sicut suppetebat olim Adamo, & Angelis innocentibus, quæ erat via debiti, quæ nullatenus convenit nobis, cùm per peccata nostra originalia, & actualia, illud jus amiserimus Et sic patet solutio ad objectionem, quæ in hoc graviter erravit, quod putabat objiciens August. ibi negare omnem gratiam

In probatione 3.

Libro de nat. & gr. cap. 43.

Ibidem cap. 69.

sufficientem homini lapso, & negabat solum proximam, non vero etiam remotam, quam semper voluit Augustinus esse in nobis reliquam, cum toties ipse nos admoneat confugere ad illam, quando aliquid necessarium agere non possumus, ut multoties supra vidimus.

Verum etsi textus ille recte possit intelligi de gratia illa proxima, quæ aliquando deest nobis sine præjudicio gratiæ sufficientis: tamen nonnihil dubito num vere intelligi debeat de gratia habituali, & sanctificante, cum auxiliis sibi annexis prorsus sufficientibus ad bene agendum; quæ similiter Adamo debita erat ob innocentiam suam, nobis autem est indebita propter iniquitatem originalem, vel actualem. Videtur enim ibi Augustinus insinuare, se locutum fuisse in præcedentibus de gratia habituali, cum paulo post verba in objectione adducta, addat hæc tanquam consequentia ex antecedentibus. *Namque ut reciperet* bonum, gratia non egebat, quia *nondum perdiderat*. Particula enim, nam, manifeste indicat aliquid, quod spectat ad præcedentia, cum sit causalis: id autem quod hîc indicat ut spectans ad præcedentia, est talis gratia quam potuit Adam amittere, & quam non indiguit recipere, cùm jam eam haberet, quod solum convenit gratiæ inhęrenti, & permanenti qualis est sola gratia habitualis, non vero actualis, quæ cito transit à nobis: ergo ibi videtur loqui Augustinus de gratia habituali, ut est quid pertinens ad antecedentia, unde & illa possent exponi de gratia habituali cum annexis sibi auxiliis, quibus indigebat Adam ad bene agendum, & quibus si privatus fuisset, perseverare non posset, cùm id non posset sine gratia, ea tamen petere non tenebatur, cùm essent ei debita simul cum habituali gratia secundum Augustinum, ut supra demonstravimus. Nos autem privati sumus illa gratia, & annexis ei auxiliis sufficientibus ad bene agendum propter iniquitatem originalem, ita ut eam recipere non mereamur cum annexis sibi auxiliis sicut Adamus, sed ea carere debeamus in pœnam dicti peccati: sed hinc non sequitur, quod carere debeamus omnibus aliis auxiliis, præcipue convenientibus nostro statui misero, & infœlici, qualis est gratia orandi, gemendi, & clamandi ad Deum ut misereatur nostri & det nobis gratiam sanctificantem & alia auxilia ei annexa quibus meruimur privari per iniquitatem nostram originalem, aut postea per actualem: præcipuè cùm hanc gratiam ubique prædicet Augustinus, reliquam nobis esse in miseriis, & infirmitatibus nostris, qua impetremus proximam ad bene agendum necessariam, ut satis patet ex supra allatis nostris probationibus, & etiam alibi: & sic nihil ibi est contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam in statu naturæ lapsæ.

Quod gratiæ habituali annexa sint aliqua auxilia ei debita, supra probatum est in object. 1. circa med.

Ex his autem manifestum est, quam immerito vasques dereliquerit hîc Augustinum, & dixerit: multa quę citantur in præallatis objectionibus Augustini testimonia, recte explicari non posse, & ideo in hac parte eum excusatum non fuisse à Prospero, & Fulgentio, quamvis excusetur ab eis, multis aliis in locis: certe non adverti umquam excu-

in 1. partẽ disput. 97. cap. 6.

excusatum esse Augustinum à discipulis illius, sed tantum explicatum, & declaratum iis qui non intelligebant doctrinam illius. Unde nullomodo excusandus ibi erat S. Doctor, qui non erat accusandus, sed erat attente legendus, & perlegendus, & omnino intelligendus si fieri posset, & si non intelligeretur, erat orandus Deus, ut daret intellectum, & scientiam ad penitus capiendam sanissimam, & profundissimam illius doctrinam, juxta prudens consilium, quod dat nobis Fulgentius lib. 2. de veritate prædest. sub finem, ubi ait: hunc (scilicet Augustinum) legat omnis, qui salutem aeternam adipisci desiderat (ecce quam sanam, & rectam, putabant totam illius doctrinam, discipuli ejus, sed quia etiam eam esse profundissimam agnoscebant, ideo addit modum Fulgentius quo lector ad eam habere se debeat: his verbis) *humiliter orans misericordiæ Dominum, ut eumdem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit, ut scriberet: & eamdem illuminationis gratiam adipiscatur, ut discat, quem ille adeptus est, ut doceret.* Unde & D. Prosper alter illius discipulus in præfatione sua ad objectiones Gallorum, ad duas tantum classes ablegat culpatores Augustinianæ doctrinæ, scilicet, aut eorum qui non intelligunt illam, aut qui nolunt illam intelligi dicens: doctrinā, quam S. memoriæ August. Episcopus, contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & lib. arbitrij decomptores, per multos annos *Apostolicè asseruit* (ecce vides quam sanam & rectam existimabant illius doctrinam discipuli ejus) litterisque mandavit: quibusdam visum est, *aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo* reprehendere. Et abunde laudat eam ut purissimam & ut ei datam à Deo tanquam solvendis gravissimis Ecclesiæ Catholicæ difficultatibus tunc temporis occurrentibus opportunissimam, carmine de ingratis cap. 3. dicens:

Dicit vasques in 1. 2. disput. 201 cap 8. se legisse non pauca Augustini opuscula contra Pelagianos: ex quo sequitur, quod nequidem omnia legerat, quæ confecit Augustinus opuscula, contra prædictos Pelagianos. Quæ tamen sunt principalia in hac materia de gratia.

Cùm foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes:
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites, humilesque bibunt, *campisque animorum*
Certant vitalis doctrinæ *immittere rivos.*

Et hæc fuit ratio, cur nec Prosper, nec Fulgentius in hac parte, ut nec in quavis alia doctrinæ ejus, excusarunt eum: non sane tanquam existimantes eum in aliqua parte inexcusabilem, ut putavit vasquez, sed tanquam vere agnoscentes eum prorsus inaccusabilem, & nulla ex parte reprehendendum sed potius cum omni laude suscipiendum & suspiciendum in qualibet parte doctrinæ illius. Unde non debent adversarij ex hac vasquis censura proficere contra veram, & August. de gratia suffic. omnibus & singulis data, sententiam: maximè cùm lata sit à judice incompetente, & in causa illi non satis cognita, & perspe-

Augustinum sanctæ recordationis

virum pro vita sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus : *nec umquam hunc sinistra suspicionis saltem rumor aspersit : quem tanta scientia olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis prædecessoribus haberetur* bene ergo de eo omnes in commune senserunt, ut pote, qui ubique cunctis & amori fuit & honori Celestinus Papa ad Episcopos Galliæ. Quæ & refert Prosper contra collat. cap. 1.

ɛta : credibile enim est, quod nequidem legerat 10. partem Augustinianorum operum cùm pro magno ducat, & dicat, * se legisse non pauca Augustini opuscula contra Pelagianos : ex quo sequitur quod nequidem omnia illa legerat, quæ pertinent ad genus istud, quod sane non constituit 10. partem Augustinianorum operum.

* In primam 1. disput. 103. cap. 8.

SECTIO DECIMA-QUARTA.

Solvuntur quædam objectiones Estij.

PAuca habet Estius ex Augustino contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam, licet isti veritati infensissimus sit. Nam præter illa quæ supra solvimus in probatione 9. nihil reperi apud illum nisi duos locos : ubi citat Augustinum tanquam isti veritati contrarium. Quorum unus est, in commentario in librum sapientiæ cap. 5. in hæc verba : ergo erravimus à via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis. Ubi dicit, Augustinum docere ex his verbis sapientis Christum, qui est sol justitiæ, non omnibus ortum esse : serm. 4. de Joanne Bapt. & conc. 3. in Psal. 103. negare eumdem Christum impiis ortum esse, sed iis solis, qui intelligunt Christum, & ibidem dicere non esse simile de sole visibili, qui oritur super bonos, & malos. Sed Respondeo hæc præ se ferre solutionem suam : nam cùm dicit Augustinus quod sol iste non oritur impiis, causam indicat cur non oriatur iis : scilicet quia nolunt dimittere impietatem suam, & amplecti justitiam, & sanctitatem, sine qua sol iste justitiæ non oritur nobis : non enim ullis oritur nisi ut habitet in eis, at certum est quod non habitat in impiis, sed in solis justis, & sanctis : ergo iis solis oritur, & non aliis. Unde non est ibi sermo de gratia actuali, de qua solùm loquimur, sed de gratia habituali, per quam Deus possidetur, & per quam oritur nobis juxta illud Domini apud Joann. 11. si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & *ad eum venieмus, & apud eum mansionem faciemus*. Quod confirmatur ex eo quod ibidem dicit Augustinus, ut fatetur ipse Estius, quod non est simile, ac de sole visibili, qui oritur super bonos, & malos : nam si loqueretur ibi Augustinus de gratia actuali, falsissimum diceret, cùm certum sit, quod illa gratiã datur bonis, & malis, & aversis, & adversis ut sæpe dicit Augustinus contra Pelagianos. Ergo id solùm est intelligendum de gratia habituali, quæ datur solum con-

versis per prævios actus fidei, spei, & pœnitentiæ, quibus præparant se boni, & pij ad illam gratiam suscipiendam, quæ numquam est sine Deo, seu sine isto sole justitiæ, qui tunc venit ad nos, & oritur nobis. Ille ergo locus cum sit solùm de gratia habituali, & non de gratia actuali, de qua sola loquimur, & in qua sola consideratur sufficientia gratiæ, non solùm non est contra nos, sed nec est ad propositum.

Vide disp. nostram de prædest ad gl. 1. parte sect 6 §. 10. puncto 2. ubi idem locus expenditur.

Alter locus est in commentario in Epist. ad Rom. cap. 10. in hæc verba: quomodo autem audient sine prædicante. Ubi vult Estius probare ex Augustino illis deesse gratiam sufficientem, quibus non est prædicatum Evangelium: quia, inquit, cùm dicit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap 7. quicumque ab illa originali damnatione divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod procuratur eis audiendum Evangelium: per hoc vult indicare quod Dominus, quibus decrevit fidem dare, prædicatores, quos audiendo credant, præmittit, quia libro de don. persev. cap. 19. Augustinus ait paucissimis esse donatum, ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cœlorum doctrinam salutis accipiant. Pro quo etiam citat cap. 22. libri 1. de peccatorum meritis & remiss.

Nota quod aliud est, specialiter procurare quibusdam audiendum Evangeliū cui credant, & aliud procurare audiendum Evangelium illis solis: primum dicit Augustinus, non secundum: unde non bene infertur intentio Estij contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam, quia licet procuretur audiendum Evangelium iis de quibus loquitur Augustinus, non tamen bene sequitur, quod non procuretur & aliis: nam quod ibi speciale est, est quod ita procuratur iis ut cum audiunt credant, quod non ita procuratur & aliis qui non credunt sed possunt credere.

Respondeo ad locum principalem, qui est de corrept. & gr. non ibi sermonem esse de gratia suffic. sed tantum de efficaci, non solùm secundum sensum Augustini, qui loquitur ibi de modo quo perseveratur in bono, quod non fit nisi per gratias efficaces ad fidem, spem, & charitatem, unde non solùm dicitur ibi, quod istis perseveraturis procuratur audiendum Evangelium, sed quod cum audiunt istud Evangelium, credunt & in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & si quando exorbitant, correpti emendantur, & cætera ejusmodi quæ manifeste indicant ibi sermonem esse de gratia efficaci, & non de sufficiente. Sed etiam secundum ipsam interpretationem Estij, qui explicat illum locum de actu fidei, quem Deus dare decrevit eis, de quibus ibi sermo est, qui actus fidei, non est à mera gratia sufficiente, sed à gratia efficaci, per quam datur illa fides: unde hic locus non est contra nos, qui loquimur de gratia sufficiente in genere, & non de sola efficaci. Libenter enim fatemur, gratiam efficacem non dari omnibus, sed id negamus de sufficiente: illa enim gratia sufficiens fidei multis modis datur sine eo quod actu prædicetur Evangelium talibus gratificatis, ut infra la-

te explicabimus, cùm agemus de infidelibus. Ex quo respondetur duobus aliis Augustini testimoniis: quia licet raro detur fides sine prædicatione Evangelij, non tamen sequitur quod raro detur potestas perveniendi ad fidem sine prædicatione Evangelij; quia sunt multæ gratiæ quas Deus dat hominibus, quibus si bene utantur, pervenient ad fidem, sive per hominem, sive per Deum, sive per Angelum sibi prædicatam, quas quia sæpe contemnunt infideles, ideo sæpe non merentur pervenire ad fidem, ut ibidem Deo dante explicabimus. Possent etiam ad hæc reduci pauca illa quæ habet in secundum sentent. dist. 23. §. 14. de ignorantia invincibili: ubi videtur asserere, quod peccatur in his, quæ invincibiliter ignorantur circa jus naturale: ex quo sequitur quod hi non habent gratiam sufficientem. Pro quo citat Augustinum 1. ex libro 6. contra Jul. cap. 5. ubi ait, Augustinum dicere, per ignorantiam post baptismum relictam, multa adhuc peccata ab hominibus perpetrari. Sed post quam legi & relegi caput illud nihil hujusmodi reperi. Nam neque ibi loquitur de ignorantia, neque de peccatis post baptismum, sed ante baptismum contractis, scilicet peccatis originalibus. Quicquid sit non ibi negat adesse gratiam orandi, qua impetretur scientia necessaria contra illam ignorantiam, ex cujus orationis neglectu potuerunt culpabiliter illa peccata ex ignorantia perpetrari: nam cùm ibi loquatur Augustinus (saltem ut ait Estius) de peccatis post baptismum, loquitur de fidelibus, qui debuerunt per fidem suam impetrare scientiam, contra illam ignorantiam, quam petere negligentes, rei facti sunt per superbiam, ut communiter dicit Augustinus, & supra multis locis vidimus. Et præterea posset dici quod ibi loquitur de peccatis impropriis, scilicet de motibus involuntariis concupiscentiæ, de quibus sæpe loquitur, cùm agit de peccatis necessariis, ut alibi vidimus, sed quia rem objectam in loco citato non vidimus, verum ejus sensum divinare non possumus.

2. Citat librum primum contra duas Epist Pelagianorum cap. 13. ubi ait: Augustinum dicere peccata esse, quę secundum concupiscentiam, vel ignorantiam illicite fiunt, ubi agit (inquit Estius) de ignorantia ex peccato originali relicta, quam constat non posse omnino in hac vita superari. Respondeo verum esse quod illa omnia peccata sunt quæ secundum concupiscentiam & ignorantiam illicite fiunt, at vero quod ignorantia ex peccato relicta, non possit vinci, cùm necessarium est ad faciendum bonum, vel malum vitandum: nec verum est, nec reperitur ibi nec alibi apud Augustinum: imo vero sæpe dicit contrarium Augustinus, & suadet nobis orare ut vincamus istam ignorantiam. Unde cum locutus fuisset lib. de nat. & gr. cap. 17. de peccatis quæ per ignorantiam fiunt, sic ait: unde *admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter*, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda est. Ubi clare supponit in omnibus esse gratiam orandi,

qua impetrent ſcientiam neceſſariam contra iſtam ignorantiam. Et in Enchiridio cap. 81. *ne peccemus*, inquit, *ut regat, ille rogandus eſt*, cui dicitur in Pſalmo: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: *ut illuminatio detrahat ignorantiam, & ſalus infirmitatem.* Ubi adhuc vides eum ſupponere in omnibus gratiam orandi, qua impetrent ſcientiam contra ignorantiam, & robur contra infirmitatem, ſeu quod idem eſt, contra concupiſcentiam. Ex quo manifeſtum eſt Auguſtinum ſupponere in omnibus gratiam ſufficientem, ſaltem remotam contra ignorantiam, & contra concupiſcentiam, quod etiam debebat Eſtius ſupponere ex principio illo generali Auguſtini, quo ait Auguſtinus: omnem hominem poſſe eſſe ſine peccato, modò id non ſperetur poſſe fieri per merum lib. arbitrium, ut prætendebant Pelagiani: quod prorſus non eſſet verum, ſi eſſet aliquis homo, qui non poſſet vincere peccatum ignorantiæ, aut concupiſcentiæ, ut prætendit Eſtius, & tribuit Auguſtino, is enim non poſſet eſſe ſine peccato.

Libro de ſpir. & litera initio & lib 1. retract. c 37. ibi autem loquitur Auguſtinus de ſingulis hominibus cum in propoſitione ei oppoſita dicat *neminem* eſſe ſine peccato.

3. Citat librum primum retract. cap. 15. ubi ait: Auguſtinum dicere, quod qui neſciens peccavit, volens tamen fecit, neſcire quidem id quod fecit, eſſe peccatum, voluiſſe tamen id quod peccatum eſt, ſcilicet natura ſua. Reſpondeo primo id poſſe intelligi de peccato improprio, & ſecundum dici: de quo loquitur initio capitis, quod peccatum, ponit in concupiſcentia, & effectibus ejus, qualis eſt ignorantia, ſeu cæcitas mentis, quæ ideo dicit ibi, eſſe peccata, quia ſunt à peccato ſcilicet Adæ, & ſunt pœnæ peccati. Reſpondeo 2. quod etiamſi ſupponeretur iſtud peccatum eſſe verum, & proprium, non tamen hinc ſequeretur, abfuiſſe gratiam ſuffic. ſaltem remotam ad vincendam illam ignorantiam, & per hoc ad vitandum illud peccatum. Cùm alibi doceat, illam adeſſe omnibus, ut modo vidimus, & ibi nihil iſti doctrinæ afferat contrarium, imo vero ibi dicat aliquid, quod indicat id ſe ſub intellexiſſe, cum paulo poſt dicat, quod tantum valet voluntas, ſi pia eſt (id eſt ſi credens eſt) ſub dominante cupiditate, *ut oret auxilium*: ergo loquebatur etiam ibi de iis, qui poterant orare auxilium, & ſic vitare iſtud peccatum. Quare autem ibi loquatur ſpecialiter de piis, ſive de credentibus, potius quam de aliis, qui poſſunt etiam orare? breviter dicendum eſt, quod ideo loquitur de iis, quia ij ſoli habent potentiam proximam orandi, cæteri autem tantum remotam, quam infra explicabimus, cùm loquemur in ſpecie de gratia infidelium, unde non loquitur de iis. Quantum autem ad præſentem difficultatem ſufficit quod prædicti neſcientes, ſeu ignorantes qui peccaverunt, potuerunt orare, ſive proximè, ſive remotè, & per hoc impetrare ſcientiam contra ignorantiam, ne peccarent.

Vide aliqua de hac difficultate tract. noſtro de indifferenti lapſi hominis arbitrio parte 2. arg 53.

SECTIO DECIMA-QUINTA.

Solvuntur objectiones Calvini.

§. PRIMUS.

In quo multæ fraudes reteguntur Calvinianæ.

CAlvinus libro 3. institutionis suæ cap. 23. & 24. occasione prædestinationis ad gloriam, & ad gehennam, quam putat fieri, nulla habita ratione meritorum bonorum, aut malorum, multa habet ex Augustino contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam, quæ hîc quam breviter poterimus, dissolvemus: cùm jam multa ex iis alibi jam solverimus, scilicet in tractatu de indifferenti, &c. quæ aliis in locis ipse adduxerat contra indifferentiam arbitrij. 1. Itaque dicit cap. 23. n. 1. quod Augustinus libro 5. contra Julianum, exponens illum locum Apostoli Rom. 9. 21. Deus fert in multa tolerantia, & lenitate vasa iræ apparata in interitum, dicit ibi Deum non sinere, sed virtute sua moderari: quasi videlicet peccatores vellet Augustinus privari omni Dei gratia, & sic Deum eos in peccatum immittere potestate sua absoluta, non vero permissione sua sinere eos labi post subministrationem gratiæ ad non labendum eis necessariæ. Sed Respondeo quod in illo capite, ubi explicat ista Augustinus, nullomodo excludit permissionem divinam, ut vult Calvinus, sed potius exprimit eam, non tamen talem, quæ supponat impotentiam in Deo impediendi peccatum, si vellet, quemadmodum sæpe accidit in hominibus, qui permittunt ea fieri, quæ non possunt impedire, sed talem qua, si vellet, Deus impediret peccatum (dando scilicet aliam gratiam, quam prævidisset effectum habituram) quod negabat Julianus, nolens hominem pendere à Deo in peccando, vel non peccando, per gratiam necessariam, sed solùm id pendere ab homine per lib. arbitrium, quod ibi impugnabat Augustinus: unde sic ait cap. 3. illius libri post adductum supra dictum textum Apostoli: quasi, inquit, non simul posuit hæc duo idem Apostolus, *& patientiam, & potentiam*, ubi ait: sic autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare *potentiam suam*, attulit in multa *patientia* vasa iræ, quæ perfecta sunt in interitum. Ubi vides patientiam Dei, seu quod idem est permissionem Dei, & simul potentiam Dei, à qua pendet absolute creatura, in bene, vel male agendo, per gratiam Dei illi necessariam quam negabat Julianus. Sed & capite 4. sequente, formaliter agnoscit in peccante Augustinus, & permissionem divinam, & simul noluntatem Dei de peritione peccatoris, & per hoc gratiam sufficientem datam peccatori ad non peccandum di-

Citatur caput 5 à Calvino sed in illo capite nihil hujusmodi reperi, sed tantum in cap 3 sub finem, & c 4. initio Quapropter videtur calvinus usus esse codicibus Augustinianis aliter divisis, quam nostris. unde citabimus illos secundum suam, & nostram divisionem quando invenientur esse diversæ, ad commoditatem lectoris.

cens circa initium illius capitis. Nos certe, si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus (ecce permissionem hominum, quæ licita tantum est, quando non potest ab ipsis impediri malum, sed non sic est permissio divina ut sequitur) quam vero innumerabilia ille *permittit* fieri ante oculos suos (audis Calvine formalem permissionem Dei circa mala, seu peccata hominum) *quæ utique si noluisset, nulla ratione permitteret.* Et tamen justus, & bonus est, & quod *præbendo patientiam, dat locum pœnitentiæ* (at quomodo daret locum pœnitentiæ, nisi daret necessariam, & sufficientem ad id gratiam) *nolens aliquem perire.* Ecce ergo vides, Augustinum asserere, quod Deus neminem vult perire, & tamen attribuebat ei contrarium Calvinus, scilicet: quod diceret ob id perire homines, quia Deus vult eos perire, cùm è contra dicat Augustinus, ob id perire homines, quia ipsi volunt perire, etiam si Deus nolit ullum perire: quod valde diversum, & contrarium est, & nihil habet contra gratiam sufficientem. Vide reliqua (si vis) hujus textus exposita in disput. nostra de prædest. ad gl. parte 2. sect. 2. §. 10. puncto 2. & eumdem textum expositum in tract. nostro de indifferenti, &c. parte 3. sect. 5. §. 12. respondendo eidem Calvino. Cùm autem dicit Calvinus in fine numeri illius: quod tradit Augustinus: ubi ex lupis Deus oves facit, gratia potentiore eos reformare, ut dometur eorum durities. Respondeo id non ita generaliter dictum, reperiri apud Augustinum, sed tantum dicit Augustinus de Paulo Apostolo, quod potentiore gratia conversus est, Paulus autem potuit habere gratiam potentiorem, non solùm gratia reproborum, sed etiam multorum prædestinatorum, cùm ipse specialiter dictus sit, esse vas electionis: unde id non magis præjudicat gratiæ reproborum, quam gratiæ aliorum prædestinatorum, seu nihil magis efficit contra gratiam sufficientem datam reprobis, quam contra gratiam efficacem datam aliis electis: At id nihil efficit contra gratiam efficacem aliorum prædestin. ergo nec contra gratiam sufficientem datam reprobis. Sed & si concederemus, gratiam potentiorem dari electis, & minus potentem reprobis: non tamen quicquam hinc sequeretur contra gratiam sufficientem datam ipsis reprobis, cùm non repugnet unam gratiam esse minus potentem altera, & tamen esse suffic' seu unam gratiam esse potentiorem altera, & tamen alteram esse sufficientem, ut per se manifestum est. Sed sane non videtur ibi dici gratia Pauli potentior respectu gratiæ minus potentis, sed respectu impedimentorum obstantium ne Paulus converteretur: quia nempe gratia data Paulo, magis placuit ei quam concupiscentia ei resistens, & ideo effectum habuit, ut explicuimus in fine tractatus nostri de indifferenti &c. *aversus* quippe (inquit Augustinus) à fide quam vastabat, eique *vehementer aversus* (ecce impedimenta resistentia conversioni illius) repente est ad illam *gratia potentiore conversus*: ecce gratia convertens potentior concupiscentia

avertente eum à fide. Ecce ergo comparationem, non inter gratiam & gratiam, ut putabat Calvinus sed inter gratiam convertentem, & concupiscentiam avertentem, & non aliud. Quantum autem ad id quod addit Calvinus, & tribuit Augustino, scilicet: quod *ideo* non convertit obstinatos Deus, quia potentiorem illam gratiam non exerit Deus, qua non destituitur, si eam proferre vellet. Respondeo quod hoc non præjudicat gratiæ suffic. cùm etsi sit potentior quædam gratia, cùm qua homo ageret, si daretur ei, non tamen inde sequitur quod non sit alia minus potens, quæ sufficiens sit ad agendum, & cum qua homo ageret si vellet. Aliud enim est minus posse, & aliud non posse: primum non opponitur gratiæ suffic. sed secundum: unde cùm primum, tantum inferri possit ex argumento, & non secundum: ideo non præjudicat nobis: quia nempe ex eo tantum inferri potest absentia gratiæ efficacis, non vero sufficientis, ut per se manifestum est.

citatur ex cap. 3. reperi in c. 2. sub finem.

Verum ut falsam suam doctrinam confirmet Calvinus, sequente numero 2. quemdam adducit locum Augustini, ex libro 1. de Genesi contra Manichęos: ubi secundum verba, fere idem dicit ac quod ibi dicit Augustinus, sed multa interposita fraudulenter omisit, & in alio, & disparato sensu, ea quæ adduxit, exposuit: ibi enim loquitur Augustinus de voluntate illa absoluta, qua Deus fecit cœlum & terram, & tamen illius verba sumit Calvinus, quasi essent dicta de voluntate Dei absoluta prædestinandi aliquos ad vitam, & alios ad mortem sine ulla prævisione futuri sed solùm quia ita vult. Quod sane multum differt à voluntate creandi cœlum & terram de qua sola ibi loquitur Augustinus cùm nemo dubitet, quin Deus ex mera sua voluntate, & sine ulla prævisione futuri fecerit cœlum, & terram, multi vero dubitent, imò vero negent, Deum prædestinare homines ad vitam, aut ad mortem ęternam sine ulla pręvisione futuri: unde sine fraude non potuit, unus sensus pro alio substitui, ut hîc substituit Calvinus: sic enim ibi ait Augustinus. Si isti (scilicet Manichæi) dixerint; *quid placuit Deo facere cœlum, & terram* (ecce de quo hîc agitur non de salute hominum, ut prætendebat Calvinus: unde & sequens responsio debet intelligi de creatione illa cœli, & terræ & non de salute hominum) respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærunt, cùm voluntas Dei *omnium quæ sunt*, ipsa sit causa (hęc omnia omisit Calvinus, quia nimis aperte detegebant fraudem illius, qui volebat hunc locum intelligi de voluntate Dei circa salutem hominum, & sunt de voluntate Dei circa creationem rerum. Habet autem hęc pauca quæ sequuntur) si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere (sed quæ sequuntur prætermisit Calvinus ne detegeretur fraus ejus) qui ergo dicit; *quare Deus fecit cœlum & terram* (pro quibus hæc substituit Calvinus.

Cùm

Cùm ergo quæritur; cur ita fecerit Deus. Hæc intelligens de salute hominum, cùm loquatur tantum Augustinus de creatione rerum omnium & non de salute hominum & mox addit cum Augustino) Respondendum est ei quia voluit (rursus sequentia prætermisit Calvinus, ne detegeretur fraus ejus) *voluntas* enim *Dei causa est cœli & terræ*, & ideo *major est voluntas Dei, quam cœlum & terra* (ubi vides de quo formaliter loquatur Augustinus, scilicet de creatione cœli, & terræ & non de salute hominum, ut vult intelligi Calvinus) qui autem dicit *quare voluit facere cœlum & terram* (ubi adhuc vides de qua voluntate loquatur Augustinus : sed pro his verbis alia substituit Calvinus, ne detegeretur fraus ejus, dicens: quod si ultra pergas, rogando cur voluerit. Ubi vides mentionem non fieri de voluntate creandi cœlum & terram de qua loquitur Augustinus, & poni voluntatem Dei in genere : ut quod dicit Augustinus de voluntate creandi cœlum & terram, quæ est absoluta, & non supponens ullam prævisionem futuri, id intelligeretur de voluntate salvandi homines, aut damnandi eos in æternum sine ulla prorsus prævisione futuri, quod est contra sacram scripturam, & contra specialissimam mentem Augustini ut satis probavimus in disput. nostra de prædest. ad gloriam. Et deinde reliqua subdit quæ sunt apud Augustinum, quasi essent de voluntate salvandi, aut damnandi homines in æternum, cùm sint tantum de voluntate creandi cœlum, & terram, de qua dicit Augustinus quod qui quærit causam ejus) majus aliquid quærit quam est voluntas Dei, nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est non quærat, ne id quod est, non inveniat. Itaque fatemur hæc esse vera in ea materia, de qua ibi loquitur Augustinus, scilicet in materia de voluntate creandi cœlum, & terram, non vero in ea materia quæ est de salute hominum, ad quam perfidissime, ut & falsissime extendit illa Calvinus, & concedimus, illam voluntatem, de qua loquitur Augustinus, esse meram, & absolutam, & sine ulla prævisione futuri, non vero eam, de qua loquitur Calvinus, quasi videlicet voluerit Deus eadem voluntate mera, & absoluta, salvare, aut damnare homines in æternum, qua voluit creàre cœlum & terram, quod ut insanissime, ita & impiissime confictum à Calvino est, qui sine dubio per hoc voluit inferre Deum dare gratias sufficientes iis quos salvare vult, & iis eas negare quos non salvare, sed damnare vult, quod dicimus esse falsum.

§. II.

In quo quædam aliæ reteguntur fraudes, & confusiones Calvinianæ in exponendo vero sensu Augustini: ubi & explicatur quid sit esse vas honoris, aut contumeliæ secundum Augustinum.

QUantum autem ad illa, quæ habet numero 5. sumpta ex sermone 20. Augustini de verbis Apostoli cap. 3. 6. & 7. ubi ait Augustinus: tu homo expectas à me responsum, & ego sum homo. Itaque ambo audiamus dicentem: ô homo tu quis es: melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Quære merita non invenies nisi pœnam, quære gratiam: ô altitudo divitiarum: Petrus negat, latro credit, &c.

Respondeo ista non esse de prædestinatione ad vitam, aut ad mortem sempiternam, ut prætendit Calvinus, sed tantum de causa conversionis, aut perversionis hominis, quam bene dicit Augustinus esse nobis ignotam, & soli Deo cognitam. Id enim satis patet ex verbis Augustini supra relatis, cùm ait Augustinus: Petrus negat, latro credit. Numquid quia Petrus negavit, ideo damnatus est, non sane ille damnatus est, quem Christus dicit esse sessurum, & cum eo judicaturum duodecim tribus Israel, id est universitatem damnandorum, atque salvandorum: ergo non est ibi sermo de prædestinatione ad vitam, aut ad damnationem æternam, ut prætendit Calvinus, sed tantum de conversione, & perversione hominis, quarum causam fatemur nos ignorare cum Augustino, & esse soli Deo cognitam: quod non præjudicat gratiæ sufficienti, quæ potest dari conversis, & non conversis, non sic vero gratia efficax, quæ solùm datur conversis, & ideo penès Deum est, scire causam illius, cùm non detur universis: unde non dicitur ibi: cur Petrus potuit negare, & latro potuit credere, quod spectaret gratiam sufficientem, sed cur Petrus negat, & latro credit, quod solum spectat gratiam efficacem. Et præterea probatur ex ipsismet verbis Calvini, non esse ibi sermonem de prædestinatione ad vitam, & ad mortem sempiternam, ut prætendebat idem Calvinus: cùm dicat initio numeri illius quod ibi agebat contra Manichæos, & Celestinos, seu quod idem est Pelagianos: age, inquit Calvinus, adsit nunc aliquis Manichæus, aut Celestinus, &c. Atqui certissimum est, quod neque Manichæi, neque Celestini, seu Pelagiani, disputarunt unquam cum Augustino, de prædestinatione ad vitam, aut ad mortem sempiternam, sed tantum de libertate ad opus bonum, aut malum: illis contendentibus contra Augustinum, nullam esse in nobis libertatem, quia determinabamur ad bonum per animam bonam, & ad malum per animam malam, his autem volentibus libertatem nostram esse nimiam, ita ut

non indigeremus ad eam gratia in voluntate necessaria; quos confutavit omnes Augustinus volens esse in nobis aliquam veram libertatem ad agendum bonum, & malum contra Manichæos: & non esse nimiam contra Pelagianos, & sic habemus ex Calvino ipso, quod non locutus est Augustinus in textu nobis objecto, de prædestinatione ad vitam, aut ad mortem sempiternam, sed tantum de actu bono, & malo, seu, ut dicebamus, de conversione, & perversione hominis, quæ fiunt per collationem, aut negationem solius gratiæ efficacis non vero per collationem, aut negationem gratiæ sufficientis, quæ potest esse in non conversis, sicut est in conversis, & proinde ad eam non possunt pertinere ea, quæ ibi dicit Augustinus, cùm sint de tali gratia, quæ solùm est in conversis, & numquam in non conversis, id est de efficaci gratia.

Quantum autem ad locum illum quem numero 7. affert Calvinus ex Enchir. scilicet: saluberrime confitemur, quod & rectissime credimus, Deum, dominumque rerum omnium, qui creavit omnia valde bona, & mala ex bonis oritura præscivit, & scivit magis ad omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere, &c. bene vidit Calvinus quæ responsio ei daretur: scilicet quod quia ibi fit mentio de permissione divina, ut patet ex postremis verbis, potius id indicabat gratiam sufficientem datam reprobis, quam negatam: & proinde prędestinationem ad mortem non esse absolutam, & ante omnem prævisionem futuri, sed post prævisa peccata: unde cito it obviam, dicens num. 8. non dubitabo cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum esse quod ille voluerit, quemadmodum ea vere futura sunt, quæ præviderit. Bene quod ipse Calvinus faciendo difficultatem, solvit difficultatem, non aliam indicans asserere ibi necessitatem, quam consequentem, qualem dicimus esse in rebus futuris à Deo prævisis, etiam indifferentissimis, quæ necessitas non excludit gratiam sufficientem ad oppositum, sed solam efficacem, de qua non contendimus. Unde bene etiam infra affert in exemplum, lapsum Adami, qui sane, ut indifferentissimus fuit in peccando secundum Augustinum, etiam & tunc gratia sufficiente non caruit. Sed id, ùt & alia multa, corrupit Calvinus, non enim ibi ponit Augustinus necessitatem in voluntatibus, ut vult intelligi Calvinus; sed tantum in rebus externis, & materialibus, quæ Deus potest, sic & sic facere etiam hominibus invitis, ut in confesso est apud omnes. Loquitur enim ibi de creatione primi hominis, & quærit: an ita creatus fit, ut nunc homines, cùm in utero sunt matris suæ, an vero in juvenili ætate: quod, ut vides, est omnino externum, & materiale, & nihil prorsus pertinens ad voluntatem hominis, & proinde impertinens ad gratiam sufficientem, ut & ad prædestinationem ad vitam, aut ad mortem sempiternam.

caput ibi non citatur.

Hoc citatur ex lib. 6. de Genesi ad litt. cap. 15.

Numero 11. multos adducit Augustini locos, quibus bene probat, Deum nemini esse debitorem suæ gratiæ quod omnino concedimus, quia aliàs ista gratia non esset gratia, cùm esset meritis debita, sed hoc non impedit, quin detur omnibus, & singulis hominibus, ut gratuita, sed tantum non datur ut debita, quod facile concedimus.

Quando autem dicit Augustinus ibidem allegatus, quod Deus ex massa damnata alios facit esse vasa ad honorem, alios vasa ad contumeliam, prout vult: hoc non spectat gratiam sufficientem, sed tantum efficacem: nemo enim fit vas in honorem per illam gratiam, quæ nihil efficit: unde cùm gratia pure sufficiens nihil efficiat, sequitur quod non est illa gratia, de qua ibi loquitur Augustinus, & quam dicit Deum aliis tribuere, aliis vero negare, sed est gratia efficax, cui bene id tribuitur, & non alteri secundum Augustinum. Valde autem fallitur Calvinus, si putat Augustinum eos vocasse vasa in honorem, seu misericordiæ, quos Deus eligit ad gloriam, & ex hoc procurat eis gratiam. Vasa autem in contumeliam, seu iræ, quos eligit ad mortem, seu damnationem æternam, & ex hoc negat eis gratias sufficientes ad salutem, cùm è contra vocet eos Augustinus formaliter, & directe vasa in honorem, & misericordiæ, quibus impertiit justificationis gratiam, sive postea salventur, sive non, vasa autem in contumeliam, seu iræ, quibus non impertiit singularem istam gratiam, ut patet ex ipsamet Epistola 106. quam citat ipse pro se Calvinus: ubi solùm loquitur Augustinus de gratia, & non de gloria, seu de vita æterna: cùm enim ibi disseruisset de baptismo parvulorum contra Pelagianos, qui volebant gratiam justificantem solùm tribui merito actuum arbitrij, & tamen illi parvuli recipiebant illam in baptismo sine ullo merito suo arbitrario: sic ait: Augustinus: hoc diximus propter eos, qui non volentes *in causa gratiæ* (ecce loquitur de gratia ut de eo, quod est in causa, seu in quæstione, non vero de gloria) inscrutabilia Dei judicia perscrutari; cur ex Adam massa, quæ profecto ex uno in condemnationem tota collapsa est: illud vas faciat in honorem, illud in contumeliam, tamen audent parvulos, reos propriorum constituere peccatorum, ut qui bona, malave cogitare non possunt, putentur per liberum arbitrium, vel pœnam mereri posse, vel *gratiam* (non dicit gloriam, aut vitam æternam, quia quæstio non erat de merito gloriæ, sed de merito gratiæ, quod volebant Pelagiani astruere, & Augustinus volebat destruere, ut gratia esset gratuita, & non meritis reddita, prout infra declarabit expressius) cùm potius Apostolica veritas dicendo: ex uno omnes in condemnationem: satis ostendat, quòd nascantur in pœna (non sane in pœna inferni, ut per se manifestum est, sed in peccato originali, quod sæpe vocat Augustinus peccatum, & pœnam peccati) ut non merito (ecce quod rejiciebat, scilicet meritum baptismi, seu justificatio-

nis, ut mox sequitur) sed misericordia *renascantur in gratia*. Id est baptisentur, in gratia, seu per baptismum, quæ est secunda hominis nativitas, consequantur gratiam: ecce ergo de quo formaliter agebatur: scilicet de gratia justificante, ut gratuita, & non meritis reddita, ut expresse mox sequitur cum addit.) alioquin gratia jam non est gratia, si non divinis operibus gratis datur, sed humanis meritis redditur. Quæ sola sic discernit à pœna (id est à peccato originali; quod est ita peccatum, ut sit etiam pœna peccati, à quo nos absolvit baptismus, & proinde nos discernit ab habentibus illam maculam, seu pœnam peccati) ut cùm pœna (illa) sit ex Adam omnibus debita, *gratia* vero per unum Jesum Christum nulli debita (ex quo patet non ibi esse sermonem de vita æterna quæ debita est beatis accipientibus illam, ut perpetuo docent scripturæ) sed gratuita, ut vere sit gratia, inscrutabilia judicia Dei tanquam Deus esse possint. Et sic, totum ibi est de gratia primę justificationis, quam qui habent, vocat Augustinus vasa in honorem, seu misericordiæ, qui non habent, vocat vasa in contumeliam, seu iræ: sed non in hoc solo loco sic loquitur Augustinus de vasis illis sed & in aliis multis locis quos noto in margine sed præcipue libro 1. ad simplic. quæst. illa 2. quæ tota est de gratia, longe post medium, ubi funditus tractat illam materiam de prædictis vasis: in qua multi hallucinati sunt, non satis discernentes, id quod formaliter, & directe respicit Augustinus in vasis illis, ab eo quod accidentaliter, & extra propositum dicit de illis. Certè cùm formaliter, & directe loqueretur Augustinus de gratia contra Pelagianos in prædicta Epistola, & in aliis suis contra eos operibus, nullomodo excusandus venit Calvinus, & alij, qui prædicta vasa in talibus operibus aliter interpretantur, quam de gratia justificante, ut gratuita, & volunt ea intelligi de prædestinatione ad gloriam, aut ad mortem sempiternam, quod non aliunde procedit quam ex negligente, & oscitante lectione Augustini, si non proveniat ex præventione animi.

Libro 5. contra donatistas c. ultimo ante med. lib. 1. de nupt. cap. 18. l. 1. ad Bonif. c. 20. in fine & lib. 2. ante med. & lib. 4. cap. 6. in fine & D. Prosper in responſ. ad 8. object. Gallorum in fine: dicit vasa misericordiæ fieri ex vasis iræ: quod si hæc vasa, intelligerentur de prædestinatis, & reprobis respectu gloriæ, esset falsissimum: cùm reprobi numquam fiant prædestinati, nec hi umquam fiant reprobi.

§. III.

In quo quædam aliæ reteguntur hallucinationes Calvini : et est aliquid de libro D. Augustini de corrept. et gratia, quod est valde notabile.

NUmero 13. multa habet ex Augustino ut probet suam, prædestinationem ad vitam, & ad mortem sempiternam, non evertere exhortationes ad bonum, & ad virtutem : sed alia est prædestinatio Augustini, quæ præsupponit præscientiam meritorum bonorum, aut malorum, ut late demonstravi toto libro de prædestin. ad gloriam, & alia est prædestinatio Calvini quæ nihil præsupponit ante se, sed est absoluta & ferrea, & per se assumptiva mediorum determinantium hominem prædestinatum ad finem suum consequendum : quo posito nullus amplius restat exhortationi locus, cùm tunc sit munus proprium Dei exequi suum decretum, quod fecit independenter à prævisione actionum, & cùm velit illud exequi per determinationes impositas arbitrio, quibus absolute non potest resisti. Unde non bene arguit Calvinus, à prædestinatione Augustini, ad suam, cum sint diversissimæ, imo & adversissimę. Sed unum obiter notavi : quod consulit Calvinus initio hujus numeri lectionem libri de corrept. & gratia ad consolationem, ut ait piorum, qui terrentur hac sua prædestinatione ferrea, non aliam sane ob causam; quam quia ille liber difficillimus (ex quo ferè omnes qui contra Ecclesiam scripserunt, specialia sua arma sumpserunt) potius aptus est ad subversionem eorum, qui non legerunt præcedentia Augustini opuscula, quam ad ędificationem illorum, de quo opusculo dici potest, id quod olim dicebat D. Petrus de Epistolis D. Pauli : scilicet quod ibi sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem : propter quod statui (si Deus faverit) aliquando dare commentarium continuum in librum illum, & in duos sequentes, quia ut plurimum hi tres leguntur, & non alij, & putant multi ex hac sola lectione se posse assequi veram mentem Augustini de prædestinatione, & gratia : in quo gravissime falluntur, & utinam illi soli fallerentur, debitas suæ negligentiæ pœnas æquissime luerent, sed & decipiunt alios jactantes se legisse Augústinum, & non legerunt, cùm hæc tria opuscula nequidem sint centesima pars scripturæ Augustinianæ, quæ tota legenda, & relegenda est idque multoties, & attente ut illorum trium opusculorum verus sensus acquiratur, qui omnino supponit antecedentia esse cognita, ut ipse capiatur, cùm hi sint postremi Augustini libri. Sed de his aliàs, nunc pergamus ad sequentia.

Numero 14. Vaferrime loquitur Calvinus, miscendo quædam vera cum falsis, ut utraque simul concludat: verum quidem est, quod aliqua profert Augustinus lib. de dono persev. cap. 22. quę dicit esse vera secundum se, modo tamen enuntiata non accommodato ad bonum, & profectum audientium: sed non sunt ea quæ ibi adducit Calvinus, scilicet: vere dici: si ita quis plebem compellet: si non creditis, ideo fit, quia jam divinitus exitio destinati estis: & : non sunt credituri, qui audiunt, quia reprobati sunt. Hæc enim numquam sive ibi, sive alibi dixit esse vera Augustinus, imo vero alicubi indicavit contrarium: scilicet lib. de gr. & lib. arb. cap. 12. circa init. ubi ait de quibusdam qui non credebant in Christum: quod gratiam repellebant, & in Christum *propterea non credebant*. Id tribuens humanæ pervicaciæ, & non reprobationi divinæ, ut supra id tribuit Calvinus, quod ita falsum, & absurdum est, ut nemo præter eum, & ejus similes id dicere potuerit: cùm nemo nesciat multos Christianos reprobos esse, & tamen in Christum credidisse: quia licet reprobatio incompossibilis sit cum perseverantia in bono, non tamen cum fide, aut etiam justitia temporaria. Unde prædictæ propositiones Calvinianæ sunt falsæ. At vero propositiones, quas in cap. supracitato profert Augustinus, longissime sunt ab eis diversæ: prima, quam non in totum approbat Augustinus, sed in aliquo damnat, ut videbimus, est hujusmodi. Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem: cæteri autem qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adjutorium gratię miserantis erexit. Ubi nihil prorsus. Habetur de reprobatione tanquam de causa infidelitatis aliquorum ut volebat Calvinus, sed simpliciter sermo est de prędestinatione ad fidem, ob quam creditur, & de negatione efficacis gratię fidei, ob quam perseveratur in infidelitate, ut ex terminis clarum est. Quanquam postremam partem postea reformat Augustinus dicens: nec illud quod sequitur est omnino dicendum: cæteri vero qui in peccatorum delectatione &c. & voluit dici: si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. Ubi tantum abest quod sit contrarius gratiæ sufficienti, quin potius eam, statuit, cùm hortetur tales peccatores ad apprehendendam disciplinam Christianam, quod stultum prorsus esset, si non possent, & per hoc non haberent gratiam sufficientem. Altera propositio est ejusmodi. Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis. Quam sic reformat ibidem Augustinus dicens: quid enim sententiæ (scilicet veræ & orthodoxæ) deperit, si ita dicatur: si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia remanebunt. Ubi vides rescissam illam partem præcedentis propositionis quæ erat con-

tra gratiam sufficientem, & pro opinione Calvini de subtractione gratiæ sufficientis ob reprobationem: scilicet: si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis: & voluit in hæc verba mutari: temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia remanebunt. Quæ solum indicant negationem gratiæ efficacis non vero sufficientis: quia nempe numquam voluit Augustinus in sua prædestinatione, aut reprobatione negari gratiam sufficientem, sed tantum efficacem. Unde solum dicit in propositione illa sua, quam approbat: temporales *sunt*, nec usque in finem in eadem obedientia *permanebunt*. Solùm ponens negationem actus, non vero potentiæ, & proinde solùm indicans negationem gratiæ efficacis, quæ est ad actum existentem, non vero gratiæ sufficientis, quæ est ad posse, & quæ dat potentiam, & vires sufficientes ad agere. Ex quo manifestum est, quam impudenter in his mentitus est Calvinus, ut id probari ulterius non indigeat.

Multa autem similia postea congerit idem Calvinus, quæ sunt de gratia efficaci negata aliquibus, non vero sunt de gratiâ sufficiente, cum sint de actu, & non de potentia, & ideo ea negligimus, ut contra intentionem nostram nihil efficientia. Verùm, est aliquis ibi locus inter alios, ubi loquitur Augustinus de posse, & ideo pertinere videtur ad gratiam sufficientem: dicit enim ibi Augustinus: voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Respondeo quod illud: non posse resistere Deo volenti aliquid facere in nobis, non est contra gratiam sufficientem, quia bene stat, quod aliquis vere possit aliquid, & tamen quod potentiori, qui vellet eum impedire, resistere non possit V. G. quilibet homo sanus potest currere, loqui, & alia hujusmodi, & tamen certum est, quod potentior eo, potest, ne ea omnia faciat, impedire, sine præjudicio tamen suæ veræ potentię quamdiu actu non impeditur. Unde hoc non est contra gratiam sufficientem: sed quia potest exponi contra gratiam indifferentem, ideo dicendum est: Deum quidem indicari ista posse, sed non per gratiam determinantem, sed per gratiam indifferentem, quam prævidit effectum habituram, si detur. Tot enim sunt gratiæ in manu Dei, ad quemlibet actum dandæ, ut impossibile moraliter sit, quin aliqua earum effectum habitura sit, si detur, & sic per illam nos faciat agere Deus secundùm intentionem suam, non quidem necessario, sed infallibiliter ex prævisione futuri. Unde isti potentiæ sæpe adjungit Augustinus præscientiam: sic libro 1. ad simplic. quæstione 2. ante med. dicit: quod nullius Deus frustra miseretur (sed quomodo, sic exponit dicens) cujus autem *miseretur*, sic eum vocat, quomodo *scit* ei congruere, ut vocantem non respuat. Et lib. 14. de civit. Dei cap. 26. cum locutus fuisset de peccato Angelorum, & Adæ, qui sane indifferentissimi fuerunt in peccando: postquam pręmisisset Dei præs-

præſcientiam, poſtea ſubdit omnipotentiam, dicens ſub finem capitis: ita factum eſt, ut *nec Deum aliquid lateret futurorum, nec præſciendo* quemquam peccare compelleret, & quid intereſſet inter propriam cujuſque præſumptionem, & ſuam tuitionem (per gratiam) Angelicæ, & humanæ rationali creaturæ conſequenti experientia demonſtraret, *quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate fuiſſe.* Et tamen certum eſt, quod id tantum poterat Deus (via ſc. ordinaria, de qua loquitur ibi Auguſt.) per gratiam indifferentem, cùm ut talem explicaſſet gratiam eorum in eodem capite: ſed per præſcientiam premiſſam, bene ſciebat Auguſtinus, quod Deus poſſet omnia per illam, etiam in voluntatibus liberrimis, atque indifferentiſſimis, quales proculdubio fuerunt, voluntates Angelorum, & primorum hominum ſecundum Auguſtinum. Et tandem libro 1. operis imperf. cap. 92. ſic exprimit eamdem Dei omnipotentiam, ut per prædictam præſcientiam directam dicens: abſit ut impediatur ab homine, *omnipotentis, & cuncta præſcientis* .... intentio. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, illam omnipotentiam divinam cui non poſſumus reſiſtere ſecundum Auguſtinum, ita explicandam eſſe, ut non præjudicet indifferentiæ humanæ, ut nec ſufficienti gratiæ. Ex quibus etiam ſolvuntur ea, quæ conſequenter ibi adducit Calvinus, quæ ſunt de gratia efficaci, & non de ſufficienti, cùm habeat effectum, & ideo non ſunt ad propoſitum. Cùm autem illa gratia efficax, ſit propria ſalvandorum, non eſt mirum, quod dicat Auguſtinus, illam Deum eſſe conceſſurum iis, qui ſunt prædeſtinati ad vitam æternam, quod non magis indicat, prædeſtinationem ad vitam æternam eſſe cauſam iſtius gratiæ, quam iſtam gratiam, ut cum effectu conjunctam, eſſe cauſam prædeſtinationis ad vitam, cùm utrumque poſſit dici, ſed ab hac quæſtione ibi abſtraxit Auguſtinus, cùm non eſſet ad ſuum propoſitum, quandoquidem ibi ſolum diſputabat ex profeſſo de prædeſtinatione ad gratiam contra Pelagianos, qui eam directe oppugnabant, non vero de prædeſtinatione ad vitam æternam, de qua nihil diſceptabant: unde nullam ibi appoſuit cauſalem Auguſtinus, ex qua conjicere liceret; an prædeſtinatio ad gloriam eſſet cauſa meritorum, an vero merita eſſent cauſa prædeſtinationis ad gloriam, ſed meram connexionem, quæ inter iſta intercedebat, indicavit, cùm hoc ſufficeret ad ſuum propoſitum.

Hoc ſumptum eſt ex lib. de corrept. & gr. cap. 14.



§. IV.

In quo clare explicatur quidam locus difficilis Augustini à Calvino in pravum sensum detortus.

CApite 24. sequente pauca habet Calvinus ex Augustino contra gratiam sufficientem, eaque ut plurimum fundata in errore suo ordinario, quo perperam interpretatur, id quod dicit August de gratia efficaci, quasi esset dictum de gratia sufficiente, quod valde falsum, & absurdum est: quosdam autem locos ibi citatos jam explicuimus in objectione 9. reliquos hîc explicabimus.

Sub finem ergo numeri primi, profert hunc locum Augustini ex cap. 31. Enchiridij, ubi dicit Augustinus exponens locum illum Apostoli: non est volentis, neque currentis sed miserentis Dei. Quod si nihil aliud voluit Apostolus, nisi non esse solius volentis, aut currentis, nisi adsit misericors Dominus: retorquere è converso licebit, non solius esse misericordię, nisi adsit voluntas, & cursus: quod rejicit ibi Augustinus.

In nostris codicibus est cap. 32.

Respondeo nihil ibi respexisse Augustinum quod pertineret ad gratiam determinantem, aut sufficientem, sed tantum quod pertinebat ad gratiam prævenientem, ut præveniens est, quam ibi formaliter defendebat contra adversarios gratiæ: ibi enim agebat contra Pelagianos, qui volebant actionem hominis esse ante gratiam Dei, & dicebant illam actionem meri nostri arbitrij incipere meritum, non vero ipsam gratiam prævenire, & incipere meritum hominis, qui erat error peculiaris Juliani, & posteriorum cum eo Pelagianisantium. Hoc clare patet ex initio illius capitis, ubi ait Augustinus. Ne quisquam (scilicet Pelagianus) & si non de operibus (totalibus) *de ipso glorietur lib. arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi ipsa libertas*, audiat eumdem præconem dicentem: Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate (quam phrasim tractatu de indifferenti &c. ostendimus solùm significare præventionem gratiæ ut sic) & alio loco: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (quæ adhuc phrasis solùm significat præventionem gratiæ, ut ibidem explicuimus, & probavimus ex Augustino) cùm proculdubio, si homo ejus ætatis est, ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, *nisi velit*, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, *nisi voluntate cucurrerit.* Quæ phrases manifeste indicant cooperationem arbitrij, seu dependentiam actionis bonæ à voluntate hominis, ut ostendimus in eodem tract. parte 2. argum. 8. 9. 10. 11. & proinde patet ibi esse gratiam indifferentem, & sufficientem cum exprimatur per possit, & per nisi velit, & per nisi voluntate cucurrerit, quod idem est, ac si diceretur: potest homo credere, sperare, diligere, si velit, qua phrasi communiter expli-

Parte 2. sect. 6 §. 2.

Ibidem §. 3. in explicatione verbi misereri.

cat Augustinus gratiam Adæ sufficientem, & indifferentem, ut nimis in confesso est apud omnes. Quod autem prædicta propositio Augustini ita exponi debeat, patet, cùm indicet tempus in quo solo id potest homo, scilicet cùm est in ea ætate, in qua ratione utitur: tunc ergo potest per gratiam indifferentem, & sufficientem & non per merum liberum arbitrium, ut volebant Pelagiani, quod tamen non faciet, *nisi velit, & nisi voluntate cucurrerit*, quod sane rejicit omnem determinationem alienam à voluntate nostra bene operante, ut per se manifestum est. Ex quo patet quam absurde ex verbis in objectione allatis, & à nobis explicatis intulerit Calvinus: quod dubitare non debemus: omnia misericordiæ Domini dare, *nostris autem voluntatibus, aut studiis nihil relinquere*: cùm hoc sit damnatum ab Augustino per verba mox explicata cum ait quod homo non credit, non sperat, non diligit, *nisi velit & nisi voluntate cucurrerit*, imo est alibi execratum ab Augustino, tanquam calumnia detestabiliter sibi imposita, ut satis demonstravimus in prędicto tractatu parte 2. argum. 70. unde non ideo non vult inverti propositionem supradictam, quia homo non concurrit libere cum Deo, sicut Deus concurrit libere cum homine, ad opus bonum, quasi videlicet bonum opus non penderet ab homine sed solùm à Deo omnia omnino in nobis faciente, nihil nobis ibi libere agentibus, ut vult Calvinus, sed ideo solùm quia sciebat, Apostolum per istam phrasim astruere gratiam prævenientem, & pręexcitantem arbitrium: unde si permisisset hanc propositionem inverti, per hoc admisisset, arbitrium præcedere aliquando, & promereri eam, ut volebant isti Pelagiani contra Catholicam gratiæ prævenientis, & necessariæ doctrinam, unde totum quod postea sequitur in textu, est de præveniente gratia, ut de ea, de qua ibi agebatur formaliter, & de subsequente, tantum occasionaliter: sic enim ait consequenter. Quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, *nisi quia & ipsa voluntas*, sicut scriptum est, *à Deo præparatur* (id est prævenitur: ut alibi explicatum est. Ubi vides, istius propositionis Apostolicæ, nullam aliam velle Augustinum causam afferri, nisi præcessionem gratiæ ante voluntatem, seu, quod idem est, nisi pręparationem voluntatis per gratiam. Ex qua assertione mox infert non posse retorqueri, seu inverti propositionem illam: per hoc clare indicans, non aliam ob rationem eum negare istam inversionem, seu retorsionem posse fieri; nisi quia pro gratia præveniente arbitrium, poneretur arbitrium aliquando præveniens gratiam, quod non esset Catholicum, cùm, secundum fidem Catholicam, gratia semper debeat prævenire arbitrium) alioquin si propterea dictum est: non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, & misericordia Dei (promiscue, & indiscriminatim: ita ut una aliquando præcedat, aliquando altera: unde & hic præmittit voluntatem hominis ante gratiam Dei, ut magis pateat

Tract. de indiff. renti &c. sect. 6. §. 1.

absurditas dicens, ut vidimus: ex voluntate hominis, & misericordia Dei, ubi gratia, seu misericordia Dei posterior est) ut sic dictum accipiatur (ecce amplius explicatur absurdum) non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: tanquam diceretur: non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei (id est nisi ei præcedenti adjungatur misericordia Dei, quod illa particula, etiam, valde clare designat, in quo casu gratia Dei esset solùm adjuvans, & subsequens, ut volebant isti Pelagiani, sed non etiam semper excitans, & præveniens, ut volebat Augustinus: in quo sensu absurdo sumenda sunt etiam sequentia verba) non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis (quæ scilicet adjuvetur, cùm non possit esse adjuvans, ut sic, sine adjuto, nec adjutum sine adjuvante sibi necessario: unde admittebant isti Pelagiani dependentiam reciprocam voluntatis, & gratiæ, ita ut voluntas non posset perficere opus bonum sine gratia, nec gratia sine voluntate: unde & admittebant gratiam esse adjuvantem, non vero præexcitantem, & per hoc non prævenientem, de quo late reprehenduntur libro 1. ad Bonif. cap. 19. & sequentibus: nos priora tantum verba prædicti capitis adferemus, ut ad elucidandam hanc veritatem sufficientia: vos, inquit, in bono opere *sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus* ad ipsum bonum opus *voluntate nihil eam credatis operari.* Ubi clare vides, eos admisisse solùm gratiam adjuvantem, & præsupponentem conatum voluntatis humanæ sine gratia Dei, non vero etiam excitantem, seu prævenientem admisisse: de quo ideo hîc reprehendit eos Augustinus, cùm dicit, aut innuit, eos velle supraallatam Apostoli propositionem posse retorqueri, & inverti, ut scilicet indicet Apostolus tantum mutuam, & promiscuam dependentiam hominis, & Dei, in perficiendo bono opere, non vero dependentiam hominis à Deo perpetuam non reciprocam in excitanda ejus voluntate, quod dicit abhorrere ab omni sensu Catholico, & dicit esse damnatum ab omni viro Christiano ut sequitur) porro si nullus Christianus dicere audebit, non est miserentis Dei, sed volentis est hominis (quia tunc admitteretur quod arbitrium aliquando prævenit gratiam, sicut gratia prævenit arbitrium) ne Apostolo apertissime contradicat: restat ut propterea recte dictum intelligatur: non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat (id est prævenit) adjuvandam, & adjuvat præparatam (id est, utrumque facit, & prævenit voluntatem, antequam se determinet ad agendum, & adjuvat eam, cùm se determinat ad agendum, & non unum solum eorum facit, scilicet, eam adjuvare cùm se determinat ad agendum: quasi posset aliquando se convertere ad Deum sine Deo, ut volebant prædicti Pelagiani, quærendo, petendo, & pulsando ad Deum sine Deo: unde & in sequentibus nihil aliud frequentius inculcat quam præventionem debere esse à gratia, & non à lib. arbitrio, ut id quod dire

Vide etiã librum 2. ad Bonif. c. 8. usque ad finem libri ubi idem corũ error clarissime explicatur ut dicimus.

ête ibi contendebat contra adversarios, dicens) præcedit enim *bona voluntas hominis* multa Dei dona (V. G. voluntas credens, voluntatem sperantem, & diligentem Deum, & proximum) sed *non omnia* (quia non præcedit seipsam, ut credentem in Deum, cùm fides sit primum donum Dei, & per hoc ante omnia merita, & opera arbitrij: unde & sequitur) *quæ* autem *non præcedit ipsa, in eis est, & ipsa.* Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis (ecce quomodo vult gratiam non esse solùm adjuvantem seu solùm subsequentem, ut volebant isti errantes, sed etiam semper excitantem, & prævenientem arbitrium, quod nolebant isti errantes) *&* misericordia ejus *præveniet* mè, & misericordia ejus subsequetur me: nolentem *prævenit*, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit. Et paulo post. Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia ejus *præveniat* eos, sicut *prævenit* & nos: oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos. Ubi solùm vides contendere Augustinum, ut gratia Dei præveniens, seu excitans, admittatur ab istis hæreticis, sicut gratia adjuvans, & subsequens admittebatur ab eis. Et hæc sola fuit ratio, propter quam noluit inverti, seu retorqueri prædictam Apostoli sententiam: ne sicut in forma sub qua enuuciabatur ab Apostolo, significabat gratiam prævenire voluntates hominum, ita si inverteretur, seu retorqueretur, significaret è contrà voluntates nostras prævenire aliquando gratiam Dei, quod favebat istis hæreticis solam gratiam adjuvantem, seu subsequentem admittentibus, & non etiam prævenientem: quod & alibi explicat per aliam phrasim sibi satis ordinariam, agens contra eosdem hæreticos: ubi postquam retulisset supradictam sententiam Apostoli Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: sic ait: *non* ergo *ideo* misertus est Deus, *quia voluit*, & cucurrit Jacob (quod indicaret gratiam esse solum subsequentem, & non etiam prævenientem) sed *ideo voluit*, & cucurrit Jacob, *quia misertus est Deus*: quod indicat gratiam, seu misericordiam Dei esse prævenientem, unde & sequitur) *paratur* (id est prævenitur) enim voluntas à Domino, & à Domino gressus hominis dirigentur (per gratiam antecedentem) & (deinde) viam ejus volet. Et ita ibi sunt omnia de præveniente gratia ut sic, non vero de gratia determinante nos ad unum, seu de tali gratia, per quam Deus faciat omnia in nobis, & nihil relinquat voluntatibus, & studiis nostris, ut præcipitantissime sicut & ignorantissime asseruit Calvinus: præcipitantissime quidem, cùm in eodem ipso loco, ubi non vult Augustinus inverti, seu retorqueri propositionem Apostoli, formaliter indicet Augustinus cooperationem liberam, & indifferentem arbitrij: cùm ibi formaliter dicat Augustinus: quod *non sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis.* Et paulo post reddens rationem, cur non recte diceretur: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis: sicut recte dicitur: non est volentis hominis, sed miserentis est Dei: mox addit: quia id misericordia Dei *sola non im-*

Apud Bedam in prædicta verba Apostoli in repetita ejusdem lectionis explanatione citat id ex lib. 1 contra Julian.

plet. Per hoc indicans, relinqui aliquid voluntati, & ſtudio hominis, cùm non ſola miſericordia, ſeu non ſolus Deus ibi faciat omnia, ut dicebat Calvinus. Quod ſi reſpondeatur per id intellexiſſe Auguſtinum ſolum concurſum phiſicum arbitrij, quem Deus ſinit nobis intactum. Reſpondeo, ſolum concurſum phiſicum non ſufficere ad faciendam illam dependentiam, quam indicat Auguſtinus actionis Dei ab actione hominis per hæc verba non ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis: & per iſta: non poteſt homo credere &c. niſi velit, niſi voluntate cucurrerit: & per iſta: ſola miſericordia Dei hoc non implet: nam hæc indicant eam indigere homine conſorte, ut id impleat. At ſi gratia Dei, determinat, & neceſſitat, & prorſus ſibi ſubjicit voluntatem humanam, ut vult Calvinus; quomodo indigebit ea ut operetur, quandoquidem hoc poſito, tota operatio ejus phiſica pendet à gratia, ut ſit, aut non ſit, & ut talis, aut talis ſit. Unde eſt quod nihil reputat Auguſtinus operationem phiſicam noſtræ voluntatis, quando mere phiſica eſt, & ab alio determinata. Ut patet in duabus ejus operationibus, quarum prima eſt in gratia excitante, quæ eſt operàtio vitalis noſtræ voluntatis. De ea enim loquens Auguſtinus lib. de gr. & lib. arb. cap. 17. dicit Deum eam operari in nobis *ſine nobis*. Altera eſt, beatitudo æterna,: quæ conſiſtit in actibus vitalibus intellectus, & voluntatis: loquens enim de ea homilia 14. ex 50. cap. 2. ſub nomine mercedis æternæ, & alibi, ut notavimus in tract. de indifferenti &c. parte 2. ſect. 7. dicit, *nihil* nos agere in ea, licet phiſice tamen ibi agamus. Ergo cùm hîc in bono opere agnoſcat Auguſtinus, quod non ſufficit ſola miſericordia Dei, *ſi non ſit etiam voluntas hominis* (agens cum ea) & quod *ſola* miſericordia Dei bonum non implet: manifeſtum eſt, quod per hoc indicat, ibi aliquid requiri à nobis præter concurſum phiſicum, ſcilicet liberam, & indifferentem cooperationem noſtram. Ex quo manifeſtum eſt quod voluit Auguſtinus in bono opere aliquid relinqui voluntati, & ſtudio hominis, prẹter concurſum phiſicum ſui arbitrij, ſcilicet liberam, & indifferentem cooperationem ejus in bono opere quod præcipitantiſſime, ut dixi, negaverat, Calvinus.

Sed ſane non minus, inſcitè, & ignoranter: id aſſeruit. Tum quia non novit, de qua gratia ibi ſermo erat, cùm in initio capitis ſatis monuiſſet Auguſt. ſermonem ibi eſſe de gratia initiante, ſeu prẹveniente actũ bonum, non vero de gratia totum faciente in homine, ut perperam putavit Calvinus. Tum etiam quia toties inculcat Auguſt. in illo capite: gratiam non eſſe tantum ſubſequentem, ſed etiam præparantem, ſeu prævenientem, ut per hoc ſatis indicarit mediocriter intelligentibus, ibi ſe ſolùm agere contra aliquos, qui jam admittebant gratiam ſubſequentem, ſed non etiam prævenientem, & ſic tantum ibi ſermonem eſſe de excitatione ad bonum opus à Deo, non vero de totalitate productionis ejus; an eſſet à Deo ſolo & non etiam ab homine. Tum denique quia craſſe ignoravit Calvinus, Auguſtinum ali-

bi aperte declarasse se admittere studium voluntatis humanæ in bono opere, imo asseruisse, illud studium expectari debere ab humana voluntate. Quod si saltem legisset Calvinus omnia Augustini opuscula contra Pelagianos, non tam stupide, & ignoranter de Augustiniano sensu locutus hîc fuisset: cùm in iis vidisset, quod queritur Augustinus de Juliano libro 4. contra eum cap. 8. tanquam de calumniatore, eò quòd diceret, ut hîc dicit Calvinus, eum asseruisse, nihil studij expectari debere ab humana voluntate; *Calumniaris*, inquit, *me dicere: nihil studij expectari ab humana voluntate debere.* Sic deputans calumniæ, id quod hîc tam asseveranter dicit de eo Calvinus, tanquam indubitatam partem ejus doctrinæ: tantum enim abest, ut Augustinus voluerit Deum, aut gratiam ejus, à nobis auferre voluntates, & studia: seu, quod idem est nihil nostris voluntatibus, & studiis relinquere, quin potius asseruit formaliter contrarium: nam libro 1. ad simplic. qu. 2. ait: quod Deus ipse *tribuit, & largitur nobis, ut sit nutus voluntatis, & industria studij.* Quid autem magis contrarium est quam dare, & auferre, quam dare nutum voluntatis, & industriam studij, & nihil ex his relinquere: certe primum dicit Augustinus ut clarum est & Calvinus vult eum dicere secundum. Ergo calumniatur Calvinus, sicut & Julianus, cùm dicit: Augustinum omnia misericordiæ Domini dare, nostris autem voluntatibus, aut studiis *nihil relinquere.* Sed de his satis, pergamus nunc ad reliqua quæ pauca sunt.

Tandem numero 13. volens probare Calvinus quod gratia aliquos vocat, alios præterit: citat pro se Augustinum dicentem, ut ipse ait: posset Deus malorum voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens est, posse plane; cur ergo non facit, quia noluit, cur noluerit, penes ipsum est. Hoc citatur ex libro 2. de Genesi ad litt. cap 10 sed legi caput istud cum duobus antecedentibus, & consequentibus, imo legi caput 10. primi, & secundi libri, ne forte error irrepsisset in citationem libri, & nihil hujusmodi reperi: quapropter solutionem specificam isti objectioni adhibere non potui. Verùm generaliter dico, locum illum nihil habere contra gratiam sufficientem omnibus, & singulis datam, cùm sit solùm de gratia efficaci, seu de ea gratia singulari, quæ habet effectum, ut patet ex his verbis: cur non facit: id est cur non convertit: quod indicat actum existentem, & proinde indicat gratiam efficacem, & non mere sufficientem, quæ abstrahit ab actu, & indicat potentiam. At vero perlibenter concedimus, gratiam efficacem non dari omnibus, & singulis, sed negari aliquibus ex voluntate divina, non tamen ita absoluta, ut non prius supponat, aliquod peccatum in homine, propter quod ea indignus habeatur, seu propter quod ea privari mereatur juxta constantissimam Augustini doctrinam quam probavimus in disput. nostra de prædest. ad gl. parte 2. sect. 3. §. 2. puncto 7. & in tract. de indifferenti &c. parte 2.

argum. 77. ſub finem: unde etiam nemo conqueri debet quod tali gratia privetur, cùm ea numquam privetur, quin ea privari prius meruerit hinc eſt quod iſtam privationem ſemper refert Auguſtinus ad judicium, pœnam, & ſupplicium, ut ibidem notavimus. Sed de illa gratia, hic non loquimur, ſed de ſola ſufficiente, de qua cùm non loquatur ibi Auguſtinus, ideo dicimus locum iſtum, ſeu objectionem ex illo ſumptam, non eſſe ad propoſitum.

Ecce totum quod reperi in duobus prædictis capitibus Calvini, quod quomodolibet poſſet opponi contra gratiam ſufficientem omnibus, & ſingulis datam juxta doctrinam Auguſtini.



DE



DE NECESSARIA AD SALUTEM
GRATIA,
OMNIBUS ET SINGULIS
DATA,
SECUNDUM AUGUSTINUM.

PARS SECUNDA.

Quæ est de illa gratia in specie.

SECTIO PRIMA.

Quæ est de fidelibus, seu Christianis; quomodo habeant gratiam necessariam, seu sufficientem ad salutem.

POST probatam primam partem hujus tractatus, in qua demonstravimus: quod gratia sufficiens in genere, datur omnibus; & singulis hominibus, nunc tempus est, ut transeamus ad secundam partem, & monstremus: quomodo illa gratia in specie detur omnibus, & singulis hominibus, seu, quod idem est, quomodo communicetur diversis quasi hominum speciebus, & earum singulis: V. G. quomodo communicetur fidelibus, seu Christianis, quomodo infidelibus, seu Paganis, quomodo Judæis, & Hæreticis. Denique quomodo ipsis parvulis ratione non utentibus. Hæ enim diversæ quasi species, diversas habent

difficultates, quas enodare oportet, tot, & diversis conclusionibus, quot & diversæ illæ sunt. Quare sit.

Prima conclusio: Deus omnibus, & singulis fidelibus, seu Christianis dat gratiam sufficientem ad salutem, specialiter ob fidem, & per fidem illorum, ita ut nullus Christianus diffidere debeat auxilio divino, in quacumque tribulatione, seu tentatione positus sit. Quod enim Deus eos ob fidem illorum, seu ut fideles, & Christianos singulariter protegat, & eis provideat de mediis sufficientibus ad salutem, præterquam quod toto tract. 109. in Joann. clare asserit Augustinus Christum pro iis omnibus, tam præsentibus, quam futuris singulariter orasse; & per hoc singulares eis gratias saltem sufficientes obtinuisse, cùm oratio ejus non potuerit non exaudiri à patre suo propter ejus reverentiam: facile adhuc probari potest multis illius testimoniis: sic enim alloquitur quemlibet Christianum scribens in Psal. 39. in hunc versiculum: jacta super Dominum curam tuam, &c. qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es, quod voluit ut esses. Jam enim *fidelis es*, jam ambulas in via justitiæ, curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos, te jam *justum ex fide viventem* negliget, deseret, dimittet: imo vero, & *hìc fovet, & hìc adjuvat, & hìc necessaria subministrat* (in quibus est gratia sufficiens) *& noxia resecat: dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas, Dominus curam habet tui* securus esto, *ille protegit qui te fecit* (at omnes fecit, & singulos: ergo protegit omnes, & singulos Christianos) ab artificis tui manu noli cadere, si cecideris jam à manu artificis frangeris: ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit. Et infra *nusquam tibi deest* tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse. Et in Psalm. 48. conc. 1. in hæc verba iniquitas calcanei mei circumdabit me: sic ait: si ergo iniquitas calcanei circumdabit nos, ut quid timemus in die mala, cùm *conversi ad Christum habeamus in potestate, ut non faciamus iniquitatem*, & non erit, quod nos circumdet, & gaudebimus in die novissima, non plangemus. Et in Ps. 61. in hæc verba Deus auxilii mei, & spes mea in Deo. Sic ait: spes, quamdiu nondum est, quod promissum est, *& creditur*. quod nondum videtur, cùm autem venerit, erit salvatio, & glorificatio: *non tamen, dùm illa differuntur, deserimur*. Et in Psalm. 98. circa initium sic ait: apparebit quærentibus, & *credentibus*, qui primo apparuit non quærentibus, & *non deseret desiderantes se, qui redemit negligentes se*. Et in Psalm. 130. sub finem sic ait non dimisit me in via remanere, quia *non cessat alloqui me*: ergo fratres *non cessat Deus alloqui nos*. Et in libro de corrept. & gr. cap. 7. clare dicit esse in istorum potestate perseverare Homo, inquit, in eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles. Et serm. 62. de verbis Domini sub finem clare indicat quod neminem Deus ejicit, sed quod quilibet exit ex semetipso, & non perseverat in bono: quod non verum esset, si cuipiam Deus negaret

In Psal 6. ante med sic ait *ut eum amitteremus* (per peccatum) *non est ejus absentia qui ubique adest sed nostra fecit aversio.*

gratiam sufficientem ad perseverandum. Nam exponens ibi verba ista cantic. 1. nisi cognoveris temetipsam pulchram inter mulieres exi tu. Sic ait: tanquam dicens: *non ego te ejicio, exi tu*: nisi temetipsam cognoveris pulchram &c. Et infra: ergo *exi tu* in vestigiis gregum, &c. & luculentiùs Homil. 4. de diversis sub finem in suplem. exponens eadem verba cantic. 1. sic ait: *non* enim *te ejicio, sed exi tu*: *à nobis* enim *exierunt, qui segregant semetipsos*, animales spiritum non habentes: *non* enim *dictum est: ejecti sunt, sed exierunt, hoc & in primis peccantibus justitia divina servavit* (ubi vides eum in hoc æqui parare eos, primis parentibus, qui omnino liberi, & indifferentes exierunt, & non perseverarunt) tanquam enim jam pronos proprio pondere *dimisit*, eos de paradiso non exclusit; nisi ergo cognoveris temetipsam, ô pulchra inter mulieres, *exi tu, non ego te ejicio, exi tu, ego te in corpore meo volo sanari, tu putredinem tuam appetis* amputari. Hoc illis dictum est, qui *prævidebantur exituri, ut possint se agnoscere, & cavere mansuri.* Et infra: *noluisti* (ergo potuisti sensu Augustini) audire dicentem: nisi cognoveris temetipsam, ô pulchra inter mulieres. *Noluisti* ergo audire, & appendere, quid sit. Nisi &c. Et serm. 22. de diversis cap. 3. loquens singulis Christianis sic ait. Tene te in navi, & *ora Deum* (per hoc supponens semper esse in Christianis gratiam orandi, seu gratiam remotam bene agendi.) deficientibus enim omnibus consiliis, cùm neque gubernacula suffecerint ... *sola restat nautis intentio deprecandi, & voces ad Deum fundend.* Et Hom. 50. ex quinquaginta cap. 5. circa initium sic ait cuilibet Christiano. Quicquid feceris, quęcumque peccaveris, *adhuc in vita es, unde te Deus omnino, si sanare nollet, auferret.* Per hoc indicans, nulli Christiano viventi deesse auxilium sufficiens ad resurgendum, si peccaverit. Et lib. 1. de serm. in monte c. 12. post med. loquens de inveterata consuetudine peccandi sic ait: hanc vincere difficillimum est: & tamen etiam *ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, & Christianam militiam non reformidet, illo* (scilicet Deo) *duce, atque adjutore superabis.* Et lib. 4. de symb. ad Catechum. cap. 5. sub finem. Loquens cuilibet Christiano sic ait: ad hoc ille (scilicet Christus) pugnare voluit, ut te doceret, quomodo vinceres: sed si vires tuæ parvæ sunt, *ipsum invoca salvatorem, ipsum invoca adjutorem: cùm te perspexerit fideliter invocantem, qui pro te pependit in ligno, & hic victoriam, & coronam victoriæ præparabit in cœlo.* Ubi non solum vides gratiam suffic. omnibus, & singulis Christianis paratam, sed etiam gloriam ob merita prævisa eis prædestinatam.

Quod autem singulariter per ipsam fidem Christianis Deus tribuat prædictas gratias suffic. multis locis indicat Augustinus: sic enim ait libro de nat. & gr. cap. 16. hæc est fides, ad quam præcepta compellunt, ut *lex imperet, & fides impetret.* Et lib. de gr. & lib. arb. cap. 14. fides non petita conceditur, ut *ei petenti alia concedantur.* Et in Enchiridio cap. 117. *ipsa* est, inquit, *fides Christi*; quam

commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, *petit, ut accipiat, quærit, ut inveniat, pulsat ut aperiatur &c. fides namque impetrat quod lex imperat.* Et in Epist. 106. in prioribus ejus partibus sic ait. Si quis dixerit, quod *gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur.* Hanc enim *fidem* volumus habeant, *qua impetrent charitatem*, quæ sola vere bene operatur. Quibus similia multa videre potes in præfatione disputationis nostræ de prædest. ad gl. (quæ brevitatis causa hîc omittimus) cùm dubitari prorsus non possit, quin censuerit Augustinus, omnes, & singulos Christianos, virtute suæ fidei, impetrare posse omnes gratias sibi necessarias, etiam & ipsum donum perseverantiæ, quod ait libro de dono persev. cap. 6. suppliciter à nobis emereri posse imo & ait cap. 16. solis fidelium orationibus & petitionibus concedi solere. Ex quo manifestum est, omnes, & singulos Christianos secundum Augustinum, habere gratiam sufficientem ad salutem in quacumque tribulatione, aut tentatione positi sint, & ob fidem, & per fidem eorum: ea autem quæ contra objiciuntur per se levissima sunt, & supra soluta sunt in argum. 6. ubi de possibilitate præceptorum.

Ex hoc ultimo testimonio patet quod loquitur de fide impetrante ante quam charitati conjuncta sit.

SECTIO SECUNDA.

Quæ est de infidelibus, seu Paganis; quomodo habeant gratiam necessariam, seu sufficientem ad salutem: ubi & de duplici fide qua creditur primò in Deum, deinde in Christum.

2. CONclusio omnes, & singuli Pagani, seu infideles, habent gratiam sufficientem, ut perveniant ad fidem, per quam fidem postea possunt impetrare omnia, quæ necessaria sunt ad eorum salutem. Dixi primò ad fidem: quia indubitatum omnino est apud Augustinum, fidem esse primam Christi gratiam, qua perveniri potest ad vitam, seu ad salutem æternam unde ab illa gratia semper vult auspicari Augustinus exordium nostræ salutis, ut clare docet libro de nat. & gr. cap. 68. dicens: si ergo volumus, animos ad recte vivendum frigidos, & pigros Christianis exhortationibus excitare, & accendere, *primitùs exhortemur ad fidem*, qua Christiani fiant, & ejus nomini subjiciantur, sine quo salvi esse non possunt. Unde cùm Semipelagiani vellent exordium nostræ salutis sumi à bonis operibus

Vide librū de 5 hæres cap 6. circa med. ubi Christus alloquitur quemque Paganum, ut quem ad fidem quæsivit, & ad salutem, dicens ei: ego, cùm esses longe, veni, ut reducerem te; cùm inter montes, & silvas errares *quæsivi te*, inter lapides, & ligna inveni te; in lapidibus offendebas, ipsis adhærebas quia ligna, & lapides adorabas &c.

meri liberi arbitrij, & ideo libro de prædest. sanct. cap. 7. objicerent ei bona opera Cornelij gentilis, seu Pagani, ante susceptum baptismum facta, quasi per illa opera, quæ putabant esse meri lib. arbitrij, promeruisset pervenire ad fidem Christi: negat ea operatum esse Cornelium sine aliqua fide, id est, sine aliqua gratia, qua prius credidisset in Deum, & sic impetrasset auxilium, per quod effecisset opus bonum Solet enim inquit dici (scilicet à Semipelagianis) ideo crdere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet: quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum, *nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat*: nam quomodo invocabat, in quem non crediderat. Ubi manifeste indicat Augustinus primam Christi gratiam esse fidem, qua oretur, & impetretur auxilium, per quod fiat opus bonum. Sed valde interest ad nostrum propositum scire qualis fides illa sit: duplicem enim ibi agnoscit fidem Augustinus: unam antequam credatur in Christum, alteram qua creditur in Christum, & unam vult esse necessariam ad orandum, & ad bene operandum, quam explicat per hæc verba: quomodo enim invocabat in quem non crediderat: unde illa fides supponit unum Deum explicite cognitum, quem invocet, ut remuneratorem bonorum operum, & exauditorem orationum, juxta illud Apostoli ad Hæbr. 11. credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Cætera autem sufficit ad illam fidem quod credantur aliquo modo implicite, & in præparatione animi, si expresse revelentur. Saltem nihil aliud apparet in prædictis scripturæ verbis. Nam dicere quod Cornelius jam credebat in Christum mediatorem, ob hoc quod erat inter Judæos à quibus id discere poterat, ut dicit Estius in cap. 10. actorum, & Jansenius lib. 4. de statu nat. lapsf. cap. 5. hoc est potius vaticinari quam ratiocinari, cùm de hoc scriptura nihil dicat, & probabilius sit, quod si Cornelius aliquid didicisset à Judæis de Christo, potius didicisset blasphemare in verum Christum, & in verum mediatorem Dominum nostrum Jesum Christum, & ita difficilius Petro credidisset sibi prædicanti talem Christum, cujus horrorem jam ex eis ebibisset: preterquam quod ipse Jansenius fatetur lib. 3. de gr. salv. cap. 8. §. quæ quidem. Christum non agnitum fuisse à Judæis venturum ut Deum, sed tantum ut hominem, & carnaliter tantum redempturum esse regnum Israel ab exteris, qui illud occupabant, quod non est credere in mediatorem Christum, ut oportet ad veram fidem. Quapropter tales vaticinationes credo esse negligendas, ut pote male fundatas, & non necessarias ad illam fidem, de qua ibi loquitur Augustinus, cùm ait: quod Cornelius non sine aliqua fide donabat, & orabat, antequam in Christum crederet. Illud solùm probans ex hoc loco Apostoli: nam quomodo invocabat in quem non crediderat: ubi solùm postulat Apostolus talem fidem, per quam sciat homo quem invocet, ad quod sufficit, ut sciat

esse Deum unum, & verum, & quod ille sit remunerator operum, & exauditor orationum, seu ut dicit idem Apostolus, quod sit inquirentibus se remunerator: & hæc est una fides quam ibi agnoscit Augustinus, & quam vult esse necessariam ad orandum, & ad bene operandum, antequam credatur in Christum. Alteram autem fidem ibidem agnoscit, quam vult esse necessariam ad salvandum, quæ est fides in Christum, verum Dei & hominum mediatorem, quam indicat per hæc verba: sed *si posset sine fide Christi esse salvus*, non ad eum ædificandum (id est edocendum, & erudiendum de Christo pro nobis nato, & mortuo) mitteretur architectus Apostolus Petrus. Ubi solùm indicat, Cornelium sine illa fide quæ est in Christum, non potuisse esse salvum, valuisse tamen ad orandum, & ad bene operandum per aliam fidem, quæ est in Deum remuneratorem operum, & exauditorem orationum: ex quo concludimus, quod licet fides in Christum sit necessaria secundum Augustinum, ut quis actu salvetur, non est tamen necessaria ad hoc ut oret, & bene operetur, sed sufficit quod credat in Deum, ut prædictum est, remuneratorem operum, & exauditorem orationum, cùm per illam fidem, sciat quem oret, & à quo impetret auxilium, ut re vera sic impetravit, & exauditus est Cornelius antequam crederet in Christum, ut expresse dicit Augustinus ibidem quod ut plenius capias valde distinguenda sunt duo tempora fidei Cornelianæ: unum est, antequam instrueretur à Petro, quo tempore tantum habebat primam fidem, unde vocat eam Augustinus aliquam fidem: nec tamen, inquit, sine aliqua fide donabat, & orabat: nolens, illam fidem vocare fidem simpliciter, sed tantum aliquam, scilicet imperfectam, & non plenam: alterum tempus est postquam instructus fuit à Petro, quo tempore habuit secundam fidem, id est plenam, & perfectam antequam baptizaretur: unde tunc dicitur ab Augustino, accepisse Spiritum S repletum fuisse Spiritu sancto, accepisse justitiam, & sanctificationem Spiritus sancti, ut videre est lib. 2. contra litt. petil. cap. 35. lib. 4. in numeros cap. 33. sub finem. Lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 15. lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 21 22. & 24 & ideo tunc plene fuit justificatus, ita ut si tunc temporis mortuus esset, antequam baptismum suscipere potuisset, salvus fuisset. illa scilicet fide explicita quam tunc habuerat, cum actuali conversione ad Deum supplente vices baptismi ut explicat Augustinus libro 5. de baptismo contra Donatistas cap. 22. 23. 24. & 25. loquens in simili de illo latrone qui crucifixus cum Christo in Christum credidit, & ad eum conversus, licet non baptizatus salvatus fuit. Nusquam autem vidi id dici ab Augustino de ulla alia fide. Imo vero exerte dicit lib. de nat. & gr. c. 2. quod natura humana *justificari*, & redimi ab ira Dei justissima nullomodo potest, nisi per fidem, & sacramentum sanguinis Christi. Et cap. 41. quod nemo *justificatur* nisi credat in Christum, & baptismo ejus abluatur. Unde illa quæ diximus de fi-

Licet ibi videatur loqui Aug. de baptis. in re suscepto, ut necessario ad justificatio-

de Cornelij ut solùm sufficiente ad orandum, & ad aliqua bona opera præstandum, referenda sunt ad primum tempus, de quo locuti sumus, non ad secundum, quod quidam non bene distinguentes, sed omnia illa confundentes, putarunt Augustinum censuisse Cornelium in primo illo tempore jam fuisse justificatum quod omnino falsum, & absurdum est secundum Augustinum, cùm id solum referendum sit ad illud tempus, quo instructus fuit per Petrum ante baptismum suum, de quo solo loquitur Augustinus, cùm dicit illum fuisse justificatum, & Spiritu S. plenum, & cætera ejusmodi, in locis supracitatis pro sanctificatione illius. Bene quidem dicit ibi Augustinus illum fuisse justum, & Sp. sancto plenum, antequam baptizaretur, sed non antequam explicite crederet in Christum, imo vero alibi dicit contrarium scilicet lib. 4. quæst. in numeros cap. 33. sub finem ubi ait: quod Cornelius audiens, & credens, quod prædicaverat Petrus, ita *mundatus est* (ergo prius non erat mundus, scilicet ob peccatum ejus originale nondum remissum, & sic nondum erat plene justus, seu vere justificatus: sed ecce quando fuit per donum Sp. sancti) ut ante visibilem baptismum, *cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti.* Et lib. de prædest. sanct. cap. 7. ait: quod si posset sine fide Christi (scilicet explicita, non enim ob aliud fuit missus Petrus ad eum, nisi ut explicaret ei res fidei, ut patet in scripturis actorum 10.) esse salvus, non ad eum ædificandum (ergo nondum erat ædificatus, & insertus per gratiam adoptionis) mitteretur architectus Apostolus Petrus. Ubi vides, eum tunc non fuisse in statu salvationis, in quo sane omnino fuisset, si gratiam adoptionis, seu sanctificantem habuisset. Unde ad id missus ad eum fuit Petrus, ut per fidem, quam prædicaturus erat ei, elevaretur ipse Cornelius, seu ædificaretur in illum statum.

Verum contra objicies, quod Augustinus lib. 1. ad simplic. qu. 2. circa initium, æquiparat fidem Cornelij, qualis erat antequam instrueretur à Petro, fidei Catechumenorum: at hæc conjuncta est cum vera justificatione: ergo & illa. Respondeo dist. maj. æquiparat eam in aliquo, conc. in omnibus nego: aliàs dicendum esset, fidem Cornelij tunc fuisse explicitam in Christum natum, mortuum, & crucifixum pro salute hominum, sicut est fides Catechumenorum, quod est falsissimum. Ergo tantum in aliquibus, non vero in omnibus æquiparat fidem Cornelij fidei Catechumenorum: æquiparat autem eam in duobus, quæ non indicant fuisse fidem, seu gratiam sanctificantem in eo, quorum primum est, quod utrique credebant in unum Deum, non autem in plures Deos sicut alij Pagani: non enim, inquit Augustinus, Catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat *Deo*, cùm &c. Alterum est quod utriusque fides non sufficiebat ad consequendum regnum cœlorum sine baptismo: suple in re, vel in voto, suscepto, faciens formalem comparationem in illa insufficientia, & non in aliquo alio, ut patet ex his verbis: sed in

nem, non tamen ita intelligendus est, cùm alibi se explicet de baptis. in voto, licet prius videretur locutus esse de baptismo in re suscepto, ut patet ex lib 4. de baptismo contra Donat. c. 23. ubi ait: quid autẽ valeat, & quid agat in homine *corporaliter* adhibita sanctificatio sacramenti (ubi videtur loqui de baptismo in re suscepto, sed audi eum se explicantem, cùm addit) *sine qua tamen ille latro non fuit, quia non eius accipienda voluntas defuit.* Vbi vides eum loqui de baptismo in voto licet prius visus esset loqui de baptismo in re suscepto.

quibusdam tanta est gratia fidei, *quanta non sufficit* ad obtinendum regnum cœlorum: *sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio* antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ: & sic manifestum est quod illa æquiparatio non est in gratia sanctificante, ut concomitante talem fidem, sed in quibusdam aliis non inferentibus gratiam sanctif. scilicet in fide, quæ est in unum Deum, quę reperitur etiam in impiis: & in insufficientia illius fidei ad obtinendam salutem sine baptismo, quæ insufficientia etiam reperitur in impiis, V. G. Catechumenis qui sunt in P. M.

Verum instabis, & dices: quod ait Augustinus Cornelium meruisse apud Deum per illam fidem, ut patet ex his verbis in prædicta quæst. 2. habitis. Cùm orationibus, & eleemosynis dignum se præberet, cui Angelus mitteretur &c. Respondeo istud meritum non esse meritum justificati, cùm non sit meritum gloriæ, aut majoris gradus gratiæ sanctificantis sed tantum meritum aliquarum gratiarum disparatarum, V. G. visionum, revelationum, & ejusmodi, quæ aliquando etiam dantur impiissimis & non est necesse ad fidem, ad hoc ut impetret aliquid à Deo, quod habeat charitatem, cùm ipsa impetret ipsam charitatem, & justificationem ut ait ipse Augustinus Epistola 106. unde dicendum est, quod non fuit justificatus Cornelius in primo illo tempore, quod antecessit instructionem Petri, sed tantum post illam secundum Augustinum: unde nec dicitur in scripturis sacris pro illo tempore justus nisi à servis, qui ut nondum bene instructi erant in fide, ita non habebant veram notitiam veræ sanctificationis, & justitiæ, sed tantum vocatur in scripturis illis religiosus, & timens Deum quæ solùm indicant bonas dispositiones ad justitiam, & non ipsam justitiam inhærentem hæc enim solùm innuunt eum bene affectum fuisse erga Deum pro modulo suo, non vero Deum bene affectum fuisse erga illum, & eum considerasse ut amicum, quod necessarium est ad gratiam sanctificantem. Imo vero videtur ibi innui contrarium, cùm repræsentatus fuerit Petro cum servis suis, sub figura animalium immundorum, antequam mitteret ad Petrum, & ad hoc tantum videntur ejus orationes, & eleemosynæ acceptæ à Deo fuisse, ut ipse mitteretur ad Petrum, qui mundaret eum per fidem explicitam in Dominum nostrum Jesum Christum: quod & videtur ei fuisse notificatum, cùm dixit illi, & suis Petrus: quod Domino nostro Jesu Christo omnes prophetæ testimonium perhibent *remissionem peccatorum* accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum: quo dicto, cecidit, ut ait scriptura, Spiritus sanctus in eum & servos ejus: per quod videtur significari gratia justificans, afferens ei remissionem peccatorum cum aliis donis Spiritus sancti: & sic non videtur ille Paganus justificatus fuisse in primo illo tempore, sed tantum in secundo, cùm fuit instructus de vera fide in Christum.

Hoc itaque constituto, & evicto, quod fides illa, quæ est in Deum bonum,

bonum, & justum, remuneratorem operum, & exauditorem orationum, est sufficiens ad orandum, & ad bene operandum, & per hoc ad impetrandam illam aliam fidem, quæ est in Christum, & cætera omnia quę necessaria sunt ad salutem actu, & proxime consequendam, jam facile probare est ex Augustino; quod omnes, & singuli Pagani, seu infideles habent gratiam sufficientem ad salutem, cùm facile probare sit ex eo, quod illi omnes, & singuli habent gratiam sufficientem ad illam fidem, quæ est in unum DEUM bonum, & justum, remuneratorem operum, & exauditorem orationum, quæ sufficit ad orandum, & impetrandum, ut dictum est, & ad bene operandum: hæc enim fides cùm non requirat prædicationem Evangelij, nec doctrinam hominum, facile potest * inspirari per secretas, & internas Dei revelationes, occasione rerum externarum à Deo summe bono, & justo productarum, per quas infinita ejus bonitas, & sapientia elucet, longe distans à stultitia, quæ communiter attribuitur falsis diis, quorum aliqui fuerunt facinorosi, omnes saltem imperfecti; vel homines, vel animalia ratione carentia, serpentia, quadrupedia, volatilia, & similia, summo, & divino latriæ cultu per se indigna.

Duplex illa fides adhuc insinuatur lib. 1. ad simpl. quæst. 2 non longè ab initio his verbis: incipit homo percipere gratiã, ex quo *incipit Deo credere*, vel interna (scilicet sola) vel (etiam) externa admonitione motus ad fidem: sed interest, quibus articulis temporum, vel celebratione sacramentorũ, gratia plenior, & evidentior infundatur: non enim Catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cùm &c. Sed *in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum*, sicut &c *in quibusdam vero tanta est*, ut &c. *sunt ergo inchoationes fidei conceptionibus similes*, non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.

* Hinc est quod in supracitato loco libri 1. ad simplic dicit: quod homo incipit credere Deo, vel *interna*: (scilicet sola) vel externa (non tamen sola, quia externa sola, insufficiens est sive ad fidem, sive ad quodlibet opus bonum, ut in confesso est apud omnes) admonitione motus ad fidem. Ex quo evidens est, ibi internam solam indicari, cum opponatur externæ simul & internæ.

§. PRIMUS.

In quo probatur ex Augustino: quod quilibet Paganus potuit pervenire ad veram fidem, & proinde ad salutem, per contemplationem rerum creatarum, non deficiente eis interna Dei gratia.

SIc enim sæpe indicat Augustinus cùm dicit quod homines inexcusabiles fuerunt, eò quòd in Deum non crediderunt, aut eum non amaverunt, aut eum sicut oportet non glorificaverunt, & in cogitationibus suis evanuerunt: ut cùm dicit libro 10. confessionum c. 6. cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt: *ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut inexcusabiles sint.* Et serm. de verbis Evangelij 56. unde, inquit, detinent veritatem, vel in ipsa iniquitate: sequitur, & ostendit (scilicet Apostolus) quia quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit. *Manifestavit illis quibus legem non dedit* (ergo infidelibus, & Paganis) *audi quomodo manifestavit*: *invisibilia enim ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Vita sapiens, quæ fecit mundum, *contemplato mundo intelligitur. Interroga* mundum, ornatum cœli, fulgorem, dispositio-

Vide hæc omnia apud Bedam in hunc locum Apostoli Rom. 1. capite. Revelatur enim ira Dei &c.

nemque siderum, solem, dies efficientem, lunam noctis solatum. *Interroga* terram fructificantem herbis, & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam. Interroga mare, quantis natatilibus, & aerem, quantis volatilibus viget; *interroga omnia, & vide, si non specie sua, tanquam voce tibi respondent: Deus nos fecit.* Et infra alloquens Apostolum sic ait: Apostole *ostendisti nobis unde potuerunt pervenire ad cognitionem Dei: quoniam invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Insipientiam ipsorum unde ostendis; audi: & immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedium, & serpentium: figuras enim istorum animalium sibi Deos Pagani fecerunt, invenisti Deum, & coluisti idolum; quomodo sapiens est. &c. * Et libro 15. de trinit. explicans adhuc prædicta verba Apostoli: invisibilia enim ejus, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sic ait: unde arguuntur in libro sapientiæ (tanquam scilicet inexcusabiles) qui de his, quę videntur bona, non potuerunt scire eum, qui est (ob negligentiam suam, quia nempe his non attenderunt, nec voluerunt ea considerare, ut infra videbis) *neque operibus attendentes* (ecce cur non potuerunt eum scire, quia nempe ad ejus opera noluerunt attendere) *agnoverunt artificem*, sed aut ignem, aut Spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut violentiam aquarum, aut luminaria cœli, rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum quidem si specie delectati, hæc Deos putaverunt, *sciant* quanto dominator eorum melior est: specie etenim generator creavit ea (ubi vides quomodo eorum carpit negligentiam, seu inadvertentiam, seu negligentem inadvertentiam, quod & sic prosequitur) aut si virtutem, & operationem eorum mirati sunt, *intelligant* ab his, quanto qui hęc constituit, fortior est: *à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.* Et tract. 2. in Joann. quidam, inquit, Philosophi hujus mundi extiterunt, & inquisierunt creatorem

Nota quod nihil ibi proponit Augustinus contemplandum, quod sit supra captum rudium, & indoctorum. Vnde licet ibi dicat, nobiles Philosophos, hæc intellexisse non negat tamen indoctos inspirante Deo etiam hæc intellexisse, aut intelligere potuisse: sed notius proposuit, minus notum non negavit: quod clarius exprimens libro 8. de civitate Dei dicit: istos facile istud collegisse, seu intellexisse: per hoc indicans, istud etiam alios intellexisse, aut intelligere potuisse, sed non ita facile. Vnde sunt etiam inexcusabiles, licet alij sint inexcusabiliores, qui potuerunt facile. Hinc est quod loquens de gentilibus omnibus in genere libro annotationum in Iob cap. 35. explicans illud libri Iob cap. 36. impios vero non faciet salvos, sic ait: *eo quod noluerunt scire Deum, hoc ad gentes magis videtur pertinere.* Vbi non dixit: non potuerunt: sed noluerunt quod supponit apud Augustinum potentiam: Et in suplem. parte 1. in serm. ultimo qui est ante lib. de gestis Pelagij & ante tractatum de 7. vitiis col. penult. sic loquitur omnibus, & singulis infidelibus: erige rationalem aspectum, utere oculis, *ut homo* (non dicit ut Philosophus, ut doctus, sed ut homo quod etiam imperitis convenit) intende cœlum & terram &c. *intende facta, & quære factorem* (ergo potest illum quærere) *aspice quæ vides, & quære quem non vides*: propter ista, quæ vides Apostolum audi dicentem *invisibilia enim Dei &c.*

* Vide etiam hæc, & sequentia quæ citabimus non indicato loco, sed libro, apud Bedam loco supra citato. In hoc enim importunus est iste vir, alioqui doctissimus, & omni veneratione dignissimus, quod sæpe non citet locos, sed libros solùm, & tractatus: verumtamen ejus testimonium non minus valet, quam textus Augustini, cùm sæpe non aliter probetur, libros Augustini esse Augustini, quam quia ut tales citantur ab ipso Beda. Sic enim probant communiter Iovienses, libros Augustini veros, & sic discernunt eos à spuriis, & incertis,

per creaturam, quia *potest inveniri per creaturam*, evidenter dicente Apostolo: invisibilia enim ejus à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus, & divinitas, *ut sint inexcusabiles*. Et sequitur: quia cum cognovissent Deum: non dixit quia cum cognoverunt, sed quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: unde obscuratum; sequitur, & dicit apertius: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Viderunt quo veniendum esset*, sed ingrati ei qui illis præstitit, ut viderent, sibi voluerunt tribuere quòd videbant (ubi vides superbiam esse maximam impedimentum huic gratiæ, unde & sequitur) & facti superbi amiserunt, & id quod videbant, & conversi sunt inde ad idola, & simulachra, & ad culturas dæmoniorum, adorare creaturam, & contemnere creatorem. Et in serm. de calendis Janvarij explicans illa verba Apost. quia quod notum est Dei manifestum est in illis: sic ait; quomodo potuit manifestum esse in illis, quod notum est Dei, qui legem non acceperunt (id est infidelibus, & Paganis) sequitur, & dicit: *invisibilia enim ejus à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: utique subaudimus intellecta conspiciuntur. Cur enim attendat opera, & non quærat artificem*; attendis terram fructificantem, attendis mare plenum animalibus suis, attendis aerem plenum volatilibus, attendis cœlum fulgere stellis &c. *& non quæris tanti operis artificem*: (certe hæc increpatio satis manifeste ostendit, eos habuisse gratiam sufficientem) sed dicis mihi: ista video, illum non video: ad ista videnda corporis oculos dedit, *& ad se videndum mentem dedit* (non dicit mentem subtilem, aut intelligentiam supereminentem, sed mentem simpliciter, at quis non habet mentem, si homo est) neque enim & animam hominis vides: *sicut enim ex motibus, & administratione corporis animam, quam non vides, intelligis, sic ex administratione totius mundi, & ex regimine ipsarum animarum intellige creatorem*. Et postmodum subdens ista verba Apostoli, quia cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt &c. ostendit, multos infideles non neglexisse Deum ex defectu cognitionis, sed ex superbia, & ex malitia sua: non enim, inquit, debebant sibi arrogare quod ille (scilicet Deus per gratiam suam, non autem mens eorum subtilis, aut supereminens per subtilitatem suam) donaverat, nec se jactare ex eo quod non à seipsis (ut acutis, & doctis) sed ab illo (ut bono, & misericorde) habebant. Quod illi utique Deo reddendum fuit, ut ad hoc tenendum quod *videre poterant* (ergo habebant gratiam sufficientem, cùm id possent) ab illo sanarentur (scilicet per alteram fidem quæ est in Christum) *qui dederat, ut viderent* (per illam primam fidem quæ est in Deum, inquirentium se remuneratorem, & exauditorem) si enim hoc facerent, humilitatem servarent, *& possent purgari* (ergo sufficien-

Sequentia habentur apud Bedã in Epistolam ad Rom cap. 1. in hæc verba & sic non probaverunt Deum &c.

Ibi nihil est supra captum idiotæ si adjuvetur à gratia.

tem gratiam habebant) atque illi beatissimæ contemplationi cohærerent (quia nempe Deus ut superbis resistit, sic & humilibus dat suam gratiam) quia vero superbia erat in eis, interposuit se falsus, & fallax, & superbus, qui eis promitteret quod per partes nescio quas superbiæ purgarentur animæ illorum, & fecit cultores dæmoniorum: inde sacra omnia quæ celebrantur à Paganis, quæ valere dicunt ad purgationem animarum suarum, & audi Apostolum consequenter dicentem: quia non sic honorificaverunt Deum, ut honorificandus est Deus. Ubi vides, Augustinum clare supponere, omnibus, & singulis Paganis sufficientem adfuisse gratiam qua crederent si vellent, in Deum remuneratorem operum, & exauditorem orationum. Et sic orarent Deum, & reliqua obtinerent, quæ proxime necessaria erant ad eorum salutem, sed ut plurimum superbiam obstitisse, ne ulterius progrederentur: quod si humilitatem sectati essent, ad alteram fidem pervenissent, cùm qua actu salvarentur, ut clare patet ex dictis: unde & lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos cap. 2. sic reprehendit eos dicens: *ipsa rerum natura, ipseque mundus, operibus famulatus sui, incredulos sua quadam voce convincit, & animam perversam increpans dicit*: quid est misera quod erras in me, & degener facta *oblita à quo quanta creata sis*, cui cœlum, & terra tam pulchra domus nullis meritis præcedentibus constructa est. Respondent & singula quæque elementa clamantia *& ipsis suis operibus suum demonstrantia artificem*, clamat cœlum non sum Deus: nam &c. clamat & sol quid me homo colis &c. convincimus falsitatem tuam serviendo tibi ad pœnam. Clamat mare, & omnia quæ in eo sunt: non sumus Deus &c. quæ certe increpatio spectat omnes & singulos Paganos, etiam qui non audierunt Evangelium, ut clarum est ex terminis. Et serm. 11. de verbis Apost. cap. 5. in fine loquens de omnibus Paganis ad quos pervenit gratia creationis, à qua certe nullus exceptus est, sic ait: illi ergo debent & Pagani, quod homines creati sunt, & tanto magis puniendi, quia *dimiserunt eum, à quo facti sunt*. Ubi vides, eos non esse dimissos à Deo sine gratia sufficiente, sed potius eos dimisisse Deum sine honore debito: unde & addit: quod coluerunt id quod ipsi fecerunt, & non ipsum Deum. Et in Enchir. cap. 95. loquens de Tiriis & Sydoniis quibus non annunciatum est Evangelium dicit: quod etiam isti potuerunt salvari. Nec utique, inquit, Deus injustè noluit salvos (eos) fieri *cum possent salvi esse, si vellent*. Per hoc indicans, causam damnationis eorum non esse impotentiam salutis eorum, sed potius eorum negligentiam, qui noluerunt aliis gratiis communibus sibi datis uti, ut poterant. Et sic bene ostendit Augustinus unumquemque infidelem habuisse gratiam sufficientem ad salutem.

§. II.

In quo idem, quod supra, probatur ex Prospero, vero interprete Augustini, & discipulo.

CUi magistro tam bene docenti, & dicenti, luculenter concinit fidissimus illius interpres, & discipulus D. Prosper in diversis locis, & operibus, ubi eamdem, quam supra Augustinus, commendat doctrinam. Nam libro contra collat. cap. 14. cùm locutus fuisset de gratia Dei attrahente, & medicinali, sine qua nemo venit ad patrem, sic ait: si ergo nemo venit nisi attractus, omnes, quocumqne modo veniant, attrahuntur *trahit* igitur *ad Deum contemplatio elementorum, omniumque quæ in eis sunt, ordinatissima pulchritudo: invisibilia enim à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: trahit rerum gestarum cognitio, & divinorum operum relaturæ &c. & postquam plures modos Dei attrahendi, sic declaravit, mox concludit: quis inquit prospicere, aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat: quæ fastidiebat, esuriat; ac subitò, commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint aperta; quæ onerosa, sint levia: quæ amara, sint dulcia: quæ obscura, sint lucida. Per hoc indicans, esse innumeros vocandi modos, quibus homo Paganus, seu infidelis converti potest ad Deum, quorum primum posuit contemplationem rerum mundi, & eorum ordinatissimam pulchritudinem, qua homo cognoscit creatorem suum justum, & bonum remuneratorem operum, & exauditorem orationum. Et in Epistola ad Demetriadem citra medium sic ait: omnia quidem elementa mundi, & universæ creaturarum naturæ, hoc ipsa sui exigunt specie, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, *& in pulchritudine cæli, & terræ quædam sunt Paginæ, ad omnium oculos semper patentes, & auctorem suum numquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum* (ubi vides adhuc inculcari eamdem, quam supra, doctrinam de eruditione infidelium per res creatas, ut agnoscant unum Deum: sed quia istud intelligebant Pelagiani (contra quorum errores instruebat ibi D. Prosper istam sacram virginem) de potestate meri arbitrij, sine ulla gratia in voluntate necessaria; mox addit) sed quid illud est, quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur in agro cordis (id est in voluntate) cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille summus, & verus agricola potentiam sui operis adhibuerit. Unde semper supponimus sub ista contemplatione rerum creatarum veram Christi gratiam in voluntate necessariam, quam negabant isti hæretici, & quam volebant ibi supponi D. Prosper & Augustinus contra illos hæreticos, qui volebant illam contem-

plationem sine ulla gratia Dei superaddita sufficere. Unde multus est postea D. Prosper in damnanda istorum hæreticorum superbia, qui, ut ait, non dignabantur esse divites nisi ex propriis, tanquam haberent, inquit, hoc simile Deo, ut bonorum suorum ipsi sibi fons essent, ipsi sibi essent copia: quod barathrum nos fugimus, admittentes hîc cum Augustino, & Prospero, sub hac gratia externa prævenientem Dei gratiam in voluntate necessariam, ut infra declarabimus. Et libro 2. de vocatione gent. cap. 4. circa initium sic ait: cœlum quippe, ac terra, & mare, omnisque creatura, quæ videri, atque intelligi potest, *ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum, & honorem sui imbueretur authoris, implente omnia Sp. Dei, in quo vivimus, movemur, & sumus.* Quoniam, & si longe est à peccatoribus salus, *præsentia tamen salutis ipsius, & virtute nihil vacuum est* (ubi vides semper supponi, virtutem divinam comitari gratiam hanc externam, & confortare voluntatem humanam, ut ista gratia externa, quæ pertinet ad solum intellectum, cum gratia interna data, etiam utatur homo ad suam salutem) igitur sicut dicit propheta: misericordia Domini plena est terra, *quæ nullis umquam sæculis, nullis generationibus defuit*, eamque providentiam qua universitatem rerum administrat, & continet, regendis, alendisque naturis semper impendit, dispositum habet incommutabilis æternitate consilij, quidque temporibus distribueret, *& multiformis gratiæ suæ inscrutabiles, investigabilesque mensuras, per quæ dona, ac sacramenta variaret* (ubi vides eum supponere semper adfuisse omnibus hominibus gratiam, sed variam, ac variam) sicut enim ista gratiæ largitas, quę in omnes novissime effluxit, non evacuat eam, quæ super unum Israel sub lege roravit, nec præsentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati, ita *nec* de illa cura Dei, quæ patriarcharum filiis proprie pręsidebat, *conjiciendum est gubernacula divinæ misericordiæ cæteris* (scilicet Paganis) *hominibus fuisse subtracta*, qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed *numquam sunt manifestis, occultisque beneficiis abdicati.* Id est manifestis, per prædictam rerum creaturum contemplationem, & occultis, per gratiam in voluntate necessariam simul cum prædictis datam. Et infra prosequens eamdem materiam sic ait: quod est autem hoc testimonium quod semper Domino deservivit & numquam de ejus bonitate, ac potestate conticuit, *nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives, & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in Paganis elementorum, ac voluminibus temporum, communis, & publica divinæ institutionis doctrina legeretur; cœlum ergo, cunctaque cœlestia, mare, & terra, omniaque quæ in eis sunt, consono speciei suæ, ordinationisque concensu, protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua, majestatem sui loquebantur authoris:* Et tamen maximus numerus hominum, qui vias voluntatis suæ am-

bulare permissus est (ubi vides permissionem peccati , non vero necessitatem , quæ sine dubio adesset , & non sola permissio , si gratia vere sufficiens non adesset , sed quia ibi sola gratia efficax aberat , ideo solùm erat permissio , & non necessitas : unde ibi solùm notatur negatio actus , & non potentiæ , ut mox sequitur) non intellexit , nec secutus hanc legem est. Et odor vitæ qui spirabat ad vitam (ob gratiam prævenientem simul datam) factus est ei odor mortis ad mortem , ut etiam in illis visibilibus testimoniis disceretur , quod littera occidit , spiritus autem vivificaret (id est gratia efficax , cùm ibi sit sermo de actu , & non de potentia : ubi bene mox comparat illa testimonia legi datæ Judæis cum qua , gratia sufficiens dabatur ad orandum , ut supra demonstratum est : hæc autem testimonia dantur infidelibus ad credendum , & per hoc ad orandum , cùm hæc fides sufficiat ad orandum , & aliquo modo bene operandum sed non immediate ad salvandum ut supra explicatum est) quod ergo in Israel per constitutionem legis , & prophetica eloquia gerebatur , *hoc in universis nationibus totius creaturæ testimonia , & bonitatis Dei miracula* (id est mirabilia opera) *semper egerunt.* Sed cùm in illo populo , cui utraque eruditio præfuit , nemo nisi gratia justificatus sit per spiritum fidei , quis ambigat eos , qui de quibuscumque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt , spiritu gratiæ Dei fuisse discretos , quæ & si parcior antea , atque occultior fuit , *nullis tamen sæculis se negavit virtute una* (quia in unoquoque est sufficiens) *quantitate diversa* (quia nempe in unis major , in alteris minor , in unis proxima , in alteris remota , in unis efficax , in alteris solum sufficiens) consilio incommutabili , opere multiformi. Et cap. 25. resumens eamdem materiam sic ait : fuerunt enim ac sunt ejusmodi dona *ita generalia , ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari.* Quæ est illa fides quæ sufficit ad orandum scilicet fides in Deum , & nondum in Christum. Ut autem nemini dubium esset , illa dona , sub quibus semper subaudit Prosper cum Augustino gratiam internam in voluntate necessariam. Non quomodocumque , sed sufficienter hominem juvare ad quærendum Deum , satis indicat in fine capitis , ubi loquens de iisdem donis , & reddens rationem , cur aliqui iis non consenserint , nullomodo id refert ad insufficientiam gratiæ , sed ad solam resistentiam voluntatis humanæ , dicens : *in aliis prævaluisse gratiam* (quia nempe acceptata est) *in aliis resiluisse naturam* : id est eam ei restitisse, & respuisse gratiam datam , quo nihil clarius dici poterat pro sufficientia istorum donorum generalium ad quoscumque gentiles pertinentium. Unde ubicumque recenset Prosper omnes modos quibus solet Deus adducere homines ad fidem , refert istum generalem inter illos , quo per contemplationem rerum creatarum cum sub audita gratia interna in voluntate pertrahit homines ad fidem , ut patet in responsione ad capitulum 8. gallorum , ubi ait : *omnium* ergo

1. parte sect. 4.

Initio hujus partis.

Cap. 5.

hominum cura est Deo : & *nemo* est, quem non, aut Evangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut *etiam ipsa natura conveniat*. Et libro 2. de vocat gent. cap. 9. altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ, sic *semper* misericordiam suam, & judicium suum temperavit, ut secretissima æterni consilij voluntate, noluerit in omnibus temporibus, super omnes generationes, aut super omnes homines, æquales donorum suorum esse mensuras, siquidem *aliter eos juverit, quos ad cognoscendum se cæli & terræ testimoniis conveniebat*, aliter illos quibus, non solùm elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis, & Angelorum cooperationibus consulebat, & multo magis aliter misericordiam suam universis hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus est Filius hominis &c. & supra, vidimus quod inter omnes modos quibus trahit Deus ad se homines, quos recenset libro contra collat. cap. 14. ponit istum inter illos : *trahit ad Deum contemplatio elementorum, omniumque, quæ in eis sunt, ordinatissima pulchritudo* : unde ex his indubitatum est apud Augustinum, & discipulos ejus, quod Deus vocat sufficienter omnes, & singulos infideles, seu Paganos ad fidem, qua possint orare, & aliqua bona opera facere antequam in Christum credant : ita ut ipsi, tunc possint impetrare omnia alia sibi ad salutem necessaria, ut patet in ipso Cornelio Pagano, cujus preces, & eleëmosynæ exauditæ sunt, ad salutem proxime faciendam, ut ait idem ibidem Augustinus, antequam in Christum crederet, sed quia ex dictis multæ suboriti possent difficultates, ideo illæ sunt hic sigillatim discutiendæ.

§. III.

In quo duæ, quæ fieri possent, obiectiones contra doctrinam proxime traditam, diluuntur.

Quod Pagani recipiant aliquando gratias internas voluntatis, patet in Cornelio, qui antequam crederet in Christum bona opera faciebat.

PRimò ergo dici posset, quod ibi tantum fit mentio de gratia externa, ut clarum est ex terminis : at illa gratia non est sufficiens ad fidem, multo minus ad salutem.

Respondeo sub gratia externa subaudiri communiter ab Augustino, & illius discipulis gratiam internam, & proinde ibi intelligi gratiam internam simul cum externa, quod possem probare quamplurimis Augustini, & Prosperi testimoniis, sed tribus tantum Augustini, seu magistri testimoniis contentus ero : quorum primum est in libro 1. ad simplic. quæst. 2. sub initium, ubi ait : incipit homo credere Deo, vel interna, *vel externa* admonitione motus ad fidem. Ubi vides, Augustinum disjunctive tribuere illam fidem gratiæ internæ, aut externæ, atqui non poterat eam tribuere meræ externæ, quæ sine dubio insufficiens est ad illam producendam : ergo sub externa in-

intelligit internam, & vult dicere: quod homo incipit credere, vel ex mera gratia interna, vel ex gratia externa simul & interna permotus ad fidem; quod & paulo post repetit sub aliis terminis: ubi loquens de Cornelio, sic ait: nullomodo credidisset, nisi, vel secretis per visa mentis, aut spiritus, *vel manifestioribus per sensa corporis* admonitionibus vocaretur. Quod eumdem sensum debet habere, ac supra. Secundum testimonium sumitur ex libro de prædest. sanct. c. 6. initio ubi cùm Semipelagiani dicerent: multi *audiunt verbum veritatis*; sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi: sic respondet Augustinus; quis hoc ignoret; quis hoc neget: ubi diceres utrosque admittere quod fides est ex mera gratia externa, quid enim est auditio verbi veritatis, nisi gratia externa per sensus corporis percepta, & tamen utrique admittebant ibi gratiam internam, sed illi meram suo more gratiam intellectus, Augustinus autem intelligebat gratiam voluntatis, seu in voluntate necessariam ut mox subdit dicens: sed cum aliis *præparetur*, aliis non præparetur *voluntas* à Domino (quod ut opinor internum est) discernendum est utique, quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. Tertium sumitur ex libro de dono persev. cap. 14. ubi ait: quod Tyrij, & Sydonij, *credere potuissent*, *& credidissent*, *si miracula Christi vidissent*, *& prædicationem ejus audivissent*. Quæ est mera gratia externa, si sumatur ad verbum, sed sub hac externa sine ullo dubio intelligebat internam in voluntate necessariam, sine qua nec Tyrij, nec Sydonij, nec umquam ullus homo lapsus potuit credere, aut credidit in Christum secundum ejus doctrinam: unde indubitatum prorsus est, Augustinum & discipulos ejus per gratiam externam quam admittunt ad fidem, intelligere gratiam externam simul & internam, & proinde cùm dicunt hominem posse per contemplationem rerum creatarum credere in Deum remuneratorem operum, & exauditorem orationum, sub illa contemplatione externa subaudiunt gratiam internam quæ instruat intellectum, & excitet voluntatem, sine qua gratia interna, nec credi, nec quicquam boni fieri potest secundum perpetuam illorum doctrinam.

2. Dici posset, istum modum videri peculiarem esse doctis, ut per contemplationem rerum cœlestium, & terrestrium perveniant ad notitiam Dei creatoris, non vero communem esse doctis, & idiotis. Respondeo peculiare esse posse doctis, quod *facile* perveniant ad illam notitiam, prout supra dixit Augustinus, sed nego esse eis peculiare, quod id possint simpliciter, & absolutè, cùm etiam id convenire possit indoctis, & idiotis ex gratia Dei, supplente in eis id quo superantur à doctis. Et sane nihil obstare video in indoctis, quin ista etiam percipiant, cùm habeant sensum communem, judicium naturale, & rationem, quæ, docente intus gratia Dei, potest erudiri de veritate unius Dei, & de vanitate multiplicium Deorum, præcipue talium, quos Pagani adorabant, qui nihil aliud erant

Vide id quod posuimus in margine hac parte sect. 2. §. 1. circa initium in notabili.

quam homines facinorosi, aut saltem imperfecti, & animalia ratione carentia, natatilia, volatilia, reptilia, & ejusmodi per se indigna summo latriæ cultu, & per se incapacia summæ sapientiæ, & potentiæ, quæ apparet ex rebus creatis debere esse in summo earum opifice, & creatore Deo: unde & gratia juvante potuerunt indocti sicut & docti assurgere ad unum, & verum Deum, summum omnium creatorem, & in eum credere. Tandem & si daretur, indoctos, & idiotas per aciem mentis suæ non posse ex contemplatione rerum creatarum cum gratia ordinaria ad unius Dei cognitionem pervenire, negari non potest quin docti, & subtiles possint, à quibus poterunt ipsi idiotæ addiscere, & intus agente gratia Dei ex illa cognitione proficere.

Sed & insuper addi posset, quod, & si docti superent indoctos, seu idiotas in ordine ad prædictam Dei notitiam ratione scientiæ acquisitæ, tamen indocti vicissim superant doctos ratione scientiæ revelatæ in ordine ad eamdem notitiam: quia, ut ait Dominus, & post eum Augustinus: illa scientia, seu notitia de Deo, revelatur ut plurimum parvulis, & idiotis, & absconditur à doctis & hujus sæculi sapientibus. Confitebor tibi pater, inquit Dominus noster Jesus Christus, Domine cœli & terræ quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & *revelasti ea parvulis*. Supra quæ sic ait Augustinus serm. 21. de diversis initio: sapientes, & prudentes illos significat (Dominus) de quibus Paulus dicit: ubi sapiens; ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi, nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi; etiam nunc adhuc fortasse quæris; qui sunt isti, forte illi sunt qui multum de Deo disputantes falsa dixerunt, *inflati doctrinis suis Deum invenire, & cognoscere minime potuerunt.* (ubi invenire non potuerunt: idem est ac non invenerunt: supra enim luce ipsa clarius apparet, quod potuerunt, sed noluerunt: unde & infra dicitur quod non invenerunt, & arguuntur de eo quod id non invenerunt, cum potuerint aliquid difficilius invenire, ut videbis in sequentibus) Et pro Deo cujus est incomprehensibilis, invisibilisque substantia, putaverunt Deum esse aerem, ætherem, Deum esse solem, Deum esse aliquid, quod sublimiter eminet in creatura: attendentes enim magnitudines, & fortitudines creaturarum, ibi remanserunt, *creatorem non invenerunt: arguit illos liber sapientiæ, ubi dicitur: si enim tantum potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum; quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt.* Accusati sunt consumentes tempora sua, & occupationes disputationum suarum, in perscrutanda, & quodammodo metienda creatura, quæsierunt meatus siderum, intervalla stellarum, itinera cœlestium corporum: ita ut computationibus quibusdam ad eam scientiam pervenirent, ut prædicerent defectum solis, defectum lunæ, & quando prædicerent, eveniret, eo die, & ea hora, & quanta parte prædixerant. Magna industria, magna sollertia: sed *ibi creatorem scrutati sunt, positum non*

longe à se, *& non invenerunt*; quem si invenissent, habuissent apud se. *Optime itaque*, *& rectissime accusati sunt*, qui potuerunt investigare numeros siderum, intervalla temporum, defectum luminum cognoscere, & prædicere: *recte accusati sunt* quoniam à quo ista facta, atque ordinata sunt non invenerunt quia *quærere neglexerunt* (audis quod quærere neglexerunt: & quod non idcirco non invenerunt quia quærere non potuerunt, sed quia quærere noluerunt, ut supra dicebamus) tu autem (ô indocte, & idiota) non valde cura, si gyros siderum, & cœlestium, terrenorumve corporum numeros *ignores* (quæ est curiositas doctorum avertens eos à DEO, & affigens eos mundo) vide pulchritudinem mundi (ad quod non requiritur magna eruditio) & lauda consilium creatoris, vide quod fecit, *ama qui fecit*. Tene hoc maxime. *Ama qui fecit*, quia & teipsum amatorem suum ad imaginem suam fecit. Ecce adhuc in quo superant doctos indocti, quia ipsi plus amant, quam cognoscunt, docti vero plus intelligunt quam diligunt, unde bene dicitur ab Apostolo quod ipsi evanuerunt in cogitationibus suis. Et in fine sermonis, postquam repetiit hæc verba Christi. Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Addit & hæc Isaiæ 60. scilicet: super quem requiescit spiritus meus; *super humilem*, & quietum, & *trementem verba mea*. Supra quæ sic ait Augustinus ad propositum nostrum: hæc verba Petrus tremuit, Plato non tremuit, *teneat piscator*, quod perdidit nobilissimus disputator. Per hæc innuens pauperes, piscatores, & idiotas esse aptiores ratione gratiæ, ad noscendum DEUM sicut oportet ut credant in eum, quam docti, & sapientes ratione scientiæ suæ acquisitę, per quam ut plurimum fiunt vani, & curiosi, non referentes in DEUM cognitiones suas, ut credant in eum, sed ut disputent de eo, & de infinitis quæstionibus inutilibus, quæ non prę-stant ædificationem.

§. IV.

In quo aliqua alia objectio diluitur, & alter modus additur quo Pagani possunt pervenire ad veram fidem sine prædicatione Evangelij, ubi & variis quæstionibus ad id pertinentibus respondetur.

3. DIci posset: quod & si concederetur illam gratiam esse convenientem idiotis, sicut doctis, & sapientibus sæculi, non esset tamen sufficiens ad perducendos eos ad illam fidem, cùm nullis historiis perhibeatur, aliquos sic credidisse.

Respondeo non omnia quæ facta sunt, in historias esse relata, & cùm sint spiritualia, & intus in animo completa, vix apparent ex-

teris hominibus. Unde non est mirum quod non referantur in historias: quicquid sit, satis ostendunt D. Augustinus & Prosper illam gratiam esse sufficientem pro omnibus, cùm ex hac gratia data hominibus, dicant homines sine ulla exceptione esse inexcusabiles, quod non crediderunt, ut supra vidimus in probatione conclusionis, quod certe falsum esset, si gratia illa sufficiens non esset: cùm nullus videatur magis excusabilis in non faciendo aliquid, quam cùm potest dicere non adfuisse potentiam. Nec vero potest dici; Augustinum, & Prosperum, istos vocasse inexcusabiles ratione peccati originalis, ob quod merentur privari hac gratia, seu potentia: nam non hinc sumunt D. Augustinus, & Prosper illam inexcusabilitatem, sed ex parte ipsius gratiæ datæ, ut in locis supradictis videre est. Fateor tamen illas conversiones posse esse raras, & rarò apparere cæteris hominibus, propter difficultates quæ ibi interveniunt. Nam non facile sibi complacent homines in illa contemplatione in ordine ad quærendum verum Deum, & facile tunc rejiciunt gratiam eis ad hunc finem datam, cùm non ad hunc finem contemplentur, sed ex curiositate, & vanitate, quæ negligit hæc seria, & semper hiat ad vana: unde bene dicit Apostolus: quod hi evanescunt in cogitationibus suis, & quod semper sunt discentes, & ad veritatis scientiam numquam pervenientes. Sed & si sic pervenirent ad notitiam veri Dei, non tamen sæpe accidit, ut Deum cognitum sicut Deum glorificent, vel ex superbia, sibi tribuentes quod à solo Deo acceperunt, sicut dicit Augustinus (ut vidimus) de antiquis Philosophis, & sic præsumentes de propriis viribus, negligunt invocare creatorem, ut perducat eos ad plenam fidem, & ad cætera quæ sunt ad salutem suam proxime faciendam necessaria. Vel ex infirmitate humana non audent aperte colere, quem intus norunt verum, & unum Deum: timent enim concives suos qui talem Deum, nec norunt, nec colunt, sed idola, & dæmonia: unde & conformantur suis civibus adorantes idola, & dæmonia, vero Deo contempto, & sic veritatem in injustitia detinent: Denique ante, & post fidem illam, pauci sunt qui velint à peccato abstinere, sed volunt adhuc indulgere suis vitiis, unde indigni fiunt quibus Deus det gratiam proximam, & efficacem, qua perveniant ad plenam fidem, quæ est in Christum, & proinde ad alia, quæ sunt ad salutem suam proxime faciendam necessaria prout indicat Augustinus in hunc versum Psalmi 39. comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui ut viderem. Unde fit ut non sit omnino mirum, quod tales conversi non prodantur in historiis, cùm rarò id eveniat, & sæpe aliis non appareat ex causis præallegatis.

2. Timoth. 3.

Sed & alium modum * nobis prodit Augustinus libro 3. de lib. arbitrio, quo infideles omnes, & singuli, possunt venire ad fidem. Scilicet si bene utantur naturali suo judicio in peccatis vitandis, & præceptis faciendis, eo modo quo possunt per gratiam ad id sibi

* Vide similem modum apud D. Thomam in quæst. disput. quæst. de verit. artic. 11. ad primum & secundum.

præstitam: hoc enim videtur indicare Augustinus prædicto libro 3. de lib. arb. cap. 20. ubi, ait: non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium (ecce vides, id pertinere ad omnes, & singulos; quis enim non habet naturale judicium) quo sapientiam præponat errori, & quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat. Quod si agere noluerit (quod supponit posse in sensu Augustini, & per hoc gratiam sufficientem) peccati rea jure tenebitur, *tanquam quæ non bene usa sit ea facultate, quam accepit. Quanquam enim in ignorantia & difficultate nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur* (ergo habent homines aliquam gratiam, qua ex illa ignorantia, & difficultate liberentur ad bonum faciendum, si velint, ut patuit in Cornelio) neque omnino potuit, nisi Deus omnipotens esset etiam talium creator animarum, quas non dilectus ipse faciat, & *diligens eas reficiat*, & dilectus ipse perficiat, qui & non existentibus præstat, ut sint, & amantibus eum à quò sunt, præstat ut beatæ sint. Et paulo post: *dedit enim ille, & facultatem bene operandi in laboriosis officiis* (V. G. colendi parentes amandi proximos, subveniendi oppressis, erogandi egenis, & in similibus voluntatis officiis) & viam fidei (scilicet præallatam per contemplationem rerum creaturum, vel aliter) in oblivionis cæcitate. Indicium illud vel maxime, quod anima *omnis* (ergo nullus excipitur) & *quærendum esse concedit, quod inutiliter nescit, & perseveranter in officiosis laboribus ad evicendam recte faciendi difficultatem, & opem à creatore implorandam ut conantem adjuvet.* Qui vel extrinsecus lege (ut in Judæis) vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit. Et cap. 22. circa med. quod ergo ignorat, quid sibi agendum sit (hoc est bonum ex omni parte, tam secundum finem, quam secundum objectum, ut illud faciendo non peccet venialiter, ut infra explicabitur) ex eo est, quod nondum accepit (scilicet fidem) sed *hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit, bene usa fuerit: accepit autem ut pie, & diligenter quærat, si volet.* Ergo quilibet potest quærere creatorem si vult, vel per contemplationem creaturarum, vel per prædictam observationem præceptorum, ad hoc enim habet gratiam secundum Augustinum. Quod & adhuc indicat lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 9. circa med. ubi ait: *nullam esse animam quamvis perversam*, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, *in cujus conscientia non loquatur Deus.* Per quod clare indicat, gratiam sufficientem datam esse omnibus, & singulis ad cognoscendum Deum: quod & mox aplicat infidelibus dicens: quis enim scribit in cordibus hominum *naturalem legem* (quod spectat ad Gentiles) de qua lege Apostolus ait: cum enim *gentes*, quæ legis sunt, faciunt, hi legem non habentes (qui sunt Gentiles, seu Pagani) ipsi sibi sunt lex, qui *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis contestante conscientia ipsorum*, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium in die quâ judicabit Dominus occulta hominum. Et idem ad-

Videtur Augustinus innuere lib. 1 de lib. arb. c. 2 initio quod per hanc gratiam incœpit suam conversionem, cùm esset Manichæus, & extorris à vera fide dicens: *nisi mihi amor investigandi veri opem divinam imp etravisset*, emergere inde (id est ex hæresi & ex infidelitate sua) atque in ipsam primam quærendi libertatem respirare non possem.

Ex his omnibus quæ hic habentur, nihil est retractatum in retract. & proinde est approbatū ab Augustino, tum cum erat maxime instructus de rebus divinæ gratiæ.

huc indicavit libro annotationum in Job cap. 36. ante med. ubi cum dixisset quod Deus impios non salvos faciet, eo quod *noluerunt* (& per hoc potuerunt , seu gratiam sufficientem ad id habuerunt) *scire Deum* : mox id applicat Gentilibus dicens : *hoc ad gentes magis videtur pertinere.* Per hoc clare indicans , gentes specialiter habuisse , & habere gratiam sufficientem ad cognoscendum Deum , sed ea uti nolle aut noluisse quod est eorum culpa , & non necessariæ gratiæ carentia , qua , etiamsi non audierunt sibi prædicatum Evangelium , potuerunt tamen pervenire ad veri Dei cognitionem . & per hanc ad Christi fidem , & per hanc etiam ad salutem æternam.

Sed quæres quænam sit illa gratia. Respondeo 1 esse naturalem in substantia , & supernaturalem quoad modum : nullam enim umquam agnovit Augustinus supernaturalem secundum substantiam , qualem si agnovisset , dicto citius devicisset Pelagianos , & Semipelagianos (solas arbitrij liberi vires extollentes , tanquam ad bonum per se sufficientes) dicendo scilicet quod quantælibet illæ vires essent , erant semper naturales , & proinde improportionatæ actui in substantia supernaturali , qui est superioris ordinis : sed de his nihil cogitans Augustinus respondet ad vires lib. arbitrij , & ostendit eas esse ita infirmatas per peccatum primi hominis , & per concupiscentiam hinc ortam , ut prorsus insufficientes sint ad bonum opus efficiendum , quod bonum est tam ex fine , quam ex objecto , & proinde indigere ad id alieno auxilio , nempe divino , sine quo nec perficere , nec etiam incipere ullum tale bonum opus potest : Respondeo 2. illam gratiam non esse gratiam Christi quia gratia Christi est ad bonum opus simpliciter , ista autem est tantum ad bonum opus secundum quid , nempe ex objecto , & non etiam ex fine. Unde contendente apud Augustinum Juliano lib. 4. contra Jul. cap. 3. bonum opus reperiri in infidelibus sine gratia in voluntate necessaria , concedit in eis reperiri bonum opus ex objecto , seu ex officio voluntatis sine tali gratia , non vero etiam ex fine : vult tamen illud opus esse ex gratia , cùm ibidem sæpe vocet illud, donum, & munus Dei , & dicat esse acceptum à Deo qui bene utitur malis , sed non ex gratia in voluntate necessaria , qualis est gratia Christi , de qua solùm disputabatur cum Pelagianis. Unde videtur illa gratia fuisse solùm in intellectu , & fuisse eamdem ac Adami , quæ quidem proxime sufficiens erat in Adamo ad opus bonum simpliciter , & ex omni parte , propterea quod Adamus , ut non habebat voluntatem depravatam , & sibi , proprioque bono quasi indivisibiliter affixam per concupiscentiam , sicut nos , ita nullum habebat impedimentum boni , sed magna facilitate illud facere poterat , prout sæpe dicit Augustinus , & sic parva ista sufficiebat ei gratia ad bonum ex omni parte , proxime , & immediate faciendum, non autem sic est sufficiens nobis ad bonum ex omni parte faciendum , propter rationem contrariam quia nempe habemus voluntatem

Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 1. n. 3. dicit multos Theologos ex antiquis censuisse actus non esse supernaturales secundum substantiã, sed tantum secundum modum.

Si quis dicat , istam gratiã non esse sufficientem homini lapso, neque proxime, neque re-

depravatam per concupiscentiam, & nobis, nostroque singulari bono vehementer affixam, ita ut dixerit Apostolus generaliter: quod omnes quæ sua sunt quærunt, non quę Jesu Christi: & ideo non valet in nobis proximè, & simpliciter ista parva gratia ad bonum ex omni parte, seu ad bonum quod bonum est ex objecto, & fine, sed tantum ad bonum secundum quid, seu quod bonum est ex objecto, sed non ex fine. Verum non sunt inutiles nobis istæ gratię, cùm ut jam dixi ex Augustino, si Pagani sint fideles in bene utendo istis gratiis, & in præstandis per eam operibus bonis secundum quid, Deus dabit eis aliam gratiam, per quam perveniant ad cognitionem Dei, & per hanc ad orandum Deum, & per hanc ad alias gratias sibi necessarias ad consequendam vitam æternam.

mote, sed tantum esse viam ad sufficientē, quam Deus habet paratam, pro his qui bene utuntur ista gratia, dicendum tamen est, Paganos, in hoc modo explicandi eorum gratiam, habere gratiam sufficientem, non quidem in re, sed in præparatione: quia nempe Deus paratus est dare eis gratiam sufficientem, si præcedente hac insufficienti bene utantur, ut possunt: sed non propter hoc dicendum est quod Deus det actui præcedenti istam gratiam sufficientem tanquam ob meritum, quod absit, cum actus præcedens sit etiam peccaminosus ex fine, sed quia ita vult Deus agere, ita vult suas gratias distribuere & istum ordinem observare ex mera voluntate, & electione sua. Hoc denique placuit oculis infinitæ suæ misericordiæ, & non aliter voluit in his agere: si quis tamen putat, hanc gratiam esse sufficientem, non ideo coincidet cum sensu Pelagiano: nam Pelagiani putabant gratiam intellectus sufficere proxime, & immediate ad bonum quod est bonum ex omni parte, ille autem non est sic, cùm ista gratia solùm possit dici remota, in quantum tantum disponit ad habendam alteram, quæ proxime, & immediate possit tale bonum agere, non vero dici potest proxima, ut Pelagiana, & superba, quæ negabat se indigere ulteriori auxilio in voluntate necessario ad bene agendum, quod semper, & solùm oppugnavit Augustinus.

§. V.

In quo demonstratur: nullam umquam Augustinum agnovisse actionem moraliter, seu ex omni parte bonam in homine ante omnem fidem, sed semper putasse quamlibet fuisse aliqua ex parte vitiatam, & peccaminosam.

ADvertendum autem est quod aliqui non attendentes huic doctrinæ Augustinianæ de prædictis bonis operibus secundum quid, multum hallucinati sunt putantes, Augustinum censuisse, infideles ante omnem fidem potuisse aliqua opera ex omni parte bona, facere, eo quod supradicta bona opera secundum quid vocet aliquando bona, & præmio, seu laude digna, quod non fecisset, inquiunt, si ex fine pravo, aut alia circumstantia essent intrinsece vitiata: quasi vero non satis explicuerit sensum suum Augustinus, cùm in prædicto libro contra Jul. cap. 3. ubi formaliter, & ex professo tractat istam materiam vocet talia opera, bona qua parte respiciunt objectum bonum, seu qua parte voluntas facit, quod debet, & facit officium suum, mala autem qua parte vitiantur ex fine malo, aut alia prava circumstantia. Noveris, inquit, non officiis, sed finibus à vitiis dis-

Nota valde hoc.

cernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est, finis vero, propter quod faciendum est: cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur: quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras, officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ecce quomodo vocat illas actiones malas ex finibus: nunc audi quomodo vocat bonas ex officiis. Nam non multo post sic ait. Possunt ergo aliqua *bona* fieri, non bene facientibus.

In his semper debes supponere, esse solùm sermonem de Paganis puris, & falsos Deos colentibus, quales erant Regulus, scipio, fabricius, & hujusmodi, de quibus ibi solùm loquitur Augustinus, ut patet ex toto illo capite libri 4. contra Iul. non vero ibi etiam sermonem esse de Paganis secundum quid, & improprie, qui colunt unum Deum, qualis erat Cornelius de quo dicitur in scriptura quod erat religiosus & timens *Deum*. Hi enim possunt facere opera ex omni parte bona, tam ex fine, quam ex objecto, ut fecisse videtur Cornelius, signum enim est quod bene jam usi sunt gratia data, quandoquidem pervenerunt ad cognitionem veri, & unius Dei, & cognoscendo eum possunt invocare opem ejus ad illa bona facienda, imo & ad veram fidem habendam, quo pacto videtur ad illam pervenisse Cornelius.

à quibus fiunt (ecce vocat bona quæ non bene fiunt, nempe bona ex officio, sed mala ex fine, ut mox sequitur) *bonum est* enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti (quod est officium voluntatis) sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis, quam Dei facit, non bene *bonum* facit (ecce finis, qui vitiat illud bonum, sed tamen vocat bonum, nempe qua parte respicit objectum bonum, quod est subvenire homini periclitanti, præsertim innocenti, malum vero ex parte finis, ut mox sequitur) quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit, absit enim ut sit, vel dicatur voluntas bona (scilicet absolute, & simpliciter, & adæquate bona, tam ex parte finis, & circumstantiarum, quam objecti) quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur (id est quæ agit propter se, aut alios, ut ab eis aucupetur laudem, aut emolumentum terrenum & non propter Deum) nec esse fructum ejus, à quo fit *bonum* (ecce adhuc vocat opus illud bonum, scilicet ex objecto, & officio) à quo etiam per malos fit *bonum*, sed *Dei opus bonum* (ecce etiam illud opus vocat opus Dei, & bonum nempe ex objecto, quod tamen est malum ex fine: quia nempe à Deo illud faciente per hominem non intenditur malus finis, sicut ab homine, ut mox sequitur) à quo etiam per malos fit *bonum*, ac per hoc, nec ejus (scilicet hominis) fructus iste dicendus est, quando arbor mala bonos fructus facere non possit: arbor enim mala bonos fructus non facit: sed potius *bonum opus* est illius (scilicet Dei) qui etiam per malos, bene (id est ipse cum bona intentione, & recto fine) facit. Et multo post cùm dixisset Julianus. Si Gentilis nudum operuerit; numquid, quia non est ex fide, peccatum est. Clare in illa actione sic distinguit bonum, & malum dicens: prorsus *in quantum non est ex fide peccatum est.* (ecce malum scilicet ex fine: nunc ecce bonum scilicet ex objecto,

Nota aliam rationem ob quam mala opera infidelium vocet Augustinus bona, nempe qua parte sunt à Deo concurrente ad illa, ad bonum finem.

&

& officio) non quia per seipsum factum quod est nudum operire peccatum est (imo vero ut sic vocat infra opus bonum) sed de tali opere, non in Domino gloriari *solus impius negat esse peccatum.* Quod ut intelligas quamvis jam satis inde fuerit disputatum tamen quia magna res est (notent hi qui hanc quæstionem putant esse levem : puto ego Augustinum eam censuisse maximi esse momenti ad solvendas objectiones Juliani contra gratiam in voluntate necessariam factas, nec enim tantopere eam ibi disputasset, nec impium eum vocasset, qui contra sensisset, ut modo vocavit eum, nisi talem esse censuisset) adhuc paulisper ausculta. Ecce eadem commemoro quæ ipse posuisti. Si) Gentilis, qui non vivit ex fide nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum, nec tormentis potuerit impelli. Quæro abs te utrum *hæc bona opera* (quæ scilicet sunt tantum bona ex objecto, seu ex officio) bene (id est recta intentione) facit; negare non potes eum peccare, qui male quodlibet facit. Sed quia eum non vis cùm facit ista, peccare, profecto dicturus es: & *bona* facit, & bene. Ubi nota hanc conjunctivam, &, quæ indicat duo esse, bonum facere, & bene. Bonum nempe est id quod respicit objectum, seu officium, etiam solùm sine bono fine: bene vero quod & respicit finem. Et paulo post sic ait. Quod si, & ipsa per seipsam naturali compassione *opus est bonum* (scilicet ex objecto) etiam *isto bono* male utitur, & *hoc bonum* male facit (id est perversa intentione) qui infideliter facit: qui autem male facit aliquid, profecto peccat (unde & mox illud opus quatenus est bonum ex objecto tribuit Deo, quatenus autem est malum ex fine tribuit homini) ex quo colligitur, etiam ipsa *bona* opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis: ipsorum autem esse peccata, quibus, & *bona* male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stulta, & noxia faciunt voluntate, id est mala intentione. Et sub finem capitis sic alloquitur Julianum. Breviter accipe: ne forte cùm in rebus tantum erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis. Aut ergo intellige quod ait Dominus: si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit: si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit. Et hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit (ecce propter quid negat in infidelibus reperiri opera bona ex fine, sed solùm ex objecto, quia nemhabebant aliam, qua, si vellent bene uti, ut possent, pervenirent ad istam: & sic vere in culpa sunt, quod non faciant bene illa opera, quia in culpa sunt, quod non habeant gratiam proxime ad id sufficientem ex neglecta gratia quam habent: eo modo, quo Christiani, qui non habentes gratiam proximam, sed solùm remotam, seu orandi, non implent præcepta, vere enim illi peccant non implendo præcepta, etsi non habeant gratiam proximam ad præcepta implenda, quia nempe in culpa sunt quod non habeant illam, cum nolint facere quod possunt, quod si facerent, illam alteram Deus donaret eis: ita & dicendum de his Paganis.

Nota quod istud bonum male factum, est vere peccatum: licet enim tales Pagani non haberent gratiã proxime sufficientẽ ad non peccandũ, seu ad bonum bene faciendũ: tamen, ut dictum est,

pe carent fide, quæ ut ait in præfat. in Psalm. 31. ante medium : dirigit intentionem) & per hoc disce, eum qui non facit *opera bona*, intentione fidei bonæ, hoc est ejus, quæ per dilectionem (justitiæ) operatur, totum quasi corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum. Ubi vides eum vocare opera bona, quæ tamen sunt plena peccatis ob malam intentionem. Simili modo alibi distinguit id quod laude dignum aut vituperio & id quod præmio aut pœna dignum in ejusmodi operibus est. Et ratione boni, dicit illa esse laudabilia, & remunerata : ratione vero mali, vocat vituperabilia, & punienda : nam lib. contra mendacium cap. 15. loquens de Hebræis obstetricibus, & de muliere Hierichuntina, quæ omnes mentitæ fuerant, ut misericordiam præstarent proximo. Sic ait : sed quod scriptum est, *bene* Deum *fecisse* cum Hebræis obstetricibus, & cum Raab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est, quia mentitæ sunt (ob hoc enim potius erant puniendæ) sed *quia in homines Dei, misericordes fuerunt* (ecce agnoscit ibi præmium datum actionibus per se malis, sed ratione boni alicujus quod erat in eis, scilicet naturalis misericordiæ quod mox distinguit dicens) non est itaque in eis remunerata fallacia, sed *benevolentia, benignitas mentis, non* iniquitas mentientis.

Sic cum dicit libro de sp. & litt. cap. 26, in fine : quod sunt aliqua infidelium opera, quæ secundum justitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus. Intelligit solùm hoc de laude quam meretur voluntas, officium suum faciens, & volens bonum ex objecto, licet non sit bonum sed malum, ex fine, aut ex circumstantiis. Unde & mox addit : quanquam si discutiatur, *quo fine* fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur. Ubi particula illa (vix) non indicat ejus, circa hoc, dubitationem quasi dubitaret, esse illas actiones malas (quanquam, & si id indicaret : tamen ea quæ postmodum dixit in aliis suis operibus, & præcipue in libro 4. contra Jul. cap. 3. ubi de illa quæstione formaliter tractat, satis eam abstergerent) sed solùm ejus indicat ab hac quæstione abstractionem cùm de ea ibi formaliter non ageretur quomodo alibi notavimus eum se habere solere circa ejusmodi quæstiones incidentes, eas scilicet solùm perstringendo & potius declinando quam aperiendo sensum suum circa illas : satis enim clare ostendit cap sequenti censere se tales actiones esse malas ex fine, cum exerte dicat : quod propter illas etiam infideles punientur, licet tamen mitius, quam propter alias. A cuius gratia, inquit, si alieni sunt illi de quibus agimus, qui *secundum illum modum, de quo superius satis diximus, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.* Quid eis proderunt excusantes cogitationes in die qua iudicabit Deus occulta (id est intentiones, & fines) hominum, nisi forte, ut *mitius puniantur.* Quis enim dicat, actiones ex omni parte moraliter bonas puniri à Deo justo, & bono : posset

Lib. de prædest. ad gl. parte 1. sect. 7. §. 2, puncto 5.

quidem dici quod non præmiantur vita æterna, quia non sunt factæ in fide justificante, sed eas puniri aliqua pœna à Deo justo, & bono, nemo recte id dicere, aut putare potest: nisi illæ malæ sint, vel ex objecto, vel ex fine. Unde & mox illas dicit esse, vel pessimorum hominum: sine quibus, inquit, difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

Licet ergo vocet Augustinus illas actiones aliquando bonas; non tamen per hoc vult dicere, quod sunt bonæ adæquate, tam ex fine, quam ex objecto, sed tantum quod sunt bonæ secundum quid: bonæ scilicet ex objecto, sed malæ ex fine: laudabiles ex objecto, vituperabiles ex fine: præmiabiles ex objecto, sed punibiles ex fine, aut aliis circumstantiis, & proinde malæ simpliciter, quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.

§. VI.

In quo demonstratur, prædictas infidelium actiones, non ideo vocari malas ab Augustino quia carent merito vitæ æternæ, sed quia carent bono fine, aut aliqua circumstantia ad moralem bonitatem requisita, & non aliter.

NEc vero melius viderunt ij; qui dicunt; istas actiones vocari ab Augustino non bonas, sed malas, quia vitæ æternæ non dignas, seu non meritorias. Tantùm enim abest, ut ideo vocet illas non bonas, quia vitæ æternæ non meritorias, quin potius contendit illas non esse vitæ æternæ meritorias, quia aliunde non bonas.

Nam cum sic interpretaretur Julianus dicta Augustini, & diceret, illas actiones infidelium esse bonas simpliciter, tam ex fine, quam ex objecto, sed tamen steriliter bonas, idest vitæ æternæ non meritorias. Mox occurrit sanctus Præsul dicens, nullas esse actiones steriliter bonas, quia si essent bonæ secundum se, essent ad salutem fructuosæ: per hoc indicans bonitatem actionum præsupponi ad meritum vitæ æternæ, & eas non fieri bonas per illud, sed esse debere bonas ante illud: non enim, ut dixi, requirebat S. Doctor gratiam supernaturalem in substantia ad meritum vitæ æternæ, sed tantum supernaturalem secundum modum. Unde modo actio esset bona secundum se, & secundum regulas moris, seu rectæ rationis (qualem non putabat esse posse aliquam sine gratia Christi, quæ corrigeret naturam, & redderet eam aptam ad producendum opus tam bonum, tam excellens, & tam purum, cùm natura vitiata, & corrupta per peccatum, ad id non esset sufficiens, & idonea ut perperam volebant Pelagiani) sufficiebat illi ad meritum vitæ æternæ, nec minus valere existimabat illas actiones quam possessionem Regni Dei, si perseveraretur in eis: quod satis aperte significat in prædicto cap. 3.

Huic doctrinæ Augustini bene concinit fidus ejus interpres D. Prosper Carm. de ingratis c. 16. dicens: *omne* etenim probitatis opus nisi semine veræ exoritur fidei, peccatum est, inque reatū vertitur, & *sterilis* cumulat sibi gloria pœnam.

libri 4. contra Julianum, ubi respondens isti erranti, eadem quæ isti, ei objicienti, sic ait. *Per quod vera justitia, per hoc etiam regnum Dei: Deus namque ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus: cùm & ipsum ejus regnum justitia sit: quemadmodum scriptum est: non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium.* Porro si *veram* justitiam (vera autem justitia, est ea, quæ conformis est regulis justitiæ, seu rectæ rationis) non habent impij (id est infideles) profectò nec alias virtutes comites ejus, & socias, quia cùm ad suum non referuntur authorem dona Dei (ecce defectum actionum infidelium, quia non referunt eas in Deum, ut authorem bonorum omnium, quem non agnoscunt, sed ad seipsos, ad vanam gloriam aucupandam, aut ad suam utilitatem faciendam, ut alibi explicat, aut ad cultum dæmonum, quę omnia demonstrant, eorum actiones esse vitiatas ex fine, licet bonas ex objecto) hoc ipso male his utentes, efficiuntur injusti: si quas habent, *veras* non habent, ac per hoc nec continentia, sive pudicitia *vera* virtus est impiorum. Id est infidelium. At quis neget pudicitiam moralem, seu secundum regulas moris, & rectæ rationis regulatam, esse veram virtutem: ergo negat eis virtutem veram moralem, & solùm concedit eis notham, & falsam, quæ nec moralis, nec meritoria est vitæ æternæ quia si vere moralis esset. & juxta regulas rectæ rationis facta, meritoria esset vitæ æternæ secundum Augustinum: ut etiam paulo supra indicavit dicens: quomodo est in eis vera justitia (id est in infidelibus) in quibus non est vera sapientia (de qua tamen se jactabant antiqui Philosophi Pagani) *quam si eis tribuerimus, nihil erit causæ, cur eos non ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum.* Scilicet æternum. Et una columna post clare dicit: quod virtutes quæ sunt steriles, & regni æterni non meritoriæ, non sunt verę, sed falsæ non ex hoc quod non sunt sic meritoriæ, sed ex hoc quod aliunde sunt vitiatæ, & per hoc non sic sunt meritoriæ. Si ergo, inquit, *ad consequendam veram beatitudinem*, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, *nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes.* (Sed quare non sunt veræ virtutes, an quia non sunt supernaturales in substantia, an quia non sunt in subjecto grato, & informato gratia habituali, non frater, sed quia intrinsece non sunt bonæ, quia non sunt bonæ adæquate, tam ex fine, quam ex objecto, sed deficiunt in suo fine ut sequitur) an placet tibi ut veras virtutes avarorum esse dicamus; cùm lucrorum vias *prudenter* excogitant (ecce falsam prudentiam deficientem ex fine) cùm pro acquirenda pecunia, sæva, atque aspera multa *fortiter tolerant* (ecce falsam fortitudinem & patientiam deficientem ex fine) cùm varias cupiditates quibus sumptuosè vivitur, *temperanter, sobrieque* castigant (ecce temperantiam falsam deficientem adhuc ex parte finis) cum abstinent ab alieno, & de suo sæpe amissa contemnant,

Ea ipsa opera quæ *dicuntur* ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, *inania sunt.* Ita mihi videntur, ut magnæ vires, & cursus celerrimus *præter viam.* Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem *ubi fides non erat, bonum opus* (scilicet ex omni parte) *non erat.* Bonū opus intentio facit (quod spectat ad omne opus vere bonū etiā solùm moraliter bonum) intentionem fides dirigit. Non valde attēdas, quid homo *faciat* (quod est officiū voluntatis) sed quid, cum facit aspiciat (qui est finis) quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Quod adhuc spectat ad finē. In præf. Ps. 31.

quod videtur ad *justitiam* pertinere (ecce falsam justitiam deficientem adhuc ex fine) ne jurgiis & judiciis plura consumant. Ecce igitur vides quomodo virtutes omnes infidelium sunt in se vitiatæ : non sane ob hoc quod non sunt meritoriæ vitæ æternæ, de quo ne unum quidem ibi verbulum videas : sed ob hoc, & præcise quod deficiunt in fine, quem debebant habere secundum rectam rationem, & habent illum secundum pravam affectionem, quam habent homines in avaritiam, quam ibi ponit loco exempli pro cæteris pravitatibus, & tortuositatibus humanæ intentionis non directæ per veram fidem : ibi enim ponuntur omnes virtutes cardinales, scilicet prudentia, fortitudo, temperantia, & justitia, quæ sunt fontes aliarum omnium, & tamen ponuntur omnes vitiatæ, ob scilicet finem pravum lucri, & avaritiæ : ex quo etiam sequitur, quod actiones earum, non bonæ sed malæ sunt : non quia eis deest aliquid supernaturale, quod requiratur ad meritum vitæ æternæ, de quo ibi summum silentium est, sed quia in fine suo morali sunt vitiatæ, sed quia sibi præstituunt finem, qui est contra bonum moris, & contra dictamen rectæ rationis naturalis, & humanæ ut clare patet ex dictis. Quod & mox adhuc inculcat reprehendens Julianum, quod vellet in virtutibus solùm spectari id quod agitur (quod est officium voluntatis, ut supra vidimus ab Augustino ipso explicatum) non vero finem cur agatur : in quo graviter errabat, quod ut vides solùm spectat ad genus moris, quod maxime spectat finem propter quem : non vero spectat ad supernaturalitatem actus, cum ibi non distinguat August. finem à fine, seu finem ab officio, quod est mere morale. Cùm enim, inquit, agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, & justè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundum tuam disputationem *veræ* virtutes sunt. sed (audi modum quo secundum suam falsam disputationem, veræ virtutes sunt, scilicet) si ad cognoscendum, utrum *veræ* sunt, hoc tantummodo intuendum (est) quod agitur, nec causa quærenda est, cur agatur : id est, si solùm attendatur ad objectum actus, seu ad officium voluntatis, & non ad ejus finem. In quo ut dixi graviter errabat Julianus non attendens ad finem operis quod est præcipuum in genere moris. Postea vero ponit per longum verba ipsa Juliani supradicto modo disputantis, sed ea omittimus brevitatis gratia, cùm satis credamus Augustino sensum eorum referenti : qui mox ab illis recitatis subdit dicens : hæc ubi didiceris nescio : jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse (nempe ex sua falsa disputatione, qua non attendebat ad finem operis, sed ad solum officium voluntatis) ut *vera* sit virtus, avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum : & avarorum justitia, qua gravium damnorum metu facilius sua nonnumquam contemnunt, quam usurpant aliquid alienum : & avarorum temperantia, qua luxuriæ quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum, soloque necessario victu, tegumentoque contenti sunt : & avarorum fortitudo, qua, ut

ait Horatius per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes: qua denique cognovimus quosdam irruptione Barbarica ad ea prodenda quæ habebant nullis hostium tormentis potuisse compelli. Ubi vides eumdem quem supra defectum moralem reprehendi in illis actionibus infidelium, scilicet pravum finem, nullum vero alium defectum pertinentem ad genus anagogicum, seu ad vitæ æternę meritum. Quod & exemplo confirmat pessimi alicujus inter infideles homines. Dicens: nec aliud erit quam *vera* justitia (non dicit supernaturalis, aut anagogica, aut meritoria vitæ æternæ, sed vera justitia, qualem nemo dubitat esse justitiam moralem) justitia Catilinæ: comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat: & fortitudo erit ejus, quod frigus, famem, sitim ferre poterat: & *vera* patientia quod patiens erat inediæ, algoris, vigiliæ supra quam cuiquam credibile est; quis hæc sapiat nisi desipiat: sed videlicet homo eruditus eorum vitiorum similitudine falleris, quæ finitima videntur, & propinqua virtutibus (non dicit supernaturalibus, sed solum virtutibus, quales nemo dubitat esse illas quas morales appellamus, ut per hoc designet, illas virtutes quas rejicit, non solùm non esse supernaturales, sed nec esse morales) cum absint ab eis, quam longe absunt à virtutibus vitia. Quæ & late prosequitur ibi etiam explicans quid sit officium voluntatis, & quid finis actionum, quæ jam supra retulimus: in quibus præcipue fallebatur Julianus, non attendens ad earum finem, ut supra notavit Augustinus, sed ad solum bonum voluntatis officium, quod solum non sufficit ad bonitatem actus moralem: & tandem sic concludit. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni (quæ erat distinctio, quam afferebat Julianus, & quam

Hæc particula (nullomodo) manifeste negat, ullam actionem, aut virtutem, esse bonam quæ non sit meritoria vitæ æternæ: & per consequens illam excludit evasionem, qua dicunt aliqui, Augustinum solùm ibi loqui de eo quod accidit ut plurimum, scilicet quod vult dicere, ut plurimum actiones infidelium malas esse, non tamen semper: sed prædicta particula, manifeste excludit istam evasionem, & ostendit nullam prorsus esse secundum Augustinum bonam actionem, quæ non sit ex fide, & meritoria vitæ æternæ. Unde postea in eodem capite allegat hos textus S. scripturæ: omne quod non est ex fide, peccatum est: & sine fide impossibile est placere Deo. Qui sunt prorsus exclusivi omnis, & cujuslibet actionis, quæ non est ex fide & meritoria vitæ æternę. Quod etiam clare demonstrat in cęteris suis operibus, ut in Psalm. 31. in pręfat ante med ubi ait: quod *ubi fides non erat, bonum opus non erat*: & tract 86. in Ioann. circa med *non est*, inquit, *ut dicas: antequam crederem iam bona operabar .... quid enim est boni operis ante fidem.* Et lib 19. de civit. Dei cap. 21 *quæ est*, inquit, *iustitia hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit*, & immundis dæmonibus subdit. Et cap. 25. qualis corporis, & vitiorum, potest esse mens Domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis dæmonibus prostituta. Unde D. Prosper inter illius sententias refert & hanc in ordine 106. *omnis infidelium vita, peccatum est* & *nihil* est bonum sine summo bono: ubi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus id est optimis: quantum ad officium voluntatis, non quantum ad finem, ut supra demonstratum est. Et ipse Prosper libro contra collat cap. 28. sic ait: manifestissime patet in impiorum animis *nullam* habitare virtutem (quod solùm dicitur de infidelibus: nam in impiis Christianis saltem habitat fides) sed *omnia* opera eorum immunda esse, atque polluta.

nunc afferunt ij, qui sequuntur ejus opinionem de prædicto opere bono quam rejicit Augustinus, ut supra satis demonstratum est) sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali; quod intelligendum necessario venit de malitia morali, & non de alia, cùm de ea hucusque locutus sit, & non de alia, ut satis demonstravimus.

§. VII.

Ejusdem contentionis, seu ejusdem materiæ prosecutio.

QUod autem id intelligat de vera malitia, & non de negatione cuiusdam bonitatis supernaturalis, meritoriæ regni cælestis, ut plerique putant, satis patet ex sequentibus, cùm postea dicat illos esse puniendos in die judicij propter ista opera: ad hoc, inquit, eos in die judicij cogitationes suæ defendent, ut tolerabilius *puniantur*, quia naturaliter, quę legis sunt, utcumque fecerunt (id est præcepta naturalia secundum substantiam, ut mox sequitur) scriptum habentes in cordibus *opus legis*, hactenus, ut aliis non facerent, quod perpeti nollent (quod est substantia præcepti, circa quam versatur officium voluntatis) hoc tamen *peccantes* (ecce vides eos peccare in illis operibus) quod homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt (id est non retulerunt ad bonum finem, ut debuerunt, sed ad pravum, & perversum ut ad avaritiam, ad vanitatem, & cætera ejusmodi, quæ satis ipse in præcedentibus explicuit propter quod sic prosequitur) minus enim Fabricius (vir laudatissimus inter infideles) quam Catilina (vir pessimus inter illos) punietur (sed tamen punietur) non quia iste bonus, sed quia ille magis *malus* (ergo ambo mali, & non solùm non boni in ordine ad gloriam, sed absolute mali) & minus *impius* (sed tamen impius; quis autem dicat esse impium qui facit actiones bonas moraliter, & non facit meliores, seu, ut aiunt, cœlo & vita æterna dignas) quam Catilina Fabricius, non *veras* virtutes habendo (non dicit supernaturales, non dicit meritorias vitæ æternæ, sed tantum veras: quis autem neget virtutes morales esse veras virtutes: ponamus quod sunt & aliæ veræ virtutes, sed hoc non impedit quin & istæ veræ sint) sed à *veris* virtutibus non plurimum deviando (sed tamen deviando, & per hoc vere peccando, unde & mox ait) fabricios, regulos, fabios, scipiones, & camillos, cæterosque illustriores Paganos in suis actionibus *virtute civili, non vera, sed verisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ serviisse.* Quod luce clarius ostendit, Augustinum censuisse istos vere peccasse in melioribus, quæ apparebant, eorum actionibus, & non solùm caruisse aliqua perfectione,

quæ non esset necessaria in illo genere, quod est ad veras virtutes secundum se. Unde cùm paulo post objiceret Julianus: erant ergo in damnatione sempiterna, in quibus erat vera justitia (per quam justitiam, intelligebat Julianus moralem, non vero vitæ æternæ specialiter meritoriam, cum jam satis declarasset, quod illa justitia, de qua loquebatur erat steriliter bona, id est vitæ æternæ non meritoria: unde responsio Augustini, ut sit apta, & legitima, debet esse de morali justitia, & non de alia. Sic respondet Augustinus) ô vocem impudentia majore præcipitem: non erat inquam in eis *vera* justitia (id est ergo moralis justitia, sed bona ex omni parte) quia non actibus, sed finibus pensantur officia: id est quia non sufficit ad genus moris, seu ad virtutem moralem, quod actus sint boni ex objecto, seu ex officio voluntatis, ut volebat Julianus, sed debent esse boni ex fine, qualiter non sunt boni prædicti actus seu prædicta Paganorum justitia, ut supra declaraverat. Ubi vides, Augustinum semper in hac disputatione de bonitate actus, distinguere solùm officium à fine, quod est mere morale, non vero finem aliquem bonum, ab alio fine bono, quod posset transferri ad genus supernaturale, seu anagogicum actus. Et cùm multo post retulisset ista alia verba Juliani: si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est. Sic respondet Augustinus *prorsus in quantum non est ex fide peccatum est*. Ecce vides eum censere omnia infidelium opera esse peccata quæ videntur bona; sed propter quid: audi illum explicantem seipsum: non quia, inquit, per seipsum factum quod est nudum operire, peccatum est (quia nempe istud est bonum ex objecto, & est bonum, ut sæpe dixit, voluntatis officium) sed de tali opere non in Domino gloriari (id est non referre illud in Deum, ut ad authorem bonorum omnium, sed ad proprium lucrum, aut vanitatem, ut referebant Pagani, quod supra toties repetiit) solus impius negat esse peccatum. Ubi vides illum semper insistere huic fini reprehendendo quod postea explicat per hoc, quod est bonum *male* facere, id est bonum ex objecto, malè facere intentione: si enim, inquit, quamvis bona, *male* tamen facit, negare non potest eum peccare, qui *male* quodlibet facit. Et id inquam reprehendit, ut id in quo solo hallucinabatur Julianus, putans sufficere ad actum bonum moralem, quod esset bonus ex objecto, licet non esset bonus ex fine: non vero vides eum redarguere in illis actionibus negationem cujusdam conditionis specialiter ad meritum vitæ æternæ requisitæ, ut quidam opinantur Neoterici, quod etiam omnino fatuè & impertinenter ibi reprehendisset Augustinus cùm non loqueretur ibi Julianus de tali merito, imo vero fateretur, & expresse declararet illud abesse à talibus actionibus, quas omnino volebat esse steriliter bonas seu bonas abstractivè à merito vitę ęternę, & per consequens ibi solùm disputans cum Augustino de bonitate morali, & non de supernaturali,

rali, seu de pertinente singulariter ad ordinem glorię, quomodo distingunt eam objicientes à bonitate morali actus: unde paulo post sibi objiciens Augustinus hanc instantiam juxta mentem Juliani, scilicet. Sed forte dicturus es: misericors voluntas bona est (ubi solùm vides bonum ex objecto, seu ex officio voluntatis, quod est misereri proximi, sine ulla expressione finis, propter quem misericordia facta sit, quapropter mox reprehendit eum dicens) recte istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, id est fides quæ per dilectionem (scilicet vere justitiæ & non propriæ concupiscentiæ) operatur semper est bona, ita misericordia semper esset bona (ergo bonum ex objecto, quod ibi est misereri proximi, non est semper bonum simpliciter, sed aliquando est malum, ut etiam mox sequitur) si autem reperitur & misericordia mala (ergo bonum ex objecto reperitur aliquando malum: sed unde fit, ut istud bonum, sit aliquando malum; num quia non est supernaturale in substantia: num quia non est meritorium vitæ æternæ secundum mentem objicientium, licet moraliter bonum sit: nequaquam id cogitat Augustinus, sed totam repetit istius actus malitiam ex malo moraliter fine, vel ex mala moraliter circumstantia, ut mox exprimit dicens) qua persona pauperis accipitur in judicio (ecce acceptionem personarum, quę est contra rectam rationem, & contra moralem justitiam: ibi reperitur malus finis, seu mala intentio moraliter, cùm ibi faciat homo misericordiam reo pauperi, ut proprium suum sublevet dolorem, conceptum ex miseria pauperis, licet id prohibeat recta ratio, & justitia moralis, cùm reus sit: & id non fit propter Deum, sed potius contra Deum, qui, ut author rectæ rationis, & justitiæ moralis, prohibet hanc acceptionem, sed id facit homo propter seipsum, & propter inordinatam suam inclinationem in pauperem, & ut propriæ suæ compassioni satisfaciat, contra omnes regulas veræ virtutis moralis, & justitiæ, & ideo vere peccat, licet bonum faciat, quia non bene illud facit, cùm faciat illud ex prædicta mala moraliter intentione, & circumstantia, scilicet cum acceptione personæ, quod mox illustrat exemplo Saülis Augustinus, sic perperam agentis, & miserentis) per quam postremo rex Saül metuit à Domino utique misericorde damnari (audis damnationem, & proinde verum peccatum sed quare sic damnatus est; num quia actus illius non erat supernaturalis in substantia, & non meritorius vitæ æternæ, licet esset ex omni parte bonus moraliter, nihil minus, sed quia seipsum prætulit Deo, sed quia suum prætulit humanum affectum jussioni divinæ, quod est in omni genere malum) quia contra ejus præceptum captivo regi *per humanum pepercit affectum.* Ubi vides, Augustinum ostendere, quod & si misereri sit aliquod bonum ex objecto, potest tamen esse malum ex fine, & ex prava circumstantia, & per hoc simul etiam demonstrans, quod defectus seu malitia, quam ipse reprehendebat in illis actionibus infidelium, quas defendebat Julianus ut bonas,

non erat contra aliquod quod requireretur supra virtutem moralem ad meritum vitæ æternæ, sed quod esset directe contra virtutem ipsam moralem, quæ docet nullius esse miserendum in præjudicium justitiæ unicuique debitæ: cùm hoc sit omnino difforme rationi: quam doctrinam late ibi prosequitur, ostendens, infidelitatem Paganorum esse causam hujusmodi defectuum, & peccatorum in actionibus illorum, & sola purgari posse fide Christi, quæ illuminat oculum intentionis, & facit hominem operari propter Deum (id est ob hoc quod Deus id præcipit, & vult) & non propter semetipsum (id est quia id nobis est commodum, aut utile, aut delectabile) quod prorsus corrumpit bonum morale, & vertit virtutem in proprium quæstum, & interesse, quod ut commune nobis est cum brutis, & pecoribus, ita nihil habet secundum rationem laudabile, nec proinde virtuosum. Amor mundi, inquit, quo quisque amicus est mundi (& per hoc, maxime suipsius) non est à Deo, amorque fruendi quibuscumque creaturis sine amore *creatoris* (ut authoris bonorum omnium) non est à Deo. Amor autem Dei, quo pervenitur ad Deum non est nisi à Deo patre per Jesum Christum cum Spiritu sancto: per hunc amorem *creatoris* (nota repetitionem istius nominis, ut designet objectum formale istius amoris, qui nihil habet supernaturale secundum substantiam) bene (id est cum bona intentione) quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore *creatoris* nullus quisquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit quod est dignum vita æterna: sed cùm ut jam dixi, & ostendi, non distingueret bonum illud beatificum à bono mere morali, quod esset bonum ex omni parte, tam ex objecto quam ex fine, mox adjungit ei virtutem mere moralem (ut sequitur) & pudicitia conjugalis (cui mox etiam dat objectum mere morale, seu potius finem mere moraliter bonum ut non dubites istam virtutem esse mere moralem prout ab eo ibi sumitur) ut sit ejus intentio, quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate

Iste amor mundi seu, quod idem est, suipsius, fuit vera causa, cur tam severe censuit Augustinus de actionibus infidelium: vidit enim illuminatissimus iste vir, quanta violentia ille amor adhæreat nobis, & inficiat actiones nostras, quæ magis videntur bonæ: ita ut pro bono Dei, & rationis, quod solum debet spectare bona actio, seu virtus, substituat nobis bonum nostrum proprium, aut lucrum temporale, aut voluptatem, aut vanitatem, aut alios similes carnales fines, nisi gratia Christi ei obsistat, illuminando intellectum, ut non fallatur & corroborando voluntatem, ne infirmetur, & ut à seipsa, & à bono proprio quasi eripiatur, & in aliam quasi regionem transferatur, ubi rejecto bono proprio, & carnali, adhæreat alieno, & spirituali quod est bonum Dei, & rationis: quod si post fidem Christi, post sacramenta Ecclesiæ, post ipsam Christi gratiam in voluntate susceptam, tam difficulter ab isto amore eripimur, ad hoc ut aliquas ex omni parte bonas actiones faciamus; quis miretur, Augustinum censuisse, infideles his præsidiis destitutos, & insuper dæmonibus eos corrumpentibus servientes, & eorum jussa, & consilia sectantes, nullam prorsus actionem ex omni parte bonam potuisse elicere. Certe si tali miranti haberet Augustinus respondere, diceret ei; quod ibid. citat scilicet serm. 12. de verb. Apost. cap. 2. in simili materia: si non credis mihi, intende tibi: sentiendo enim in te difficultatem, facile agnosces in eis impossibilitatem.

Propaginis. Quod est mere morale ut per se manifestum est. Et per consequens clarum est. Quod ad istam virtutem mere moralem tantum postulavit Augustinus gratiam, quantum ad bonum beatificum, seu vitæ æternæ meritorium: quia nempe non distinguebat Augustinus actum bonum moralem ab actu meritorio vitæ æternæ quantum ad substantiam actus, & proinde volebat esse verum de uno quicquid erat verum de altero quantum ad substantiam actus, seu bonitatis illius.

§. VIII.

In quo proponitur, & exponitur Augustini conclusio de operibus infidelium, & contraria cujusdam ejusdem conclusionis expositio rejicitur.

UNde paulo ante conclusit de actu vitæ æternę meritorio, id quod concludere volebat de actu morali integre bono: quia nempe talem actum moralem, & actum vitæ æternæ meritorium quantum ad substántiam actus unum, & idem esse deputabat. Sed quia Julianus concedebat ei de actu meritorio vitę æternæ, id quod ipse contendebat etiam esse verum de actu morali ex omni parte bono, ideo potius conclusit intentum suum sub nomine actus meritorij vitæ æternæ, aut æquivalente quam sub nomine actus moralis ex omni parte boni, licet à parte rei unum & idem concludere intenderet, ut mox videbis. Aut certe, inquit, quoniam saltem concedis opera infidelium, quę tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere (id est non esse meritoria vitæ æternæ) scito nos illud bonum hominum (quocumque vocetur nomine, sive morale, sive meritorium vitæ æternæ) dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci (id est non posse esse sine gratia Christi: sed nota valde quod sequitur) omnia proinde cætera (nota valde quę sunt ista cætera: per hoc enim videbis, merum bonum morale ex omni parte, fuisse inclusum in præcedenti propositione sub nomine actus æternæ vitæ meritorij, cùm hìc non includatur inter illa cætera quæ sunt à præcedentibus distincta) quę videntur inter homines habere aliquid laudis (ecce illa cætera: sunt tantum illa quæ videntur apud homines esse laude digna, & tamen digna non sunt: at nemo sanæ mentis dicet, quod opus morale ex omni parte bonum, non sit vere & à parte rei laude dignum, cùm optimum sit in suo genere & omnibus suis numeris completum: ergo non includitur inter illa cætera, quæ videntur inter homines laude digna, &

Nota valde hanc conclusionem, & ejus interpretationē ut melius capias sequentis objectionis solutionem.

non sunt, sed est inter præcedentia, quæ vocavit cœlo digna, & quæ prorsus voluit indigere Christi gratia, unde & sic prosequitur) videantur tibi (illa cætera, quæ sunt ab hoc actu meritorio, seu bono moraliter ex omni parte distincta) virtutes veræ, videantur operi bona, & sine ullo facta peccato (ergo illa cætera non deficiunt tantum in aliqua excellentia, aut perfectione supereminenti, seu supernaturali, sibi non necessaria, sed in aliquo sibi intrinsece necessario ad bonitatem suam simplicem, & absolutam, cujus carentia est causa, cur non sint sine peccato, seu cur vera sint peccata, quod prorsus non potest dici de actu morali ex omni parte bono, cum habeat omnia sibi necessaria ad esse bonum in genere suo: unde & mox manifestans quid deest illis actibus, quos amandat ad prædicta cætera intrinsece mala dicit esse finem bonum, seu intentionem bonam, quæ sine dubio est intrinsece necessaria actui morali, & non solum supernaturali) quod ad me pertinet, hoc scio quod non ea facit voluntas bona (id est intentio bona, juxta sensum illius in toto illo capite, quod clare demonstrat, bonum morale ex omni parte, non fuisse inclusum inter illa cætera, quæ videntur bona, & non sunt, quandoquidem dicit Augustinus illa non fieri à voluntate bona, id est ab intentione bona juxta sensum suum supra notatum: quod prorsus non potest competere prædicto actui moraliter bono, de quo loquitur Augustinus, qui ut bonus est ex omni parte, ita & bonus est ex fine, sicut ex objecto, & proinde est bonus, & laude dignus ex intentione bona) voluntas quippe infidelis, atque impia, non est bona: at quis dicat voluntatem ex omni parte moraliter bonam esse impiam. Certe dici poterit carere aliqua perfectione, & excellentia, sed esse impiam ex eo quod solum moraliter bona est & non aliter, nemo, ut opinor, sanæ mentis id dicet. Et per consequens manifestum est, Augustinum non inclusisse bonum opus illud morale inter illa cætera, quæ solum videntur bona, seu laude digna, & non sunt, sed intellexisse illud sub bono beatifico, seu vitæ æternæ digno, propter excellentem suam perfectionem, qua bonum est ex omni parte, & proinde divinæ gratiæ indigum, ut sit hoc modo bonum: propter quod noluit ob excellentem hanc perfectionem illud esse sterile, seu vitæ æternæ non meritorium, ut Julianus volebat: sed voluit esse cœlo dignum, & vitæ æternæ meritorium, & proinde non distinctum ab illo actu, quem vocabat Julianus vitæ æternæ meritorium: non enim tot requirebat Augustinus ad meritum vitæ æternæ, seu eorum quæ conducunt ad vitam æternam, ac Scholastici: sed modò actio non esset vitiosa ex aliqua parte, eo ipso putabat eam esse bonam, & cœlo dignam. Unde toties inculcat contra Pelagianos, & Semipelagianos: quod si quid hujusmodi præcedit gratiam Dei in homine, secundum merita dabitur, ut infra specialius videbimus. Sed ideo errant multi in interpretandis dictis Augustini, quia ea interpretantur secundum sua principia,

& non secundum propria Augustini principia, ut deberent.

Sed his non attendens Estius putavit per paulò supra exposita Augustini verba, scilicet : aut certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere : scito nos bonum illud hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci. Per illa, inquam, verba censuit Estius, Augustinum suam superiorem disputationem moderatum esse, & innuere solum per illa voluisse, satis esse ad causam Catholicam quam susceperat defendendam, si obtineat non ejus generis bona opera fieri posse ab infidelibus, quæ eos ad æternam salutem promoveant. Quod quam absurde dicatur ab Estio, nemo est qui non facile videat, si tantisper attendat ad verba Augustini : ibi enim videbis : Estium hanc ineptiam tribuere Augustino, ut petat, & contendat obtinere à Juliano, id quod ipse jam confessus est sibi esse concessum ab illo, quod absurdum & stultum est : dicit enim ibi Augustinus secundum ipsum Estium, quod Julianus saltem concedit, opera infidelium, quæ illi videntur bona, non eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere. Ait autem idem Estius, Augustinum dicere, sibi satis esse si obtineat (à Juliano) non ejus generis bona opera fieri posse ab infidelibus, quæ eos ad æternam salutem promoveant. Ecce id jam concessit ei Julianus ipso confitente Augustino : cùm dixit quod Julianus concedebat opera infidelium, quæ illi videbantur bona, non eos ad salutem æternam perducere; cur ergo idipsum petit Augustinus ab eo, ut obtineat, quod jam ante petitionem suam fatetur sibi esse concessum; numquid ridiculum est aliquem petere, aut contendere ut obtineat, quod ipsemet sibi dicit esse jam concessum. Certe idem videtur esse : opera infidelium non eos ad sempiternam salutem perducere : & : opera infidelium non eos ad salutem æternam promovere : primum agnoscit Augustinus sibi concedi à Juliano; quid ergo urget secundum, cum idem sit ac primum; numquid ibi est jocari & ludere in terminis. Imo vero ex his patet quod id non contendebat Augustinus obtinere à Juliano, cum peti non soleat id quod jam concessum, & obtentum est : cum ergo agnoscat Augustinus id sibi concessum esse à Juliano, scilicet opera infidelium non eos ad æternam vitam promovere, seu perducere, sequitur necessario quod aliud postulabat ab eo, ut obtineret : quod nihil aliud est, quam quod jam diximus, scilicet : quod sicut fatebatur Julianus infideles illa opera non posse facere, quæ perducunt ad vitam æternam, ita & fateatur eos non posse facere opera vere & moraliter bona (quod nolebat confiteri) cum hæc opera non distinguantur ab his quæ perducunt ad vitam æternam, sed sint illa ipsa opera vitæ æternæ meritoria, de

In 2 dist. 41. §. 4.

Ad cognoscendã plene, & integre Iuliani, & Augustini sententiam circa illas actiones, de quibus disputabant:

quibus loquitur Julianus, tanquam essent ab his distincta, & non sunt.

sciendum est, quod Iulianus (ut & Augustinus) nullas ad mittebat actiones bonas, in substantia supernaturales, sed volebat eas omnes esse morales, & iis manentibus intrinsece sic bonis, eas solùm variari extrinsece secundum diversos fines, quos homo sibi præstituebat per illas acquirendos, ut patet ex illis verbis Iuliani quæ habet Augustinus in illo capite, ubi ait Iulianus cunctarum origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes, per quos, aut fructuose, aut steriliter boni sumus, in subjecto sunt mentis nostræ: prudentia, justitia, temperantia, fortitudo (quæ sunt omnes virtutes morales) horum igitur affectuum vis, cùm insit omnibus *naturaliter*, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur: *quod cùm sit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant, quod merentur* (ubi vides, quod vult, ut maneant tales in se post talem directionem, quales erant ante illam, & per consequens eas tantum variari extrinsece per illam directionem: quod etiam mox confirmat adjiciens) nec nominis sui igitur possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius, quod appetiverunt, præmij, aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur. August. autem volebat eas intrinsece variari per fines diversos, ad quos dirigebantur, non ratione supernaturalitatis, quam nullam agnoscebat intrinsecam, ut nec Iulianus, sed ratione boni, & mali, & nihil aliud. Vnde & post prædicta Iuliani verba sic respondet: hæc ubi didiceris nescio: jam tamen cernis, ut arbitror, consequens esse, ut vera sit virtus, avarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum: & avarorum justitia, qua &c. ubi solum advertit bonum, & malum, & nihil amplius: ex quo patet quod hoc solum requirebat ad veram virtutem, & per hoc etiam ad meritum vitæ æternæ: juxta illud quod habet in eodem capite: per quod vera justitia, per hoc etiam regnum Dei: Quam directionem intrinsecam non advertens Iulianus, sed tantum attendens ad suam illam extrinsecam majoris, aut minoris præmij, graviter hallucinabatur, & ob id recte reprehendebatur ab Augustino, bene judicante quod ex hac interna directione ad malum finem. V. G avaritiæ, vanitatis, luxuriæ, & similium omnes actiones infidelium erant pravæ, quia ipsi carebant fide, quæ sola, ut ait Augustinus dirigit intentionem ad bonum, & sine qua semper homo tendit ad malum ex natura corrupta, scilicet ad avaritiam, vanitatem, luxuriam, & similia vitia. Hoc qui bene comprehenderit, bene capiet totam illam disputationem Augustini, & Iuliani de actionibus infidelium. Vbi nota, Iulianum solùm mentionem facere generis actionum, non vero ordinis illarum: quia nempe, neque ipse, neque Augustinus, quicquam cogitabant de illo ordine, per quem nunc distinguunt aliqui, actiones meritorias vitæ æternæ, ab actionibus mere moraliter bonis.

Noluit enim Augustinus ullam veram justitiam esse steriliter bonam, sed si vera justitia esset, voluit eam esse vitæ æternæ meritoriam, ut jam supra probavimus ex hoc isto capite: unde cum ibi distingueret Julianus justitiam sterilem à fœcunda, seu vitæ æternæ meritoria, & diceret, illam posse esse sine Christi gratia, istam vero non posse: sic arguit eum Augustinus: si per doctrinas hominum (id est per gratiam Pelagianam, quæ solùm erat in intellectu, & non etiam in voluntate, ut gratia Christi.) *qualiscumque* justitia (audis qualemcumque justitiam, & per consequens etiam moralem) ergo Christus gratis mortuus est (id est gratia illa, pro qua nobis obtinenda Christus passus, & mortuus est, ut per eam nos perduceret, & promoveret ad cœlum, est inutilis, & superflua nobis, & quare hoc, ecce) *per quod enim vera justitia, per hoc etiam regnum Dei*: Deus

namque, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus. Veram autem justitiam postea ostendit esse illam, non quæ habet objectum supernaturale, ut aiunt, sed quæ habet objectum bonum, & finem bonum, non autem objectum bonum, & finem malum V. G. avaritiæ, luxuriæ, vanitatis, & similium ut supra late persecuti sumus: quem pravum finem postea ostendit fuisse in infidelibus, & per hoc non fuisse in eis veram justitiam, ut putabat Julianus: quod sane non egreditur limites justitiæ moralis, cùm nihil distinguat in illo fine, nisi bonitatem, & malitiam, non autem supernaturalitatem, aut naturalitatem, ut necesse prorsus esset, si per illam justitiam, justitiam moralem exclusisset, & intelligere noluisset. Sed quia jam de istis supra satis disseruimus, ideo ab ampliore istorum tractatione hîc abstinebimus. Ex quo consequens omnino est, quod cùm in loco ab Estio nobis objecto concludit Augustinus de operibus vitæ æternæ meritoriis, & non de moralibus, per hoc non retractat, aut temperat præcedentem suam doctrinam, ut vult Estius, sed potius eam confirmat sub alio nomine, utens potius verbis Juliani indicantibus actus vitæ æternæ meritorios, quam morales (licet eosdem esse putaret) ad hoc, ut concluderet per ipsa verba Juliani, qui, quos vocabat Augustinus actus morales, ipse Julianus vocabat actus meritorios, perperam distinguens inter ea quæ non erant per se distincta, & quæ non debebant distingui, ut jam latissime demonstraverat, prout satis patet ex supradictis.

§. IX.

In quo magis ac magis ostenditur prædicta absurditas expositionis nobis adversæ, & exponitur quanti momenti putarit August. esse istam disputationem de bonis operibus moralibus infidelium, quam putavit pertinere ad fidem, contra multorum opinionem, parum callentium ejus doctrinam.

ET sane mirandum esset, & multum mirandum: quod Augustinus quinque ingentes implevisset Paginas argumentis acerrimis contra sententiam Juliani, & in fine significaret se velle ista omnia haberi pro non dictis, se omnino agnoscere bene ratiocinatum esse Iulianum, cùm dixit infideles facere aliquando bonas actiones, imo vero repleri bonis actionibus, ut ibi dici agnovit Augustinus, sed steriliter bonis, id est, ad vitam æternam non promoventibus, se vero jocatum esse, & lusisse, cum ei in præcedentibus contradixit, voluisse tantùm disputare in materia problematica, & ad fidem non pertinente, modo tantum obtineret (quod sane non erat petendum, cùm jam sibi fuisset ei concessum) non ejus generis bona opera fieri posse ab infidelibus, quæ eos ad æternam vitam promoveant. Sed

non jocatur ibi Augustinus, qui jocantem in hac materia graviter reprehendit Julianum, dicens: non plane risum, sed fletum potius, intelligentibus vester commovet risus, sicut mentibus amicorum sanorum, fletum commovet risus phreneticorum: & infra: cùm insana dicis, & rides phrenetico es similis. Nec enim putavit Augustinus hanc quæstionem esse problematicam, & mere Philosophicam, sed putavit strictissime pertinere ad fidem, & ad rectam, & orthodoxam de divina gratia doctrinam: si, inquit, per naturam, voluntatemque justitia (illa nempe de qua ibi disputabat) *ergo Christus gratis mortuus est* (id est inanis est passio, & mors Christi, quod est horribile) si per doctrinas hominum (quæ est gratia Pelagiani in solo intellectu residens, & non Christiana in voluntate necessaria) *qualiscumque* justitia (& per consequens moralis justitia) *ergo Christus gratis mortuus est.* Ubi vides, per illud dogma Iuliani, non impeti quædam placita mere Philosophica, sed ipsamet Christianæ Religionis fundamenta, mortem ipsam, & passionem Christi evacuari, & exinaniri secundum mentem Augustini. Et multo post loquens idem Augustinus de illis infidelibus, de quibus dixerat Apostolus: quod *naturaliter*, quæ legis sunt, faciunt: quod interpretabatur Iulianus de veris infidelibus, qui ex viribus naturæ, & per virtutem moralem adimplebant præcepta naturalia. Augustinus autem interpretabatur de infidelibus conversis, & proinde Christianis, qui per naturam à Deo correctam, & sanatam per gratiam, plene & integre adimplebant illa præcepta, sic ait Iuliano. Per hos probare conatus es, etiam alienos à fide Christi, *veram* (& proinde moralem, quæ vera justitia est in suo genere) posse habere justitiam, eo quod isti, teste Apostolo, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt. Ubi quidem *dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei*, quæ datur per Jesum Christum Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, *evidentius expressisti*: introducens hominum genus, quod Deo placere possit sine Christi fide, lege naturæ: *hoc est unde vos maxime Christiana detestatur Ecclesia.* Ecce ergo quod impugnabat in Iuliano Augustinus, non sane quidpiam, quod putaret esse problematicum, aut mere Philosophicum, sed quod putabat esse hæreticum, & merum dogma Pelagianum: propter quod dicit, quod eum, & ejus similes, maxime Christiana detestabatur Ecclesia.

Supra attulimus rationem cur tam severe censuit Augustinus de actionibus infidelium, ut nullas prorsus earum judicarit esse potuisse bonas ex omni parte moraliter: hic afferimus rationem cur Pelagianos contrarium sentientes tam acriter insectetur.

Et sane non video aliam esse illam doctrinam, quam ibi contra Iulianum defendebat Augustinus, quam eam quam continuo inculcat contra Pelagianos necessitatem gratiæ pernegantes, & ideo sibi permitti volentes talia opera moraliter bona sine gratia: contra quos, ideo toties usurpat Augustinus illud Domini: sine me *nihil potestis* facere: item & illud Apostoli: non sumus sufficientes cogitare *aliquid*, quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: Per hæc indicans nihil nos prorsus posse facere boni ex nobismetipsis solis, sive morale sit, sive alio quocumque vocetur nomine:

nempe

nempe quia bene videbat quod si concederet eis: quod vel unicum actum bonum ex omni parte possent efficere per vires naturæ, eo ipso possent dicere, quod priores darent Deo: & quod gratia secundum merita nostra tribueretur: quod capitaliter videbat adversari gratiæ: unde tam acriter dimicavit Augustinus contra ista merita moralia Pelagianorum, præcedentia gratiam, ut nequidem voluerit eis concedere: quod homo posset petere, quærere, & pulsare apud Deum ex viribus meræ naturæ quia sic putabat se admittere meritum divinæ gratiæ. Sic enim ait eodem libro cap. 8. initio: ibi vos, ut video, ponere jam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, & pulsare, ut *his meritis* debita illa reddatur, ac *sic gratia inaniter nuncupetur.* Ecquid enim poterant esse ista merita nisi mere moralia, cùm supponerentur esse sine gratia facta. Et infra: sed ponis testimonium Apostolicum, & ab eo, dicis, pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: ut videlicet intelligamus docentibus vobis, *ideo* (ecce causam meritoriam) non omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: *quia* ipsi nolunt petere, cùm Deus velit dare (ergo si potuissent, & voluissent petere per merum lib. arbitrium, meruissent gratiam, & Deus dedisset illam eis, ut debitam secundum Augustinum, propter illam petitionem) nolunt quærere, cùm Deus velit ostendere, nolunt pulsare, cùm Deus velit aperire. Per quæ omnia putabat Augustinus hominem mereri gratiam ostensionis, & apertionis divinæ, contra gratuitatem gratiæ, nobis prorsus indebitæ: si ergo illa ista merita noluit eis permittere Augustinus ex vi meri lib. arbitrij, quis credat, eum illis permittere voluisse ampliora, scilicet actiones illas quasi heroicas, quas contendebat Iulianus fuisse in aliquibus Paganis V. G. veræ continentiæ, justitiæ, fortitudinis, & similium, quæ longe erant potiores, & digniores, (si veræ fuissent illæ actiones bonæ moraliter ut putabat Iulianus) quam petere, quærere, & pulsare ad Deum, quas actiones ipsemet Augustinus vult esse meritorias gratiæ, si dentur: quæ mere erant morales, cùm essent sine gratia factæ. Certe satis ex his apparet, quod nihil aliud impulit Augustinum ad impugnandas illas actiones mere morales, quas defendebat Iulianus in prædictis infidelibus, ut bonas, quam id quod impulit eum ad impugnanda merita Pelagiana, & ad defendendam pro Ecclesia Catholica, contra eosdem errantes, gratuitatem gratiæ omnia merita præcedentia repudiantis: non enim postulabant Pelagiani specialia quædam merita, quæ præcederent gratiam, sed tantum *nonnulla* merita, aut *aliquid* meriti ut videre potes in Epist. 105. & 106. sed respondebat Augustinus *nullis* eam præcedentibus meritis dari: *nullum* esse meritum ante illam: *omnia* ab ea incipere *quæcumque* bona merita, & *nihil* eam præcedere in homine, quam malum meritum, seu peccatum ut ibidem videre potes. Per hoc clare rejiciens omnia omnino præcedentia hominum merita,

sive moralia, sive alia quocumque vocentur nomine, ut pote destruentia essentiam gratiæ (quæ omnino debet esse indebita) & pessumdantia necessitatem illius secundum mentem illius, cùm ipse putaret qualescumque actiones, si vere bonæ essent ex objecto, & ex fine, esse vitæ æternæ meritorias, & ad salutem æternam perducentes : unde cùm Semipelagiani vellent, primam fidem esse ex nobis sine gratia, & per hoc vellent eam esse bonum mere morale, dicit quod si hæc fides admittatur esse ex nobis, admittitur ex nobis meritum gratiæ subsequentis, & cæterorum omnium conducentium ad vitam æternam, ut patet ex his verbis, ex capite 2. libri de prædest. sanct. excerptis : *quis dicat, eum qui jam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri : unde fit : ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina*, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod etiam convincunt ista alia illius verba, quæ jam aliquoties hîc repetii, numquam tamen satis hîc repetenda, cùm sint decisiva quæstionis, scilicet : si per doctrinas hominum (quod idem est, ac si diceret, si per merum lib. arbitrium ab hominibus edoctum) *qualiscumque* justitia (ergo etiam moralis) ergo Christus gratis mortuus est (id est gratia ejus inanis est, cùm sine ea possit vita æterna comparari : ut mox sequitur) *per quod enim vera justitia, per hoc etiam regnum Dei*. Ubi vides, eum non alio nomine impugnare sententiam Juliani, bonas actiones morales seu moralem justitiam infidelium asserentis, quam ut destructivam gratiæ Christi, & evacuativam passionis, & mortis illius : unde etiam tam acriter ibi propter hoc invehitur in eum, ut aliquoties propter istam doctrinam vocet eum phreneticum, & insana docentem. Numquid ergo mirum esset, & prodigio simile, si postquam tanta contentione, & acrimonia insectatus esset ibi sententiam Iuliani, ut evacuantis mortem, & passionem Christi, cito, & derepente se retractaret, aut, ut ait Estius, moderaretur suam disputationem, ita ut nihil amplius peteret à Iuliano, ex his quæ tantopere contenderat ab eo, sed solùm id quod sibi ab illo jam sibi esse concessum, ipse confessus fuerat, scilicet : quod ista opera essent sterilia, seu steriliter bona, & non ad salutem æternam promoventia : quod cùm, ut jam dixi, ineptum, & absurdum sit, ita & falsum, & improbabile est.

Quapropter dicendum est, nihil ibi dixisse Augustinum, contrarium, aut diversum à præcedentibus, sed quod dixit dicere : scilicet, infideles nullum opus bonum durante infidelitate fecisse, & distinctionem illam non esse admittendam, quæ est de actibus bonis meritoriis, & non meritoriis vitæ æternæ. Cùm eadem sint illa opera bona inter se, & secundum se. Unde cum concederet Iulianus, actiones meritorias vitæ æternæ non esse in infidelibus, concedat necesse est, quod nullæ etiam actiones bonæ moraliter ex omni parte, tam ex fine, quam ex objecto, reperiuntur in illis, sed quod omnes eorum actiones sunt malæ, vel ex objecto, vel ex fine, sed præ-

cipuè ex fine, quia ut non ſunt illuminati à fide dirigente errant ſæpiſſime in fine, quem ſibi pravum præſtituunt, vel avaritiæ, vel luxuriæ, vel vanitatis, aut ſimilium, de quibus ſatis hucuſque diſſertatum eſt, & puto ſatis hæc patere ex dictis.

§. DECIMUS.

In quo oſtenditur, quod non obſtante præcedente doctrina non peccant tamen neceſſario infideles, ſed libere, & cum indifferentia: ubi & contrariis quibuſdam ſatisfit objectionibus.

Licet autem hæc vera ſint, non eſt tamen dicendum cum quibuſdam, putaſſe Auguſtinum infideles *neceſſario* peccaſſe in omnibus ſuis actionibus: nam licet ipſi non haberent potentiam proximam ad facienda præcepta, & ad bonas actiones ex omni parte, tamen habebant remotam, & per hoc, non peccabant neceſſariò, ſed liberè, & cum indifferentia: tum quia poterant venire ad fidem, ſi voluiſſent, ut ſupra demonſtratum eſt, & per eam impetrare gratias ſibi ad hęc præſtanda proxime, neceſſarias: tum etiam quia habebant gratiam proximam ad obſervanda pręcepta ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum officium voluntatis, qua gratia ſi recte uterentur, daret Deus aliam, qua pervenirent ad fidem, ut ſupra etiam declaratum eſt: & ſic, potuiſſent omnia illa præſtare, quæ proxime erant ad ſalutem eorum neceſſaria, ex quibus manifeſtum eſt, illos non neceſſariò peccaſſe, ſed liberè, & indifferenter, & cum vera poteſtate ad oppoſitum.

Sed contra hæc volunt probare aliqui, quod non habent infideles gratiam ſufficientem ad ſalutem, eo quod non poſſunt ſervare præcepta naturalia, cùm nulla detur gratia ante fidem ſecundum Auguſtinum: ſine autem gratia non poſſunt illa ſervari.

Reſpondeo, illos poſſe ſervare præcepta naturalia, primò proxime ſecundum ſubſtantiam, ſecundò remotè ſecundum modum, & ſubſtantiam, cùm, ut ſupra probatum eſt, ſinguli eorum poſſint pervenire ad fidem, & per illam impetrare omnia auxilia proxime neceſſaria ad ſervanda illa præcepta ſecundum modum, & ſubſtantiam. Ad id autem quod dicunt: nullam dari gratiam ſecundum Auguſtinum ante fidem: diſtinguendum eſt, nulla datur ante fidem, ad opus integre bonum, ſeu ad opus bonum ex objecto ſimul, & fine concedo, nulla datur ante fidem ad opus, quod ſolùm bonum eſt ex objecto ſeu ex officio voluntatis, per quod impleantur præcepta ſecundum ſubſtantiam, nego: ſupra enim agnovimus, Auguſtinum admiſiſſe gratiam aliquam ad opera infidelium, bona ſolùm ex objecto, ſeu ex officio voluntatis, & ideo ea vocaſſe munera Dei, ac-

cepta à Deo, imo & opera Dei, qua scilicet parte bona erant: id est: ex objecto, seu, ex officio voluntatis: ubi etiam dicit eos tunc posse servare præcepta, sed quia tunc solum possunt proximè illa servare secundum substantiam, & non secundum modum, ita ut non peccent saltem venialiter ex aliquo fine inordinato, & ad suum bonum tendente potius quam Dei, aut rectæ rationis, ideo addit hanc particulam: *ut cumque*: per hoc ostendens, quod tunc solùm poterant proxime, & immediate illa servare secundum substantiam, sed non etiam secundum modum, ut prædictum est. Quando ergo dicit Augustinus, gratiam non dari ante fidem, seu fidem esse primam gratiam, in locis citatis ab adversariis, intelligendus est de gratia, quæ est ad opus integre bonum, tam ex fine, quam ex objecto, non vero de gratia, quæ est solum ad opus bonum secundum quid, id est bonum ex objecto, sed non etiam ex fine. signum autem hujus rei est, quod in iis locis indicat, fidem esse ad operandum bonum ex omni parte: unde dicit, illam operari per dilectionem, scilicet *justitiæ*, ut ipsimet exponunt adversarij: item quod non operatur per timorem formidando pœnam (scilicet temporalem) sed amando *justitiam*: item quod per eam lex completur, non timore pœnæ (ab hominibus infligendæ) sed amore *justitiæ*. Et quod *veraciter, & sinceriter* peccata non vincuntur, nisi veræ delectatione *justitiæ*, quæ est in fide Christi. Per quod indicatur bonum ex omni parte, tam ex fine, quam ex objecto, cùm hoc solum vere justum opus sit, quod est bonum ex omni parte: nam cui deest aliquid, potius est iniquitas, quam justitia, & peccatum potius quam opus bonum, cùm bonum sit ex integra causa, malum ex quocumque defectu.

Præterea dici posset, quod cùm gratia illa, quæ est tantum ad opus bonum secundum quid, sit via ad fidem, non quod mereatur fidem, absit, cùm opus ejus sit cum peccato conjunctum, sed quia Deus aliquando præsupponit bonum usum illius, ut supra vidimus ex August. antequam det fidem: ideo & dici potest, quod concomitanter intelligitur sub fide, eo modo quo ipsa gratia quæ datur ad fidem: non enim fides datur sine gratia præveniente, quod esset Pelagianum, & dogma ipsum Semipelagianum, sed tantum post gratiam illam actualem: sicut ergo hæc gratia actualis intelligitur sub fide, quia est via ad illam, ita & dici potest, quod hæc gratia, qua servantur præcepta secundum substantiam ante fidem, intelligitur sub fide, quia etiam est via ad illam, ut iam expositum est.

Quantum autem ad id quod dicunt, infideles non nosse præceptum non concupisces. Respondeo satis eos illud nosse per prædictam gratiam quantum pro tunc obligantur, cùm non teneantur ad id quod ignorant absolute, & invincibiliter, quandoquidem supra demonstravimus ex Augustino, Deum impossibilia non jubere, sed semper dare gratiam, qua possibilia fiant, nec ulli suppetere veram excusationem ex ignorantia sua: sed eos nolle, & negligere facere quod

1. Parte arg. 4. 5. & 6.

possunt, ut melius noscant, quod etiam solùm probant testimonia Augustini, quæ contra proferunt adversarii ad probandam suam intentionem, ut patet ex isto, quem citant ex Psalm. 136. quando illos videmus, & tam steriles eos invenimus, ut *difficile* (non dicit impossibile, sed difficile ob resistentiam voluntatis perversæ) nobis *appareat* in eis aliquid, unde possint duci ad rectam fidem, vel ad bona opera (ergo hoc non solos spectat infideles, cum ibi loquatur Augustinus sub disjunctione de fide, & operibus, & de cæteris quæ tam spectant ad fideles, quam ad infideles: & proinde non supponit ibi veram impossibilitatem, sed meram difficultatem, cùm saltem certum sit quod fideles possunt: quandoquidem per fidem possunt impetrare auxilia etiam efficacia, quibus agant) vel ad concupiscentiam liberationis à captivitate mortalitatis, scripturas novimus, quas eis dicamus (quod non recte diceretur infidelibus qui non accipiunt nostras scripturas) sed quia nullum fructum, in eis invenimus, unde incipiamus, avertimus ab eis faciem, & dicimus: adhuc isti non sapiunt, non capiunt (ob resistentiam scilicet voluntatis, ut mox indicatur, cùm addit) quia quicquid illis dixerimus sinistrum, & adversum habebunt (id est accipient in malam partem: unde non dicit illos esse relinquendos, ut impotentes ad bonum, sed tantum differendos, donec melius dispositi appareant, ut mox sequitur, & jam indicarat cum dixit *adhuc* isti non sapiunt) ergo differendo circa eos scripturas (quod clare designat ibi potius Augustinum spectare pravos Christianos quam infideles, qui non admittunt nostras scripturas) suspendimus organa nostra in salicibus: non enim dignos habemus (propter scilicet malitiam voluntatis perversæ, & resistentis) qui organa nostra (per quæ intelligit, ut ipsemet explicuit, scripturam Dei, præcepta Dei, promissa Dei, meditationem quandam futuri sæculi, quod sane minus spectat infideles quam fideles, & alios qui recipiunt nostras scripturas, & præcepta Dei positiva, & promissa Dei, & spem futuri sæculi) portent. Non ergo eis organa nostra inserendo alligamus, sed differendo suspendimus (quoadusque scilicet minus sint resistentes, & magis dispositi) salices enim sunt Babiloniæ, ligna infructuosa pasta in temporalibus voluptatibus, tanquam fluminibus Babiloniæ. Quod ut vides non solos spectat infideles, sed etiam fideles temporalibus voluptatibus deditos, & per hoc parum dispositos, non tamen insufficientes, ad recipiendum verbum Dei.

§. XI.

Aliqua alia solvuntur objectiones contra libertatem infidelium, & eorum gratia sufficiens recapitulatur.

ALter autem locus qui objicitur ex eodem Ps. magis manifestat resistentiam factam gratiæ, quam ejus absentiam, cùm dicit: irrident isti quasi stultos &c. ubi clare supponit Augustinus prędicatum eis Christum, ab eis quos irrident, ut stultos, & per hoc gratiam internam in eis fuisse simul cum externa, secundum morem dicendi Augustini, ut supra notatum est: sic enim ait: incipies *dicere* (ecce ergo prædicatio facta) homini (scilicet infideli) quanta bona fecerit Christus, & non accipit (id est non admittit fidem) *proponis* enim illi eos, qui faciunt, quod modo audistis in Evangelio: vendunt omnia sua, & dant pauperibus, ut habeant thesaurum in cœlis, & sequantur Dominum: *dicis illis* (ecce ergo Evangelium illis prædicatum) ecce quod attulit Christus: quam multi faciunt ista, ut distribuant res suas egenis non necessitate, sed voluntate, sequentes Deum, sperantes regnum cœlorum. Irrident isti quasi stultos (quid hoc indicat nisi resistentiam factam gratiæ ex superbia, & abusione) & talia, inquiunt, bona attulit Christus, ut perdat homo res suas, & cum dat egenis: remaneat egenus; quid ergo facies (isti sic resistenti, & malè disposito) bona Christi non cupis, alius enim te impleret (scilicet diabolus per suggestiones suas contrarias) qui adversarius est Christo, cui dedisti locum in corde tuo. Quod clare indicat resistentiam factam gratiæ per consensionem datam tentationi diabolicæ, & nullomodo indicat absentiam gratiæ sufficientis, ut prætendunt, adversarij. Quantum autem ad locum, qui citatur ex Psalm. 134. nihil aliud indicat, quam resistentiam factam gratiæ, seu negationem gratiæ efficacis, seu effectum habentis, ut patet ex terminis. Aures habent (id est gratiam sufficientem ad audiendum) & non audiunt (id est ei non consentiunt, sed resistunt) oculos habent, & non vident, nares habent, & non odorabunt. Non sentiunt (ubi solum vides privationem actus non vero potentiæ) illum odorem, Christi: bonus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco; quid prodest quia nares habent, & non odorantur (non dicit non possunt odorari: quia non aberat potentia, sed aderat resistentia) tam suavem odorem Christi. Item & iste qui sequitur ex Psalm. 87. ubi dicit Augustinus de mortuis ex substractione gratiæ sanctificantis: in quibus, inquit, occulta gratia tua non operatur, qua trahantur, ut credant. Ubi nihil apparet nisi privatio actus, seu gratiæ efficacis, non vero privatio potentiæ, seu gratiæ sufficientis. Ad illum autem alium ubi di-

citur quod mortui: nihil bonum valent credere, atque sentire. Respondeo ibi quidem negari potentiam, sed solum proximam, & non remotam. Notum enim est, Augustinum sæpe negare potentiam, seu valentiam iis, qui non possunt proxime, sed solùm remote. Unde sæpe dicit eis, ut orent, quod supponit potentiam remotam, seu impetrandi proximam. Sed nequidem ibi loquitur de puris infidelibus, seu de Paganis, de quibus solùm hîc loquimur, sed de Iudæis, qui habent fidem sufficientem ad orandum, & petendum auxilium si velint, ut infra explicabimus, unde loquitur de iis qui habent gratiam sufficientem remotam, licet non proximam: nam quod ibi loquatur Augustinus de Judæis, & non de Paganis singulariter, patet cùm ibi exponat Psalmum, qui est de passione Christi conquerentis de suis persecutoribus, qui fuerunt Judæi: unde paulo ante verba mox relata, exponens versum illum: clamavi ad te Domine: inter passiones meas, inquit Augustinus in persona Christi, tota die expandi manus meas ad te: id est inquit Augustinus, non destiti ad te glorificandum extendere opera mea: cur ergo impij in me sæviunt. Per impios sine dubio indicat Judęos qui sævierunt in Christum & omnibus modis eum afflixerunt & tandem crucifixerunt eum. Quicquid sit, certissimum est, quod non loquitur ibi Augustinus specialiter de Paganis, sed vel de omnibus impiis, aut reprobis, inter quos sunt etiam fideles, qui non carent gratia sufficiente, cùm habeant fidem qua impetrent charitatem: vel de Judæis, de quibus proxime locutus est, qui etiam habent fidem ad oranda, & ad impetranda auxilia, sibi proxime necessaria ad salutem. Unde & vi verborum illorum non negatur gratia sufficiens, cùm enuntientur etiam de illis, in quibus sine dubio est gratia sufficiens, V.G de fidelibus: ergo sicut non negant eam de illis, ita nec negant eam de Paganis, sed tantùm negant aliquam gratiam specialiorem V. G. proximam qua privantur illi, de quibus ibi loquitur, ob peccata sua præcedentia, quia erant impij, & in anima sua mortui, cùm ibi tales vocentur.

Et hæc de gratia sufficiente infidelium, cui poteramus addere prædicationem Evangelij, sed eam reticuimus ob hoc, quod non sit communis omnibus, cùm non omnes audiant Evangelium. Verumtamen & hæc communicatur plurimis, sive per prædicatores illos, quos vocant missionarios, qui fere ubique terrarum sunt dispersi, sive per fideles, qui negotiantur apud infideles, sive etiam per relationes aliorum infidelium qui negotiantur apud fideles, sive per libros Christianorum, qui ipsis communicantur, item & aliis viis nobis incognitis, quibus Deus bonus, & pius, solet providere suis creaturis de necessariis, non solùm ad salutem temporalem, sed multo magis ad æternam, quę longe potior est. Quod si quibusdam hic modus deest, suplebunt alij duo commissimi supra à nobis sufficienter explicati, imo & Deus ipse, sive per se, sive per Angelos instruet infidelem de necessariis ad salutem, quod quidem, ut ait Augustinus:

donatum est paucissimis : sed si liceat addere causam : dicam ego quia nolunt uti gratia sibi à Deo data ad evitanda peccata mortalia, & ad præcepta servanda secundum substantiam, ut per illam gratiam possunt : unde non bene utentes illa gratia, indignos se præstant accipiendæ majoris, & ita fit, ut tota culpa eorum sit, quod non ampliorem accipiant, juxta illud Domini apud Hieremiam cap. 5. peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.

Lib. de dono persev. cap. 19.

§. XII.

Duo difficiles Augustini loci exponuntur, & ostenduntur, non esse contra gratiam sufficientem infidelium.

SEd postquam hæc scripsi, occurrit mihi aliquid apud Augustinum libro de nat. & gr. quod vidi contra superiora posse objici. Dicit enim ibi Augustinus cap. 2. quod si quis, credendo in Deum, qui fecit cœlum & terram (id est in Deum, ut authorem rerum omnium creatarum, ad quem credendum per contemplationem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, assurgimus) & recte vivendo, impleat ejus voluntatem, nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbutus, Christus gratis mortuus est : ergo falsum est quod diximus, fidem illam quæ habetur per contemplationem rerum creatarum, esse gratiam sufficientem ad salutem pro infidelibus.

Respondeo negando conseq. non enim diximus, illam fidem per seipsam præstare posse, illa quæ dicit Augustinus in antecedente : nam in antecedente arguit Augustinus eos qui, cùm prætenderent se habere istam fidem ex seipsis, prætendebant se posse per se & ex propriis viribus suis bene vivere & implere Dei voluntatem : at non diximus istud de illa fide. Nam primo diximus eam nos non habere ex nobismetipsis, sed ex gratia Dei interna, occasione contemplationis rerum creatarum nobis data. Et deinde diximus eam ipsam non nisi per fidem Christi nos posse perducere ad vitam bonam, & rectam & deinde ad gloriam : quod longe diversum est ab eo quod dicitur in antecedente : ibi enim tantum redarguit Augustinus Pelagianos, qui putabant per se & ex propriis viribus suis sine fide in Christum, legem, & voluntatem divinam posse implere : ut patet ex his verbis : credendo in Deum, & recte vivendo, impleat ejus voluntatem, *nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbutus.* Et etiam patet ex his aliis paulo post habitis : si *per naturam justitia* ergo Christus gratis mortuus est. Et ex his aliis initio capitis habitis ubi ait Augustinus. Si natura humana potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura : hoc est, de vita æterna : etiamsi in aliqua gente, aut aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Ubi solùm vides reprehendi sufficientiam pro-

propriam, & negationem necessitatis Christianæ fidei ad salutem obtinendam, non vero sufficientiam innixam auxilio divino, & explicitæ Christi fidei, quam semper diximus ex Augustino, esse necessariam ad salutem, seu ad vitam æternam consequendam & ideo nihil diximus contra Augustinum quando diximus ex ipso: fidem illam quæ habetur per contemplationem rerum creatarum (cum præsupposita gratia Dei interna) esse sufficientem ad salutem pro infidelibus: non enim per hoc dicimus, illam fidem esse proxime sufficientem ad salutem sine fide passionis, & resurrectionis Christi, quod solùm ibi damnat & reprehendit Augustinus ut jam vidimus, & ex terminis ipsis clarum est: cùm supponantur isti recte vivere sine fide passionis Christi, & resurrectionis ejus: quod non dicimus: sed dicimus esse sufficientem tantum remote, seu in tantum sufficientem ad salutem, in quantum potest obtinere orando, & eleemosynas faciendo, fidem passionis, & resurrectionis Christi, & per hanc reliqua omnia media proxime necessaria ad salutem, sicut Cornelius obtinuit, cujus ad hoc exauditæ sunt orationes, & eleemosynæ acceptæ. Neque etiam dicimus quod per illam fidem possumus sine fide explicita passionis, & resurrectionis Christi recte vivere, & implere voluntatem divinam, ut dicebant hi, qui sunt in objectione insinuati, scilicet Pelagiani: sed tantum dicimus: quod per illam possumus obtinere media ad salutem necessaria, eo modo, & ordine, quo sunt obtinenda: unde cùm primò debeat obtineri fides passionis, & resurrectionis Christi, antequam recte vivatur, & voluntas Dei impleatur: ita illa fides, primò obtineatur, & deinde ut recte vivatur, & Dei voluntas impleatur: quod non contradicit Augustino, imo vero ei valde congruit, cùm ibi asseramus, fidem passionis, & resurrectionis Christi, ita necessariam esse ad recte vivendum, & ad voluntatem Dei implendam, ut illa sine hac, effectum istum in nobis prorsus habere non possit: quod idipsum est, quod ibi tantum contendebat Augustinus.

Nota quod aliud est, aliqua bona opera posse facere sine fide explicita in Christum quod præstitit Cornelius; & aliud, facere omnia opera bona, quæ necessaria sunt ad salutem, seu implere Dei voluntatem: primum non negat hic Augustinus, sed secundum, juxta doctrinam ejus constantem, quam supra exposuimus in hac ipsa sectione ante paragraphos.

Sed magis urgere videtur id quod habet capite 9. ubi hoc proponit exemplum, per quod videtur innuere, gratiam sufficientem non dari omnibus, & singulis infidelibus, dicens. Juvenis, vel senex, in ea regione defunctus est, ubi *non potuit* Christi nomen audire; potuit fieri justus per naturam, & lib. arbitrium, an non potuit: si potuisse dicunt (scilicet Pelagiani) ecce quod est Christi crucem evacuare, sine illa quemquam per naturalem legem, & voluntatis arbitrium, justificari posse contendere: dicamus & hîc: ergo gratis Christus mortuus est: hoc enim omnes possent, etiamsi mortuus ille

Notandum valde est, quod aliud intelligebat Augustinus per posse justificari in parvulis.

& aliud per posse justificari in adultis: nam posse justificari in parvulis, nihil aliud erat, quam posse recipere gratiam habitualem: at vero posse justificari in adultis, erat posse pœnitere posse, compungi, & sic obtinere veniam de peccatis: unde cum hoc tribuerent Pelagiani mero lib arbitrio sine gratia Christi, dicebat eos Augustinus præsumere, se posse justificare, se justos facere seu justificari à semetipsis per merum lib. arbitrium sine gratia Christi eos præexcitante, & præveniente ad tales actus efficiendos. Qui eorum error etiam damnatur à Conc. Arausic. cap. 4. his verbis: si quis ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti: præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Item sic damnatur in Conc. Trid. can 1. de justific. si quis dixerit hominem suis operibus quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit. Et can. 3 si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. Et hic erat error quem hîc Augustinus redarguebat, in ea parte qua loquitur de adultis.

non esset: & si injusti essent, quia vellent, essent, non quia justi esse non possent: si autem sine Christi gratia justificari omnino non potuit, etiam istum si audet absolvat secundum verba sua, quia idcirco talis fuit, quod aliud esse non potuit, culpa caruit.

Sic loquũtur Pelagiani illius discipuli apud Augustinũ serm. 11. de verbis Apostoli c. 8. ô si sit qui doceat ô si sit qui ostẽdat &c.

Respondeo Augustinum ibi locutum non esse secundum sensum suum: nam secundum sensum suum putabat esse aliam viam justificandi infideles, quam per prædicationem Evangelij, ut clare indicat in supradictis, & in libro de dono persev. cap. 19. ubi ait: paucissimis (& per consequens aliquibus) esse donatum, ut nullo sibi prędicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cœlorum doctrinam salutis accipiant. Quod & jam dixerat generalius libro de sp. & litt. cap. 34. ubi ait: quod *visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes*, ubi & mandata legis aliquid agunt .... *sive intrinsecus*, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem. Unde non videtur ibi locutum esse Augustinum secundum sensum suum, sed tantum secundum sensum Pelagij, cum quo ibi disputabat, & cujus ideo sensum sequi debebat, ut eum melius convinceret. Putabat autem, aut saltem suspicabatur Augustinus Pelagium requirere prædicationem Evangelij, ut gratiam necessariam ad salutem æternam, ut patet ex cap. 40 illius libri de nat. & gr. ubi sic ait: *putat fortasse* (Pelagius) *ideo necessarium esse Christi nomen, ut per Evangelium discamus quemadmodum vivere debeamus*: unde habens eum convincere de insufficientia solius arbitrij ad justificationem hominis lapsi efficiendam, locutus est secundum sensum Pelagij & non suum dicens: quod juvenis, aut senex, in ea regione defunctus est, ubi *non potuit* Christi nomen audire: & sic non fuit culpabilis ex hac parte secundum Pelagium: quo posito quærit August. an talis potuit fieri justus per naturam, & lib. arbit. an non potuit: & ait, quod si potuit, evacuatur crux Christi, quandoquidem sine gratia crucis Christi, sed per meram naturam, aut

merum lib. arbitrium potuit justus fieri, qui non erat. Si autem non potuit : tunc arguit Pelagium manifestæ contradictionis, cùm prius dixerit, quod qui idcirco talis est, quia aliud esse non potuit, culpa caret : hic autem non potuit aliud esse, quam fuit secundum Pelagium, cùm non potuerit audire Evangelium, & consequenter justificari, seu justum esse & tamen culpa non caret cùm justus non fit : ergo falsum est, quod culpa careat, qui non potuit aliud esse quam fuit, ut dixerat Pelagius. Et sic arguit eum : aut evacuationis crucis Christi, aut manifestæ contradictionis in suppositione ipsius Pelagij, & non in sua cum haberet ibi convincere Pelagium, & non alium, & sic nihil ibi dicit Augustinus contra nos, aut contra supra probatam ex ipso gratiam communem, pro omnibus, & singulis Paganis, cùm non loquatur ibi in sua, sed in aliena suppositione, ut probatum est.

Præterea posset dici, quod ibi loquitur Augustinus de modo ordinario, quo fit justificatio infidelium, scilicet per prædicationem Evangelij, nolens loqui de alio, de quo non locutus fuerat Pelagius, ne ista quæstio incidens averteret, aut interrumperet principalem. Et sic textus ille non est contra nos, cùm non sit de omni modo possibili, de quo solo locuti sumus, sed tantum de ordinario, & communi justificationis infidelium.

Denique dici posset : totum hunc discursum non pertinere ad nostram quæstionem : non enim ibi quæritur ; an sine prædicatione, seu auditione Evangelij, detur aliqua alia gratia communis actualis, per quam pervenire possint infideles ad gratiam justificantem, & salvantem, quod solum affirmamus : sed quæritur ; an deficiente prædicatione Evangelij, possit homo per meram naturam, & lib. arbitrium pervenire ad justificationem, & salutem : ut patet ex his verbis : juvenis, vel senex in ea regione defunctus est, ubi non potuit Christi nomen audire ; potuit fieri justus *per naturam, & lib. arbitrium* : ecce clare designat ipsam rem de qua agitur : scilicet : an talis possit justificari per naturam, & lib. arbitrium non vero an possit perduci ad justificationem, & salutem per aliam gratiam actualem, quam per prædicationem Evangelij, de quo solo agimus : unde quando additur : si potuisse dicunt : ecce quod est Christi crucem evacuare : hoc solùm intelligitur de potestate, quæ est per naturam, & lib. arbitrium, non vero de potestate, quæ est per aliam gratiam actualem de qua agimus, ut etiam mox sequitur, cùm ait : sine illa (scilicet cruce, seu gratia crucis) *per naturalem legem, & voluntatis arbitrium*, justificari posse contendere. Ex quo clare apparet quod totus ille discursus nullomodo pertinet ad nostram quæstionem, cùm sit totus, & totaliter de necessitate gratiæ Dei, contra sufficientiam naturæ, & arbitrij humani, nostra autem sit de sufficientia cujusdam gratiæ Dei, contra necessitatem alterius, cum præsupposita insufficientia naturæ : unde tam diversa est nostra quæstio ab ea de qua agitur in præallato textu, ut nostra prorsus supponat veram decisionem alterius, scilicet insufficientem esse naturam,

& humanum arbitrium ad justificationem peccatoris, de qua disputabat altera & circa quod tota occupata erat, & totaliter: & sic nihil habetur ex hoc textu contra ea quæ diximus.

SECTIO TERTIA.

Quæ est de Iudæis: quomodo habeant gratiam necessariam seu sufficientem ad salutem.

3. Conclusio. Gratia sufficiens data fuit omnibus Judæis, qui ante Christum exstiterunt. Et ratio est, quia isti erant veri fideles, unde habebant fidem, qua impetrarent charitatem, & cætera omnia quæ necessaria erant ad salutem: nec in ista conclusione maior est difficultas, quam in prima, cùm ea fere omnia, quæ diximus de gratia sufficiente pro fidelibus Christianis, militent pro ista: nam ut ait Augustinus lib. 1. retract. cap. 13 Ea est nostris temporibus Christiana religio, quam cognoscere, ac sequi securissima, & certissima salus est: secundum hoc nomen dictum est, non secundum ipsam rem, cujus hoc nomen est. Nam res ipsa quæ nunc Christiana religio nuncupatur, *erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne: unde vera religio quæ jam erat*, cœpit vocari Christiana. Cum ergo secundum Augustinum illi pertinerent ad illam religionem, quæ nunc est Christiana, sequitur quod erant veri fideles, & per consequens quod maxime habebant gratiam orandi, & impetrandi ea omnia quæ necessaria sunt ad salutem, prout ibi diximus, quod omnes fideles habent. Sub nomine autem Judæorum istorum fidelium, comprehendimus omnes antiquos fideles, qui eos præcesserunt ante datam legem scriptam, quia istorum omnium parilis ratio est, ut patet ex textu mox allegato.

Id inferius adhuc late probabitur in sequenti conclus.

4. Conclusio gratia sufficiens data est etiam illis Judæis, qui tempore Christi, & post Christum exiterunt, & ei contrarij fuerunt, & nunc sunt, etiam & omnibus Hæreticis & Mahometanis, qui quantum ad hanc conclusionem æquiparantur istis Judæis.

Probatur hæc conclusio 1. quia isti habent sufficientem fidem ad orandum secundum mentem Augustini, cùm non habeant minorem fidem quam Cornelius, & cùm credant in unum Deum remuneratorem bonorum, quem proinde possunt invocare secundum Apostolum, & Augustinum, qui nihil aliud postulant ad istam invocationem faciendam, quam hanc notitiam juxta illud ad Rom. 10. quomodo invocabunt, in quem non crediderunt. Quam tamen efficacem tribuit Augustinus Cornelio, qui nihil adhuc de Christo audiverat, sed solum in unum Deum credebat remuneratorem bonorum, & exaudi-

Hæc non nam vera fides est, quã inchoatio quædam fidei, cum qua sola nemo salvatur: ut

torem orationum. Sufficit ergo eis credere in unum Deum creatorem cœli & terræ, ut invocare eum poſſint, quem ſi toto corde & mente invocarent, ſicut fecit Cornelius, Deus illos illuminaret, & adduceret ad veram fidem, ut adduxit Cornelium, ſed quia nolunt illa gratia bene uti, ideo relinguntur in ſua cæcitate, cui cauſam dederunt ex ſua perverſitate, ut ait Auguſtinus lib. de vera religione. Judæi, inquit, *quamvis uni omnipotenti Deo ſuplicent*, ſola tamen temporalia, & viſibilia bona expectantes, rudimenta novi populi ab humilitate ſurgentia in ipſis ſuis ſcripturis *noluerunt* advertere: atque; *ita in vetere homine remanſerunt*: quod tribuit, ut vides, eorum voluntati perverſæ, & non defectui gratiæ.

ait Auguſtinus lib. 1. ad ſimpl. qu. 2. his verbis. Fiunt ergo quædam inchoationes fidei, conceptionibus ſimiles, non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam. Vocavimus tamen eam, fidem, quia ita vocavit eam Auguſtinus libro de prædeſt. ſanct. cap 7. loquens de Cornelio cujus, inquit, orationes, & eleemoſynæ, acceptæ fuerunt coram Deo, antequam in Chriſtum crederet, nec tamen *ſine aliqua fide* donabat, & orabat: nam: quomodo orabat, in quem non crediderat. In prædicto autem loco libri 1. ad Simplic. vocat eam tantum inchoationem fidei, ut ibi videre eſt: ſed tamen illam inchoationem, ſeu fidem inchoatam, vult ſufficere ad orandum, & eleemoſynas faciendum, quod ſufficit ad impetrandam gratiam proxime neceſſariam ad proxime credendum in Chriſtum, ut agnoſcit in Cornelio, in prædictis libris, & locis.

Probatur 2. quia iſti omnes legem ſcriptam acceperunt: ſed Auguſtinus aſſerit: quod Deus per difficultatem legis iſtius excitabat hominum mentes ad quærendum medicum, ſeu mediatorem Chriſtum, id eſt ad veram fidem amplectendam, & ad invocandum adjutorium ſibi neceſſarium. Ergo ſignum eſt, quod hi omnes gratiam habent ſufficientem, ut perveniant ad veram fidem, & per illam ad habenda adjutoria ſibi neceſſaria, ad ſalutem conſequendam. Major per ſe clara eſt, minorem autem probo quamplurimis Auguſtini teſtimoniis, quæ id exerte indicant: ſic enim ait Epiſt. 89. quæſt. 2. poſt med. jubet (Deus) ideo, *ut* facere juſſa conati, & noſtra infirmitate ſub lege fatigati, *adjutorium gratiæ poſcere noverimus*. Et Epiſt. 144. circa initium: lex, inquit, docendo, quod ſine gratia impleri non poteſt, homini demonſtrat ſuam infirmitatem, *ut quærat demonſtrata infirmitas ſalvatorem*, à quo ſanata voluntas poſſit, quod infirma non poſſet: *lex igitur adducit ad fidem* (ſcilicet ſalvantem, & perfectam, non ad illam quam ſupponimus in his, de quibus agimus, quæ eſt tantum inchoatio fidei, & quæ ſolùm valet ad orandum, & ad aliqua facilia præſtanda, ut valuit in Cornelio, & non tamen ad omnia) fides impetrat ſpiritum largiorem, diffundit ſpiritus charitatem, implet charitas legem. Et lib. de ſp. & litt. cap. 9. ſub finem. Per legem (Deus) oſtendit homini infirmitatem ſuam, *ut ad ejus miſericordiam per fidem confugiens, ſanetur.* Et infra *voluntas noſtra oſtenditur infirma per legem, ut ſanet gratia voluntatem.* Et cap. 10. circa init. ait legem imponi injuſtis, *ut* cùm, in ipſis cœperit concupiſcentiæ morbus augeri, *confugiant per fidem ad juſtificantem gratiam*, & per do-

Nota quod in his omnibus, ſuo more ſupponit Auguſtinus gratiam internam ſub externa quia aliàs non poſſet lex externa, ſola nos perducere ad quærendum Deum, & adorandum &c. ut ait ibi Auguſtinus.

num spiritus suavitate justitiæ delectati, pœnam litteræ minantis evadant. Et in Psalm. 31. enarr. 2. circa medium demonstravit, inquit, peccatum lex. Illa fixit spinam, illa fecit cor compungi, *ipsa admonuit, ut* reum se quisque cognosceret, & *pro venia clamaret ad Deum.* Et in Psalm. 102. in hæc verba notas fecit vias suas Moysi. *Ad hoc* inquit, *data est lex, ut* convinceretur languidus, & *medicum imploraret.* Et infra: *ideo*, docet datam legem, ut convincerentur peccatores, & *ad gratiam accipiendam medicum invocarent.* Et in Psalm. 118. conc. 25. post med. *lex*, inquit, *ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam .... ita ut*, etiam quos littera occidit, *ad vivificantem spiritum confugere compellat.* Et conc. 27. ante med. *ad hoc* inquit data (lex) est, *ut* te de magno faceret parvulum, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monstraret, & sic *opis indigus, & egenus ad gratiam confugeret*, & clamaret: miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Et lib. 2. de actis cum fœlice Manichæo cap. 11. sic ait: data est lex superbis hominibus, & viribus suis totum tribuentibus, *ut* cum implere non possent legem datam (per proprias scilicet vires, quibus nimis confidebant) prævaricatores invenirentur, & facti rei sub lege, *peterent misericordiam à legis conditore.* Et infra. Data est lex superbo, fecit contra legem, & apparuit peccatum, quod erat, sed non apparebat. *Apparens autem peccatum humiliavit superbum, humiliatus superbus factus est pœnitens, de pœnitentia impetrata est misericordia.* Et lib. de gr. Christ. capite 9. lex, inquit, *ad hoc adjuvat, ut gratia requiratur.* Et lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 29. sub finem: *ad hoc*, inquit, dixit lex: non concupisces: ut nos in hoc morbo jacere invenientes, *medicinam gratiæ quæreremus.* Et lib. 1. ad Bonif. cap. 8. ait ad cognitionem peccati, & ad ipsius legis prævaricationem valere legem, *ut* cognito, auctoque peccato, *per fidem gratia requiratur.* Et lib. 4. cap. 5. ait: ideo sic expressum esse legis imperium, *ut* infirmitas hominis in seipsa deficiens, *ad facienda, quæ lex imperat, de gratia Dei potius, ex fide quæreret adjutorium*, cujus misericordia etiam fides donatur. Et infra: non legem evacuamus per fidem, sed legem statuimus, quæ *terrendo ducit ad fidem: ideo* quippe lex iram operatur, *ut territo, atque converso ad justitiam legis implendam Dei misericordiam gratia largiatur* per Jesum Christum Dominum nostrum. Idem habet lib. 2. operis imperf. cap. 160. dicens: quod lex iram operatur, *ad hoc ut ad iram evadendam gratia requiratur.* Et cap. 220. ait, quod lex *utilis ad hoc fuit, quia* cùm ipsa occideret per prævaricationem, crescente per prohibitionem cupiditate peccandi, *vivificantem spiritum fecit inquiri, & hominem de sua virtute lethaliter confidentem, adjutorium gratiæ Dei compulit poscere*, sub lege, quamvis sancta, & justa, & bona, tamen deficientem, atque ad operandum, quæ sancta, quæ justa, quæ bona sunt, sibi subvenire propriis viribus non valentem. Et libro de perfect. justitiæ cap. 3. ait: consultissime homini præcipi, ut rectis passibus ambulet, *ut* cùm se non posse (scilicet propriis viribus, ut putabat) perspe-

xerit, *medicinam requirat*, *quæ* interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem *gratia Dei est* per Jesum Christum Dominum nostrum. Et lib. de gr. & libro arbitrio cap. 28. ait quod: *præcepto admonitum est* lib. arbitrium, *ut quæreret Dei donum* (quo scilicet impleret præceptum: ut autem videas quod illa admonitio non est inutilis, sed fructuosa, & secum afferens gratiam sufficientem ad præceptum implendum: mox addit) quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, *nisi prius acciperet aliquid dilectionis* (id est gratiæ) *ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* Per quæ omnia testimonia clare apparet, in omnibus Judæis, & cæteris qui legem scriptam acceperunt, fuisse gratiam sufficientem remotam, ad implenda plene præcepta, & ad faciendam salutem suam, cùm in iis omnibus supponatur gratia quærendi, & orandi Deum, ut det ad id gratiam proximam, & immediatam, & cùm solùm ibi homo reprehendatur, quod propriis superbus, & nimium confidens viribus suis, non uteretur gratia remota jam accepta ad petendam proximam, & immediatam, qua præceptum plene, & perfecte, & sine peccato impleretur, & vita æterna compararetur: quod est idipsum quod quærebamus.

Per hunc textum clarè vides, Augustinū sub gratia externa, sub intellexisse internam, & non solùm in intellectu, sed etiam in voluntate ubi solùm est dilectio, de qua in hoc postremo loco loquitur.

§. PRIMUS.

Solvuntur objectiones contra præcedentem doctrinam: & ostenditur, antiquos Iudæos habuisse veram, & eamdem fidem, quam habent Christiani secundum Augustinum.

SEd contra hæc, & præcedentem conclusionem, multa habent docere adversarij, qui etiam ita deprimunt vetus testamentum, & statum tunc temporis viventium Judæorum, ut dicant illud testamentum fuisse magnam quamdam quasi comœdiam, quæ non tam propter se, quam propter aliud repræsentandum facta erat, & tam atrociter debacchantur in illos veteres Judæos, ut dicant, eos non multum Gentilibus præstitisse: & idem volunt sentiri de eorum gratia, ac de gratia Gentilium, quod portentosum omnino est in doctrina Augustini, qui ubique prædicat gratiam ita magnam datam esse fidelibus (quales isti erant secundum Augustinum prout infra videbimus) ut per eam dicat eos impetrare, quod lex imperat, qualem nullatenus dat infidelibus, sed longe minorem, & imbecilliorem, cùm solùm valeat ad acquirendam talem fidem, & ad observanda præcepta secundum solam substantiam, & non secundum talem modum, ut ea observando non peccent saltem venialiter, quamdiu ea faciunt in infidelitate, seu tempore infidelitatis suæ.

Porro quod istis Judæis (scilicet antiquis insinuatis in 3. conclu-

Vt objectio est contra utrosque Iudæos in 3. & 4 conclusione indicatos, ita & responsio est pro utrisque simul: scilicet iis, qui fuerunt veri fideles viventes ante Christum, & iis qui nunc infideles sunt, seu non credentes in Christum. Sed primò de primis respõdetur, & secundo de secundis.

sione) tribuerit Augustinus veram fidem, sicut & Christianis, præter supraallatum textum ejus in 3. illa conclusione, facile probare est, ex multis aliis ejus testimoniis, ubi declarat eamdem fuisse eorum, & nostram fidem, ac religionem: sic enim id testatur in exposit. Epist. ad Galatas post undecim circiter columnas: ubi loquens de istis Judæis, & nobis, sic ait: quod enim nos ex parte præteritum, id est primum adventum Domini credendo salvi efficimur, hoc *totum* illi, id est, utrumque adventum futurum *credebant*, revelante sibi Spiritu sancto, ut salvi fierent: unde est etiam illud: Abraham concupivit diem meum videre, vidit, & gavisus est. Et non multum post loquens de iisdem sic ait: *sanati* sunt ergo ab impietate superbiæ, ut reconciliarentur Deo, *quicumque homines* per humilitatem Christi, & per revelationem, *antequam fieret*, & post Evangelium posteaquam facta est, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt. Sed hæc justitia fidei, quia non merito data est hominibus, sed pro misericordia, & gratia Dei, non erat popularis, antequam Dominus homo inter homines nasceretur. Ubi vides quod tribuit Augustinus eamdem fidem antiquis, quam nobis, sed non tam communem, seu, ut ait, popularem justitiam, quam nobis: quia nempe major effusa est gratia in filios novi testamenti, quam veteris, quod omnino confitemur, nec id negat in illis antiquis fuisse gratiam sufficientem, sed solùm asserit in nobis fuisse plusquam sufficientem, & superabundantem. Idem asserit de eorum fide in Epist. 89. ad Hilarium qu. 3. ante med. ubi commentans illum textum Apostoli 2. Cor. 4. habentes autem eumdem spiritum fidei &c. sic ait: non diceret eumdem spiritum fidei: nisi admonens *etiam, antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei*: hoc est incarnationis Christi: sed quia illis futura prænunciabatur, quæ jam facta, à nobis annuntiatur, & tempore veteris testamenti velabatur, quæ tempore novi testamenti revelatur: ideo ejus sacramenta variata sunt, ut alia essent in veteri testamento, alia in novo, *cùm fides varia non sit, sed una sit*. Et tract. 45. in Joann. ante med. sic ait: ante adventum Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt justi: *sic in eum credentes venturum, quomodò nos credimus in eum qui venit: tempora variata sunt, non fides:* quia & ipsa verba pro tempore variantur, cùm variè declinantur, alium sonum venturus est, alium sonum habet venit. Mutatus est sonus, venturus est, & venit, *eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos qui venturum esse, & eos qui venisse crediderunt.* Item & lib. 2. de peccatorum mer. cap. 29. sic ait: ante nativitatem carnis, infirmitatemque passionis, & virtutem resurrectionis suæ, *earum rerum futurarum fide, eos, qui tunc fuerant, informabat, ad hæreditatem salutis æternæ, quarum rerum præsentium fide informavit eos, qui cum gererentur aderant,* atque impleri prædicta cernebant, quarum etiam præteritarum rerum fide, qui postea fuerunt, & nos ipsos, & qui deinde futuri sunt, informare non cessat: *una ergo fides est, quæ omnes salvos facit*, qui ex

car-

carnali generatione in spiritualem renascendo salvantur, terminata in eo, qui venit pro nobis judicari, & mori, judex vivorum & mortuorum. Sed *huius unius fidei* pro significationis opportunitate, per varia tempora sacramenta variata sunt. Et lib. 1. retract. c. 13. non longe ab initio: dicit unam fuisse religionem eorum, & nostram: *res*, inquit, *ipsa, quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat & apud antiquos*: nec defuit ab initio generis humani, quousque Christus veniret in carne, unde vera religio quæ jam erat cœpit appellari Christiana. In quibus omnibus vides, Augustinum æquiparare istos antiquos fideles nobis Christianis, quoad veram fidem in Christum. Ex quo manifestum est eos etiam habuisse gratiam orandi, & impetrandi gratias sibi necessarias, sicut habent ipsi Christiani, nisi quod, ut dictum jam est, non habebant illas gratias tam abundantes, & efficaces quam Christiani, sed tamen erant sufficientes ad præcepta plene implenda, juxta illud Augustini fides impetrat, quod lex imperat: quod manifeste indicat, omnes fideles, & proinde istos habuisse gratiam sufficientem ad præcepta plene implenda, & proinde ad salutem.

Quando ergo videtur loqui, aut loquitur Augustinus, contra istos Judæos, non loquitur præcise contra eos, ut illius temporis erant fideles, sicut intelligi volunt adversarij, sed sicut contra tales fideles, qui non utebantur nec volebant uti bene, & laudabiliter sua fide, ut totaliter nempe addicti suis temporalibus emolumentis, & terrenis fœlicitatibus, quæ promittebantur in lege, parum vero, vel nihil de spiritualibus curantes, & de fœlicitatibus æternis, quæ per temporales, & terrenas ibi significabantur. Et cùm isti animales Judæi, longe superarent numerum aliorum spiritualium, ideo loquitur Augustinus de illis, tanquam de omnibus, cùm re vera pauci essent, qui non essent animales, non quidem omnino ex defectu gratiæ, sed ex defectu cooperationis suæ: gratia enim illorum erat sufficiens, sed quia parva erat, paucos reperiebat, qui vellent ei consentire, multos vero qui resistere, & concupiscentiis suis obedire, de quibus solis loquitur Augustinus, cùm invehitur in prædictos Judæos, tanquam legis prævaricatores, ut etiam aliquando fatentur adversarij, dicentes: filios, hæredesque veteris testamenti, à dispensatoribus, ac gestoribus veteris testamenti distinguendos esse (id est eos qui terrena sapiebant in ista lege, ab illis qui in ea, cœlestia, & ęterna contemplabantur, quod est idipsum, quod mox dicebamus de animalibus, & spiritualibus, qui erant inter eos, ut etiam nunc, sunt inter Christianos, quod non statum deprimit, sed tantum homines in suo statu male viventes, & ejus bono male utentes, quos sic depingunt adversarij ex Augustino) nam qui propter terrena, ut inquit Augustinus, suscipit legem Dei, ipse est hæres veteris testamenti, & filius ejus (ecce contra quos agebat Augustinus invehendo in veteres Iudæos, non vero in omnes, ut innui vo-

sunt adversarij: agebat enim contra malos Iudæos, ut & possemus agere contra malos Christianos : unde & admittimus id quod sequitur, scilicet) cujusmodi hominem (qui scilicet propter terrena suscipit legem Dei) quis participem illius spiritualis, æternæque salutis esse dixerit, nisi terrenis desideriis excæcatus : talis est enim non Evangelica fide, & charitate liber, sed carnalium rerum cupiditate servus (cùm voluntarie serviat suis desideriis carnalibus) nec sine causa scriptum est : ejice ancillam, & filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ &c. ecce ergo contra quos ibi agebat Augustinus, sed non contra omnes ut volunt adversarij, scilicet agebat contra malos, & non contra bonos Iudæos, & Israelitas, qui erant tempore legis: unde & ipsi adversarij postea describunt alios ejusdem testamenti homines bonos, & justos, quos ipsi vocant gestores, & dispensatores veteris testamenti: qui inquiunt, tempore veteris testamenti viventes, figurativa ejus præcepta, promissaque non spernunt, sed in eis tanquam in signis quibusdam prophetantibus intelligunt, diligunt, atque expectant novum, hoc est, qui, quamvis promissam sibi terrenam fœlicitatem videant, non tamen propter illam suscipiunt, custodiuntque legem Dei, sed propter cœlestem, quam in illa figuratam credunt. Si enim propter illam terrenam colatur Deus, servilis est cultus pertinens ad filios ancillæ, si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit, Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus pertinens ad filios liberæ, quæ est mater nostra æterna in cœlis. Quæ omnia faciunt contra ipsos adversarios, & favent nobis, cùm solùm ostendant fuisse tempore testamenti veteris bonos, & malos, sicut etiam tales & nunc sunt tempore testamenti novi, quamquam fateamur fuisse plures malos, & pauciores bonos, quam nunc sunt, propter abundantiam gratiæ, quæ nunc est in comparatione præcedentis. Non tamen ita pauci tunc erant boni, ut eorum numerus reduceretur ad solos Prophetas, & Patriarchas, & paucos alios, ut sæpe innuunt adversarij : nam clare indicat Augustinus in Expos. Psalm 77. hanc gratiam fuisse etiam effusam in illos populos, quibus prædicabant Prophetæ : an soli, inquit, Prophetæ habebant hanc fidem, non populus: *imo vero qui Prophetas fideliter audiebant eadem adiuvabantur gratia*, ut intelligerent, quod audiebant. Per hoc ostendens effusam esse gratiam in omnes, & ab iis solis repudiatam, qui nolebant attendere, seu fideliter audire. Quapropter ista paucitas intelligenda solùm est comparate ad Christianos, non vero simpliciter, & absolute, ut paulo post etiam innuit, dicens: & cum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est, *sicut* & nunc jam revelata fide, quæ tunc velabatur. Quod tamen fuerit sufficiens illa gratia pro omnibus, & singulis, clare indicat paulo post, cùm dicit : humiles ei consensisse, & superbos restitisse : ille, inquit, pie attendit

Locus iste Aug. est ex lib. 3. ad Bonif. c. 4. quem hic citant Adv.

(id est utiliter accipit) legem Dei, & verba auris ejus, cujus aurem inclinat humilitas, non cujus erigit cervicem, ſuperbia: quod enim infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentia tumoris expellitur. Per hoc indicans iſtam gratiam fuiſſe per ſe capacem ad omnes convertendos, ſi voluiſſent: ſed eos ſolos convertiſſe, qui cum humilitate eam ſuſceperunt, & non convertiſſe alios quia ei ſuperbe reſtiterunt. Quo nihil efficacius dici poterat pro noſtra contentione.

§. II.

Proponuntur quædam rationes, cur Auguſtinus ſæpe depreſſerit vetus teſtamentum: & tandem oſtenditur Neotericos Iudæos etiam habere gratiam ſufficientem, ſed ei reſiſtere ſecundum Auguſtinum.

PRæter hanc autem rationem ſumptam ex paucitate bonorum tunc temporis exiſtentium, alias adhuc habuit Auguſtinus, cur aliquando multum depreſſerit ſtatum antiquorum Iudæorum: una eſt, quia ſumebat illorum ſtatum, ut repræſentativum hominum terrenorum, ſeu carnalium, propter bona terrena, ſeu carnalia, quæ ſola aperte promittebantur in illo teſtamento (quod ſumit pro lege ſcripta: unde & dicit, illud teſtamentum eſſe datum in monte ſina) ſicut ſumebat novum teſtamentum, ſeu legem Evangelicam, ut repræſentativam hominum ſpiritualium, & cœleſtium quia ſolùm promittit bona ſpiritualia & cœleſtia; unde non eſt mirum quod invehatur in illos homines, cum conſideraret eos ut repræſentantes homines terrenos & animales ita ut diceret juſtos illius temporis non pertinuiſſe ad illud teſtamentum, ſed ad novum, propterea quod non reſpiebant ad res terrenas, quæ ibi clare promittebantur, ſed ſolùm ad cœleſtes, quæ ibi velabantur, & ſolùm revelabantur in novo teſtamento. Altera eſt, quia Pelagiani maxime contenderunt, iſtam legem, ſeu teſtamentum ſolum per ſe ſuffeciſſe hominibus iſtius temporis ad præcepta implenda ſine gratia in voluntate neceſſaria, ut late declarat in libro de peccato orig. cap. 26. quod erat prorſus evacuare crucem Chriſti, & totam doctrinam de neceſſitate gratiæ in voluntate admittendæ: unde non eſt mirum quod iſtam legem, ſeu teſtamentum, aliquando deprimat quaſi nullam conferens gratiam, tunc temporis exiſtentibus hominibus, quia nempe reſpiciebat meram vim legis in ſe, ſeu meram vim præcepti, quæ re vera nulla eſt ad juvandam voluntatem lapſi hominis contra inſurgentem concupiſcentiam, ſecus quã putabant iſti Pelagiani, & hinc ſumpſerunt occaſionem adverſarij illos homines calumniandi, qui vivebant tempore legis, quaſi non habuerint gratiam ſufficientem de quo nihil um-

Vide lib. 15. cõtra Fauſt. c. 2. in fine. Et lib. de pecc. orig. c. 25. initio. Et lib. de geſtis Pelagij cap. 5. poſt med. & Ia..i lib 3. de grat. ſal. c. 8. ſub fin. & præcipue §. nam ut in fine.

quam dixit Augustinus: licet autem dicat aliquando, Iudæos non agnovisse Christum, ut Deum, sed ut hominem, ex quo videri posset, eos non habuisse veram fidem. Respondeo non hoc intelligendum esse exclusive, quasi negassent unitam ei fore divinitatem sed tantum abstractive, ita ut crederent, eum futurum hominem, non excludendo divinitatem, sed non progrediendo ultra humanitatem, parati tamen credere, id quod circa hoc Deus eis revelaret, quod est eum credere Deum implicite, quod tunc sufficiebat ad fidem, & ad salutem. Pro quo vide Estium in tertium sent. dist. 26. §. 4. toto. Quanquam & dici posset, quod hoc dixit Augustinus tantum de imperitis, & non de doctis, & peritis, ut patet in Exposit. in Psal. 9. sub finem ubi exponens quamdam sententiam Domini: sic ait: dictum est *imperitis, qui* quamvis venturum Christum sperarent, secundum hominem tamen eum expectabant, non secundum quod virtus, & sapientia Dei est. Ubi etiam, ut vides, est mera ignoratio, & non exclusio divinitatis: non enim dicunt: purum, aut merum hominem, quod esset exclusivum divinitatis, sed tantum dicunt hominem, quod est abstractivum divinitatis, quod observare licet in cæteris locis: ut in inchoata ejus exposit. in Epistolam ad Rom. circa initium ubi ait: ipsi Iudæi, qui Christum filium David tantummodo *opinabantur, ignorantes* (non dicit negantes) excellentiam, qua, Dominus est ipsius David, secundum id quod est filius Dei. Et in libro 2. contra advers. legis cap. 2. ubi ait: carnales Iudæi Christum ex semine David venturum esse didicerant, sicut interroganti Domino respondebant. Quamvis eum Dominum ipsius David non secundum carnem, sed *secundum divinitatem intelligere non valerent* (ubi vides meram eorum ignorantiam, non vero negationem divinitatis, quod & mox adhuc indicat, dicens) utrumque tamen est in illis eloquiis, & quod credebant (scilicet eum futurum hominem, & filium David) & quod non intelligebant (non dicit negabant id est futurum etiam Deum) ubi adhuc solùm vides meram ignorationem, non autem negationem divinitatis Christi, ut & in illo loco libri de Catechis. rud. cap. 21. sub finem ubi ait: quod Iudæi, scilicet imperiti, Christum non spiritualiter liberaturum intelligebant, sed pro carnali liberatione desiderabant. In quibus omnibus solùm vides ignorationem divinitatis Christi, non vero negationem ejus: at mera ignoratio alicujus mysterij non impedit fidem ejus implicitam, sed solùm explicitam, & proinde manifestum est, quod illi fuerunt veri fideles, sicut nunc sunt Christiani, & quod idcirco fuit in eis gratia sufficiens ad invocandum auxilium, & ad impetranda ea omnia, quæ sibi possent esse necessaria ad salutem, Quod competit omnibus omnino fidelibus.

Sed quia ea omnia, quæ hucusque diximus de gratia suffic. Iudæorum respondendo adversariis, solùm respiciunt antiquos Iudæos de quibus locuti sumus in 3. conclusione, & non Neotericos, & eis si-

miles, de quibus est nostra hæc 4. conclusio. Audi quid de his etiam dicat Augustinus, objurgans eos, non sane quod non potuerunt esse justi, ut bene vellent adversarij, & quod negaret eis datam fuisse gratiam suffic. sed quod noluerunt esse tales, & quod restiterunt Deo volenti, & cupienti, ut essent tales, quod supponit ad id fuisse datam eis sufficientem gratiam. Sic enim affatur eos serm 46. de temp. cap. 7. quid vobis profuit ô insani Iudæi (qui scilicet Christum occiderunt) quod tantum scelus commisistis; numquid quia Christo Domino, ut decuit, servire *noluistis* (ergo potuerunt servire Deo secundum phrasim illius) ideo ejus dominio caruistis: dùm illi serviunt reges, quibus vos servitis, facti estis mali servi bonorum servorum Christi (quod respicit Neotericos Iudæos qui subsunt principibus Christianis) per ipsos conterit contumaciam vestram, per ipsos dissipat consilia vestra, per ipsos retribuit scelera vestra, in capita vestra: ipse autem Dominus quem vos interemistis, non vos servos, sed *liberos* (id est Christianos) *esse cupiebat* (quod omnino supponit gratiam ad id sufficientem) quando dicebat: si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: vos autem Deum, Dominum, & regem, & *ipsam veram libertatem* (quæ est in fide Christi) non solum *repudiastis* (ergo eis oblata fuit, hoc enim omnino ridicule dictum eis fuisset, nisi habuissent gratiam, illam accipiendi, & proinde gratiam sufficientem ad salutem) verum etiam negare cupientes, clamastis non habemus regem nisi Cæsarem. Eodem modo adhuc affatur eos lib. 2. de Symbolo ad Catech. cap. 8. in persona Christi dicens: ecce hominem quem crucifixistis, ecce Deum, & hominem, in quem *credere noluistis* (ergo potuerunt, sed noluerunt) videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis, latus quod pupugistis, quoniam & per vos, & *propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis*: quod adhuc indicat eorum noluntatem, & non impotentiam. Et tract. 53. in Ioann. citra med. quærens; cur dicat Isaias, quod non poterant credere, cito respondet quia *nolebant*: quod longe post explicans, ostendit, malam voluntatem eorum impediisse ne crederent: per hoc indicans, eos non habuisse veram impotentiam, sed meram nolentiam, & resistentiam ad credendum Deo eos invitanti. Et lib. de gr. & lib arb. cap. 12. initio explicans illa verba Apostoli Rom. 10. ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitię Dei non sunt subjecti. Sic ait: de Iudęis hoc dixit, qui de se præsumentes *gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant.* Quo nihil dici clarius poterat ad nostrum propositum. Ex quibus omnibus concludendum est, & hos Iudæos, eisque similes habere gratiam sufficientem ad credendum in Christum, prout oportet ad salutem, & proinde ad omnia alia impetranda, quæ necessaria sunt ad vitam æternam consequendam, cùm ad id fides Christi sufficiat.

SECTIO QUARTA.

Quæ est de induratis, quomodo habeant sibi necessariam, & sibi sufficientem gratiam ad salutem.

5. Conclusio indurati, ut indurati, habent gratiæ sufficientis auxilium ad credendum, & ad obediendum Deo, si velint: unde si non credunt, aut non obediunt Deo, non ideo non credunt, aut non obediunt, quia non possunt, sed quia nolunt. Quod clare patet ex his mox allegatis testimoniis Augustini de induratis Judæis, ubi solùm accusat eorum voluntatem perversam, & non impotentiam: ut ex serm. 46. de temp. cap. 7. ubi sic affatur eos: ipsam *veram libertatem* (quæ solùm fit per veram Christi gratiam, & per consequens habebant Christi gratiam) *repudiastis*. Unde & iterum sic affatur eos ibidem dicens: Domino, ut docuit, servire *noluistis*. Et supracitato lib. de gr. & lib. arb. c. 12. ait: *gratiam repellebant* (ergo eam habebant, sed ea uti nolebant) & in Christum *propterea* non credebant. Et Tract. 53. in Ioann. non poterant, inquit, credere *quia nolebant*. Et lib. 2. de Cathec. rud. c. 8. sic iterum affatur, & reprehendit eos dicens: in Deum, & hominem *credere noluistis*. Quibus adde, & hoc testimonium de iisdem ex lib. de prædest. sanct. cap. 6. ubi ait: quod non crediderunt, *quia noluerunt* de aliis autem induratis, & de ipsa induratione multa habet alibi: ut de indurato Pharaone mira dicit serm. 88. de temp. (qui parvus est) ubi ait: quod *non Dei potentia, sed patientia* (hoc est bonitate, & clementia, ut ibi explicat) *induratus est*. Quod sane non arguit substractionem omnis gratiæ, sed potius ejus continuationem, ad hoc datam, ut resipisceret, qua tamen abusus est. Et infra ait: *non Dei violentiam* (quæ sane magna esset, si omnis gratia subtracta esset cùm hinc ferri ea, & insuperabilis necessitas male faciendi oriretur) *sed propriam iniquitatem, & indomabilem superbiam* (quæ tota ab homine est) contra Dei præcepta *fecisse eum obdurari*. Et infra clare dicit: eum *non irrevocabiliter restitisse*, sed in singulis suis resistentiis potuisse obedire: ubi & respondet querelis obtrectantium, qui dicebant: Deum injustum fuisse in illa severa Pharaonis induratione, pro quo tamen excusando non allegat quod Pharao meruerat privari omni gratia, ut falso respondent adversarij, sed quia ipse Pharao poterat, & nolebat obedire, & ideo culpabiliter resistebat. Qua ergo, inquit, conscientia Christianus Deum injustum esse conqueritur. Nam & in tantum *non eum Deus irrevocabiliter obduravit* (ergo poterat resipiscere, seu ad bonum se revocare, si voluisset Deo invitanti auscultare) ut post decem plagas populum Dei non solum

dimitteret, sed etiam exire compelleret: quod enim decem plagis percussus fuisse legitur, *post primam castigationem implere potuisse cognoscitur* (quo nihil clarius dici poterat pro servata in eo potentia, & per hoc gratia sufficiente ad obediendum Deo, dum actu resisteret. Sed his non contentus sanctus Doctor, vult etiam id explicare familiari similitudine dicens) quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere consuevimus, quos nimis delicate, aut satis remisse nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus (per quod clare ostenditur, omnem quasi exulasse severitatem Dei à Pharaone, sed potius abundasse bonitatem, & clementiam, cùm multoties ei peccata sua indulserit, & diu eum ad pœnitentiam expectaverit) cum enim pejores de ipsa remissione redduntur, solemus his exprobrantes dicere: ego te talem feci, ego tibi parcendo, proterviam tuam, negligentiamque nutrivi. Et *hæc non dicimus, quod ex voluntate nostra in tantam sint superbiam devoluti, sed quia magis de bonitate, vel indulgentia nostra fuerint obdurati* (ubi ostenditur, bonitatem, seu continuationem bonitatis erga Pharaonem, fuisse occasionem obdurationis, non vero severitatem, & rigorem fuisse causam illius, quod prorsus esset falsum, si ibi substracta esset omnis sufficiens gratia, cùm tali rigore non esset dare violentiorem: ut autem videas, hæc omnia dicta esse per similitudinem de Deo erga Pharaonem induratum: sic mox explicat, & applicat suam similitudinem dicens) *ita & Deus de Pharaone fecisse dignoscitur*, dùm ab illo pro *ineffabili bonitate* plagas suspendit, *ille obdurato corde contra Deum superbus erigitur* Sed & alibi loquens de eodem indurato sc. lib. de gr. & lib arb. cap. 23. dicit illum cor suum indurasse *per liberum arbitrium.* Qua phrasi significare solet indifferentiam etiam in Angelis, & primis hominibus, in quibus fuit maxima & per hoc supponit in ipso Pharaone fuisse gratiam sufficientem ad deponendam istam, si voluisset, duritiam. Item & alibi loquens de alio indurato scilicet de Esaü, clare ostendit, eum in induratione sua habuisse gratiam sufficientem ad obediendum, si voluisset: sic enim ait de illo, serm. 44. de diversis cap. 28. sed ne tolleret lib. arbitrium (id est indifferentiam, seu potestatem ad utrumlibet, sive bonum, sive malum sensu Augustini alibi demonstrato) adjecit: erit autem cùm deposueris, & solveris jugum de collo tuo quid est; erit autem cum deposueris, & solveris jugum de collo tuo. *Liberum tibi est, si volueris, converti.* Et lib. 1. ad simpl. qu. 2. loquens de eodem indurato sic ait: *noluit Esaü, & non cucurrit, sed, si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio pervenisset.* Ubi vides eodem modo explicari indifferentiam ad bonum & malum istius indurati, quomodo explicatur ab eodem Augustino indifferentia ipsius Adæ ad bonum & malum lib. de corrept. & gr. cap. 11. & 12 scilicet per, si volueris, & si voluisset. Et per hoc veram indicari potestatem ad utrumlibet in illo fuisse indurato, & non substractam ab illo fuisse omnem gratiam. Item de induratis & de induratione in

genere, sic loquitur Augustinus prædicto serm. 88. de temp. circa initium : ex desperatione obduratio generatur, dùm homines *negligentes* (non dicit impotentes)] in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt, quod cùm factum fuerit, impletur hoc quod dictum est. Peccator, cùm venerit in profundum malorum, *contemnit*. Qui autem contemnit, non impotens est sed potius potens, sed nolens. Unde & post alias similes scripturas sic ait : ista enim testimonia scripturarum ideo charitati vestræ insinuare volui, ut intelligatis : quia & *obduratio non Dei potentia compellente perficitur* (at vero si substracta esset omnis gratia, non solum potentia Dei compellente, sed etiam necessitante perficeretur) sed *Dei remissione, vel indulgentia generatur* (id est parcendo, & non castigando per pœnas exteriores, & repentinas, peccata obdurescentium : unde & contemnunt Dei justitiam, & hinc pejores fiunt : quod mox exemplificat in Pharaone obdurato) ac sic Pharaonem *non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse* : denique quoties eum Dei plaga percussit, afflictus pœnituit. At *ubi & remissio divina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit* (ex quo patet eum non ex substractione omnis gratiæ induruisse, sed ex propria superbia gratiam contempsisse, & contra eam se indurasse : unde & mox declarat, istam indurationem, quantum est ex parte Dei solùm permissionem fuisse, & non necessitatem cogentem, qualis esset substractio omnis sufficientis gratiæ) hoc ergo definitissime credite fratres, & hoc intelligite, quia *quoties* Dominus dicit : ego indurabo cor Pharaonis, *non aliud intelligi voluit, nisi ego*, inquit, *suspendo plagas meas, & flagella*, unde eum *per indulgentiam meam contra me obdurari permitto*. Et paulo post. Pharao, inquit, pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed *tanquam hostis permissus est indurari* (ecce ergo quod est indurare ex parte Dei secundum Augustinum, est gratiam efficacem subtrahere, non vero omnem sufficientem, ut volunt adversarij quod si fieret, non esset obduratio, permissio peccati, ut hîc dicit Augustinus, sed potius in peccatum stricta compulsio, &, ut ita dicam, necessitatio, cùm non posset obduratus non peccare, seu peccatum evitare) tantæ enim illius iniquitates præcesserunt, & *Deum* toties sacrilego ausu *contempserunt*, ut in illo impleretur, quod de talibus Spiritus sanctus dixit : in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabantur : *ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua*, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Ubi ostendit, in illorum induratione esse solam permissionem divinam, non castigantem filialiter peccata obduratorum, ex parte autem obduratorum, esse malitiam hominis formalem, abutentem patientia divina, & quasi ex occasione illa proficientem in pejus. Et in fine Serm. repetit ea quæ dixerat initio. Scilicet quod ex desperatione

Vide librum de gr. & lib. arb. cap. 23. ubi obdurationem explicat per similem permissionem.

(non

(non vero ex potentia, aut violentia Dei negantis omnem gratiam) obduratio generatur, secundum illud quod supradictum est: peccator, cùm venerit in profundum malorum, *contemnit*. Ubi vides quod non attribuit peccata induratorum impotentiæ eorum abstinendi à peccatis, sed eorum superbiæ, pro nihilo ducentis in illa peccata incidere. Unde in Psalm. 55. in hæc verba; ego vero in te sperabo: explicat eorum obdurationem, ut originaliter existentem ab eis, & non à Deo, imo vero ibi innuit esse contra Deum quodammodo resistentem. Eo, inquit, tempore, quo fructuosa posset esse pœnitentia, *cor obduraverunt adversus monentem Dominum*. Et in Psalm. 104. in hæc verba: & convertit cor eorum, ut odirent populum suum, clare ostendit, obdurationem Ægyptiorum fuisse ortam à malitia eorum, ex occasione bonitatis divinæ in Israelitas. In eo, inquit, quod populum suum multiplicavit, *hoc beneficio suo* (scilicet collato Israelitis) *malos ad invidendum convertit* (scilicet permissive: quid enim illa bonitas in alios, poterat per se, & intrinsece influere in istos) invidia enim est odium fœlicitatis alienæ. Sic ergo convertit cor eorum, ut per invidentiam odissent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus. *Non itaque cor illorum malum faciendo* (ergo ad illorum obdurationem non concurrit realiter, quomodo concurrisset, si negasset omnem gratiam, cùm per hoc necessitasset eos ad peccandum, seu ad invidendum) sed populo suo benefaciendo (quod est mere extrinsecum obduratis) cor illorum *sponte malum* (ergo non fuit factum malum à Deo per negationem omnis gratiæ) convertit ad odium (scilicet occasionaliter, & extrinsece, ut per se manifestum est, & etiam mox explicat dicens) *non enim rectum cor pervertit, sed sponte* (id est ex motu proprio, & ex determinatione sua) *perversum*, ad odium populi, ubi eo malo bene uteretur. *non eos malos faciendo* (quid clarius) sed istis bona, quibus mali facillime possent invidere, largiendo. Quod erat prorsus extrinsecum obduratis, & per hoc non concurrens nisi extrinsece, occasionaliter, permissive, & per accidens ad eorum obdurationem. Et quæst. 24. In exodum eodem modo loquitur de iisdem induratis in genere: *patientia Dei secundum corda hominum* quibusdam utilis ad pœnitendum, *quibusdam inutilis, ad resistendum Deo, & in malo perseverandum* (ubi vides semper adesse gratiam Dei, sed ab aliquibus fieri utilem ad pœnitendum, ab aliis fieri inutilem per resistentiam, & perseverantiam in malo) non tamen per seipsam inutilis est (quia nempe semper Deus dat auxilium sufficiens ad pœnitendum, aut saltem ad orandum) sed secundum cor malum. Quid clarius, ibi attribui obdurationem cordis, humanæ malitiæ, & non Dei violentiæ, negantis omnem gratiam: unde & paulo post sequitur. Illi (*scilicet* indurati) tales sunt, ut bono odore (per quem significat gratiam Dei, sollicitantem corda eorum ad bonum) pereant, *secundum sui cordis*, ut sæpe dictum est *qualitatem* (scilicet perversam: unde & hortatur eos ad eam mundandam,

& corrigendam prorsus supponens in eis sufficientem ad id gratiam) quæ mundanda est bona voluntate in Dei gratiam, ut incipiant ei prodesse judicia Dei , quæ malis cordibus nocent. Et quæst. 37. sic ait de iisdem generaliter : *omnia mala corda hominum patientia Dei male utendo durescunt.* Per quod clare supponit , in induratis esse gratiam sufficientem ad bene utendum patientia Dei pro conversione sua ad bonum . qua tamen male utentes obdurescunt contra eam , & tanto pejores fiunt ex ea , quanto deberent fieri meliores. In libro autem 3. de lib. arb. cap. 24. funditus explicat radicem istius obdurationis, seu quod idem est cæcitatis mentis ponens originem ejus in superbia obduratorum , seu excæcatorum , nolentium scilicet se humiliare ad petendum auxilium ut possunt , & quod fere solùm possunt. *Superbia* , inquit , *convertit à sapientia* , aversionem autem stultitia consequitur. Stultitia quippe , cæcitas quædam est , sicut idem (scilicet Paulus) dicit : & obscuratum est insipiens cor eorum. *Unde* autem hæc obscuratio (audi ejus originem) *nisi ex aversione à lumine sapientiæ : unde autem hæc aversio , nisi dum ille , cui bonum est Deus , sibi ipse vult esse bonum suum , sicut sibi est Deus.* In quo est superbia , nolens agnoscere miseriam suam , & deinde implorare medicinam : quod autem non obstante hac cæcitate , reliqua semper sit eis aliqua gratia, qua possint emergere ab hac obduratione , & obscuratione clare aperit Augustinus : in Psalm. 6. circa med. ubi loquens de prædicta cæcitate mentis , quæ est eadem ac obduratio , sic ait : in eam quisquis datus fuerit , ab interiori Dei luce secluditur sed *nondum penitus cùm in hac vita est.* Per hoc ostendens numquam obduratos carere omni gratia in obduratione sua , sed tantum aliqua, V. G. vel efficaci , vel proxima , numquam tamen omni gratia , qua possint saltem orare auxilium , vel pœnitere de peccatis suis. Quibus bene concinit fidelis ejus interpres , ac discipulus D. Prosper lib. 2. de vocatione Gent. cap. 13. ubi loquens de Cain indurato , sic ait : *numquid ambiguum est voluisse Deum , & , quantum ad illum medendi modum sufficiebat , egisse , ut Cain ab illo impietatis furore resipisceret* (ubi vides , gratiam sufficientem ei datam fuisse à Deo , ut resipisceret) sed *malitia pertinax* inde facta est inexcusabilior , unde debuit esse correctior. Id est ejus malitiam illa gratia abusam esse ad augmentum delictorum , ut supra vidimus ex Augustinò de iisdem induratis in genere. Et in fine capitis sic ait : quæ beneficia , licet obduratis nihil remedij , & emendationis attulerint , probant tamen *aversionem eorum non divinæ fuisse constitutionis , sed propriæ voluntatis.* Per id demonstrans , Deum ad id eos non necessitasse , quod sane factum esset , si omnem ab eis sufficientem gratiam summovisset . sed eorum perversam voluntatem se ad id determinasse , & ob id etiam divinæ gratiæ resistendo, contra ipsa Dei beneficia induratam esse : unde & in responsione ejusdem pro Augustino ad object. 13. Vincentianam ait : Dei opere multos esse , ne laberentur , retentos , *nullos* autem *ut laberentur im-*

pulsos. Quod omnino falsum esset, si Deus ab aliquibus omnem gratiam ad non labendum necessariam summovisset quo casu, necessariò, & inevitabiliter in peccata incidissent. Ex quibus omnibus concludendum est, omnes, & singulos induratos, habere gratiam ad non peccandum, & per hoc ad se salvandum sufficientem, si ea uti voluerint, non autem, ut dicunt adversarij, esse omni gratia sufficienti, tam remota, quam proxima prorsus orbatos.

Pro eadem obdurationis materia vide tractatum nostrũ de indifferenti &c. parte 2. sect. 6. §. 8. 9. & 10.

§. PRIMUS.

Solvuntur quædam objectiones contra præcedentem doctrinam.

SEd contra hæc, multa habent dicere adversarij, asserentes, valde istis esse contrarium, quod ait Augustinus, obduratorum, & excæcatorum, nollè Deum misereri, eos deserere, non adjuvare & similia, quorum quasdam proferunt veluti probationes, quas oportet hic discutere.

Quantum ergo ad hoc quod dicunt: Deum nolle istorum misereri, dico non esse supradictis contrarium: nolle enim misereri secundum Augustinum non est tollere omnem gratiam sufficientem, sed tantum tollere efficacem, seu effectum habituram ut patet ex loco quem allegant ex libro 1. ad simplic. quæst. 2. ubi misereri, non sumitur pro dare quamcumque gratiam, sed pro dare efficacem, seu effectum habituram. Nullius, inquit, frustra miseretur, cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Ubi vides, misereri sumi pro collatione gratiæ efficacis, seu gratiæ quæ non respuitur, sed quæ habet effectum, non vero sumi pro collatione gratiæ mere sufficientis, seu quæ aliquando non habet effectum, & quę aliquando respuitur ab homine

Quantum autem ad id quod aiunt: Deum deserere obduratos: Respondeo id intelligi posse de privatione gratiæ sanctificantis quemadmodum ipsi aliquandò explicant adversarij istud verbum deserere. Vel de privatione gratiæ efficacis, ut re vera sumit illud Augustinus in aliquo loco ibi allegato, ubi dicitur: Deus obdurans deserendo, ut male operentur. Quod solùm indicat negationem gratiæ efficacis, non enim dicit: obdurans deserendo, ut non nisi male possint operari, quod magis accederet ad privationem omnis gratiæ, sed tantum ut male operentur. quod solùm significat privationem actus, & proinde solius gratiæ efficacis.

Quantum etiam ad id quod dicunt: Deum illos non adjuvare. Respondeo per hoc, solùm significari privationem gratiæ proximæ, & non remotæ. quæ est in humili oratione eleemosynis, & cæteris ejusmodi facilibus, quibus obtinetur gratia proxima, ut etiam probavimus in hoc tractatu. Unde & libro 1. retract. cap. 15. distinguit Augustinus orationem ab auxilio: consulens animæ tentatæ, ut

oret auxilium. Et Epist. 89. qu. 2. *invocent*, inquit, in quem crediderunt, & *valeant* (per auxilium scilicet impetratum) facere quod in præceptis legitimis acceperunt. Et infra: qui Deo dicit: adjutor meus esto, confitetur se velle implere, quod jussit, sed ab eo qui jussit *adjutorium poscere, ut possit* (ecce adhuc adjutorium distinguit ab oratione, quod & mox inculcat dicens) à quo *petendum est, ut possit.* Per auxilium scilicet impetratum, & re vera oratio, seu gratia remota, non tam est auxilium, quam via ad auxilium, cùm per eam homo non juvetur ad faciendum bonum, sed tantum obtineatur, id quo homo juvatur ad bonum: sed de eo paulo infra recurret oratio.

Lib. de perfect. justitiæ cap. 19. Cùm autem dicunt: Augustinum vocare induratum, seu excæcatum, omni lumine veritatis desertum. Respondeo id esse falsissimum: ibi enim non vocat excæcatum, omni lumine veritatis desertum: sed dicit, quod qui esset desertus omni lumine veritatis, præcepta servare non posset, quod longe diversum est: & nequidem ibi loquitur de excæcato, nec de iis, quæ pertinent ad illum singulariter, sed tantum facit suppositionem, ad quam verum esset dicere, quod homo servare præcepta non posset: ecce illius verba. Quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta *voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset.* Ubi vides meram suppositionem de eo quod esset, si aliud esset, non vero affirmationem de eo quod est: imo vero vides contrarium, cùm ibi dicatur, quod iste, de quo loquitur, voluit præcepta, qui tamen nec voluisset, nec velle potuisset, si fuisset desertus omni lumine veritatis, ut prætendunt adversarij. Quod autem non censuerit Augustinus aliquem dari in hac vita, qui sit privatus omni lumine veritatis, supra vidimus ex eo in ultimo illius textu, quo probavimus nostram conclusionem. Ad illum autem locum ex Psalmo centesimo quadragesimo septimo in hunc versum: in faciem frigoris ejus quis subsistet: ubi explicans (inquiunt) Augustinus: quid sit frigus Dei, sic ait: ecce deserit *peccatorem*, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam, per quæ volunt intelligi adversarij negationem omnis gratiæ. Respondeo adhuc ibi, fieri suppositionem, & id non intelligi in sensu absoluto, & existente, sed in conditionali, & in suppositio: est enim quasi diceret: ponamus quod Deus deserit peccatorem, quod non vocat &c. quid fiet: certe nihil fiet boni, cùm sine Deo nihil boni fiat, ibi solùm commendans contra Pelagianos necessitatem gratiæ ad bonum agendum requisitæ, seu ad conversionem peccatoris necessariò admittendæ, quam negabant: hic enim sensus patet ex textu, si integer afferatur. *Si*, inquit, ille *non spiraverit, si* non ipse duritiam glaciei hujus dissolverit (quæ omnia pertinent ad necessitatem gratiæ, ad bonum agendum necessariæ) in faciem frigoris ejus quis subsistet (ubi vides conclusionem ex mera suppositione derelictionis creaturæ factam, ad eliciendam gratiæ necessitatem, quam & mox explicat dicens. in faciem frigoris

ejus; cujus; Dei; unde est ejus frigus: ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam, solvatur homo *si potest* gratiæ, non potest stultitiæ; quare non potest: in faciem ejus quis subsistet. Quod est quasi diceret: ponamus quod Deus deserit, quod non vocat &c. non potest homo solvi sine gratia, non potest per se solvi à stultitia, quia ante faciem Dei, nemo potest subsistere, nisi ille dederit: unde & paulo post ait: *quis seipsum liberabit, si ille deseruerit* (ubi adhuc clarè vides fieri eamdem suppositionem ad eliciendam necessitatem ejusdem gratiæ, quam tandem concludit, dicendo: quod non liberum arbitrium potest nos solvere, & liberare, si Deus deseruerit, sed sola ejus gratia, ut sequitur) & quis liberabit: gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Ecce ergo quod volebat dicere: nemo potest solvere, aut liberare, quem Deus deseruerit, nisi solus Deus per gratiam suam, & non homo per lib. arbitrium suum, ut volebant Pelagiani; quos ibi sugillabat, & fere semper sugillat in suis istis enarrationibus in psalmos, ostendens contra eos, quod lib. arbitrium per se solum non sufficit ad bene agendum, ut putabant, sed quod indiget gratia confortante illud ad bonum amplectendum, & ad malum fugiendum: alioqui si Deus deserat illud, & non subministret illi talem gratiam, quæ est ad agendum, necessaria: ante faciem frigoris illius non subsistet, sed cadet in peccatum, ut ex prædictis clarum est. Sed & Respondeo 2. quod etsi hæc non intelligerentur in suppositione de falso, sed in suppositione de vero, non tamen intelligerentur de negatione omnis gratiæ, sed solius proximæ, ad bene agendum necessariæ, seu talis sine qua non potest homo actu bene agere: nihil enim ibi videas de negatione gratiæ remotæ, quæ est ad orandum, sed tantum de negatione gratiæ proximæ, scilicet vocationis ad fidem, apertionis sensuum ad credendum, & infusionis gratiæ, quam sic simpliciter dictam intelligit Aug., communiter (sed maximè quando loquitur, ut hîc, contra Pelagianos necessitatem gratiæ negantes) de gratia proxima, & non de remota: quia gratia remota non est ad operandum, sed tantum ad orandum, seu petendum auxilium, quo agatur. Unde hæc synonima sunt apud Augustinum, gratia, auxilium, opitulatio, adjutorium, quia nempe de gratia illa agebat contra Pelagianos quæ adjuvat lib. arbitrium infirmum, seu voluntatem infirmam, & invalidam, quam negabant putantes lib. arbitrium esse per se sufficiens ad bonum, sicut ad malum, sed & extra disputationem suam cum Pelagianis, reperitur gratia secundum se, definita ab eo ut ad agendum, non vero ut ad orandum, seu petendum auxilium, ut patet ex libro expositionis quarumdam proposit. ex Epist. ad Rom. c. 18. ubi sic ait: *gratia efficit*, ut non tantum velimus recte facere, sed etiam *possimus*, non viribus nostris, sed liberatoris auxilio (ubi nihil retractavit Augustinus) ex quo manifestum est quod gratia simpliciter dicta apud eum, tantum indicat gratiam proximam, & non

Vide supra, hoc adhuc probatum parte 1. sect. 4. §. 1.

remotam, seu quod idem est, gratiam agendi, & non orandi unde cùm in loco supra objecto gratia simpliciter dicatur, ideo debet ea intelligi de sola gratia proxima & non etiam de remota & sic patet quod non intelligitur locus ille de privatione omnis gratiæ ut volebant adversarij, sed solius proximæ, quomodo supra ostendimus Augustinum sumere desertionem in prima objectione communi.

§. XI.

Aliquæ aliæ solvuntur objectiones : ubi & de impotentia propria & impropria.

VErum prosequuntur adversarij animosius intentionem suam & primo dicunt, Augustinum plurimis in locis docere, ita deseri excæcatos, & obduratos, ut bonum quod eis volendum, aut faciendum est, facere, ac velle, imo cernere non possint, quod probant recurrendo ad postremum locum, quem modo solvimus ex Augustino : ubi cùm dixisset Augustinus : ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam : vim desertionis illius, inquiunt, explicando subtexit : solvatur homo si potest gratiæ, non potest stultitiæ; quare non potest; in faciem ejus quis subsistet. Hoc est ut iterum subjicit, inquiunt, quis seipsum liberavit, si ille deseruerit. Sed hæc additio nihil habet novi, quod non jam solutum sit in supra datis responsionibus : ibi enim solùm commendat Augustinus necessitatem gratiæ, sine qua dicit hominem peccatorem non posse solvi, aut liberari à gelu suo, quod non indicat illum esse desertum omni gratia, sed tantum illum non posse solvi, aut liberari à gelu sine illa, quod omnino fatendum est, sive absit gratia, sive adsit, & contemnatur, ut sæpe fit ex superbia, de quo postea conqueritur, ut videbimus. Tantum autem abest, ut actu desit omnis gratia in ejusmodi deserto, quin potius supponit eam Augustinus ipsi oblatàm, sed contemptam ex superbia. Audi, inquit, & hîc gratiam Dei : qui mittit crystallum suam sicut frustra panis, in faciem frigoris ejus quis subsistet : ergo desperatio est, *absit* : sequitur enim : emittet verbum suum, & tabefaciet ea : non ergo desperet nix, non desperet nebula, *non desperet crystallum* (in quibus continentur omnis generis peccatores, præcipue vero omnis desertus, seu induratus, significatus per crystallum) de nive tanquam de lana conficitur & tunica. Nebula illa in pœnitentia salutem invenit, quia prædestinavit illos, & vocavit (scilicet efficaciter, quia vocatio efficax est propria prædestinatorum ad gratiam) sed licet sint inter prædestinatos durissimi, & multo quasi tempore congelaverint, & crystallus facti fuerint, *non erunt duri misericordiæ Dei*, emittet verbum suum, & tabefaciet ea; quid est tabefaciet ea : ne forte in malo intelligatis : tabefaciet,

liquefaciet, diſſolvet, *duri ſunt enim per ſuperbiam* (non ergo per negationem omnis gratię, ut volebant adverſarij, ſed per ſuperbiam, quæ contemnit omnem gratiam, maxime gratiam orandi, quam ſupra diximus ſemper ſupereſſe in deſertis, quæ maxime humiliat hominem, & oſtendit ei ſuam infirmitatem, paupertatem, dependentiam, quæ maxime dura eſt ſuperbis, vix ideo ſtimulos ejus, & excitationes ejus ſentientibus: unde & ſequitur) *meritò & ſuperbia ſtupor dicitur* (quia nempe inſenſibilis eſt excitanti eum gratiæ) quicquid enim ſtupidum eſt, frigidum eſt: rigorem paſſi homines quotidie dicunt, obſtupuit: ergo *ſuperbia ſtupor eſt* (quia nempe inſenſibilis eſt ſtimulis gratiæ excitanti hominem ad orandum) emittet verbum ſuum, & tabefaciet ea: & re vera cumuli nivis cum caleſiunt, *deliqueſcunt in humilitate* (ecce quod requiritur in induratis, ut bene utantur gratia, quam habent, ſcilicet ut humiles ſint, ut agnoſcant ſuam miſeriam, & infirmitatem, & implorent Dei auxilium) quomodo ergo quaſi montem nivis erigit ſtupor, ſic *ſtultos erigit ſuperbia.* Ecce ergo unde indurati ſunt, non ex defectu gratiæ ſufficientis, ut putabant adverſarij, ſed ex ſuperbia contemnente gratiam ſufficientem remotam quam habent, & nolente humiliare ſe ad utendum ſua iſta gratia, quæ eſt ad orandum, & pulſandum ad Deum, per humiliationem, & ſubmiſſionem ſuam, ut habeant gratiam faciendi, ſeu auxilium proximum.

Quantum autem ad locum ſequentem, qui eſt ex libro de perfect. Juſt. cap. 9. de quo ſupra jam egimus, ubi ait Auguſtinus: quaſi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis hæc velle non poſſet. Dico adhuc eſſe de neceſſitate gratiæ, & tantum ſignificare, quod, qui eſſet deſtitutus omni veritatis lumine, non poſſet præcepta adimplere, non vero indicare, quod excæcatus, aut induratus, ſit omni lumine veritatis orbatus, aut ſaltem gratia petendi, & impetrandi lumen iſtud, quam ſupra diximus ſemper eſſe reliquam in omnibus deſertis, & induratis, quacumque induratione, aut excæcatione detineantur.

Quoad locum autem ſumptum ex quæſt. in Matth. quæſt. 14. ubi ait Auguſtinus: cogimur fateri, aliis quibuſdam peccatis, ita eos excæcari meruiſſe, qua tamen excæcatione, non potuerint credere.

Reſpondeo 1. me quidem ibi videre negatam poteſtatem credendi, non vero poteſtatem orandi Deum, ut illi crederent in Chriſtum. Cùm enim illi eſſent Judæi, credebant in unum Deum, quem ideo poterant orare, & ſic obtinere ab eo adjutorium, quo crederent in Chriſtum quod ſufficit ad potentiam remotam credendi, quam dicimus ſemper eſſe reſiduam in quibuſlibet induratis, & excæcatis.

Reſpondeo 2. illam impotentiam in ſenſu Auguſtini, non eſſe veram, & propriam ſed ſolùm apparentem, & impropriam: & ſumi pro difficultate credendi, ſic enim explicat ſe Auguſtinus in eadem

materia Tract. 53. in Joann. post med. ubi ait : quod illi non poterant credere, *non quia mutari in melius homines non possunt* (ergo non erat absoluta, & propria illa impotentia, cùm possent mutari in melius, id est de infidelitate transire ad fidem) sed quamdiu talia sapiunt (id est superbi sunt, & præsumunt de viribus propriis, & ideo contemnunt gratiam Dei, & non putant eam sibi esse necessariam, ut infra se explicat) non possunt credere (id est difficulter possunt credere ob resistentiam superbiæ, quæ non vult humiliare se ad petendum auxilium, ut ipsi possent, aut ad utendum eo si habeant) *hinc excæcantur, & indurantur, quia negando divinum adjutorium* (sibi esse necessarium) *non adjuvantur*. Quia nempe cùm id solùm communiter & ordinariè possint indurati, scilicet orare auxilium in miseriis suis, & petere lumen in suis tenebris, si non petant, sed ex superbia sua putent, ut ait Augustinus se suis solis viribus resistere posse tentationi, & difficultatibus credendi, merito non adjuvantur (scilicet proxime in sensu Augustini sæpe indicato) sed eorum tunc culpa est, quod non adjuventur, quia non sunt impotentes ex inopia, sed nolentes ex superbia, in quo non est vera, & propriè dicta impotentia.

Respondeo 3. ibi etiam esse aliquid, quod indicat, istos excæcatos non fuisse omni lumine destitutos, sed tantum majori, & abundantiori quod habuissent, si non per peccata sua meruissent eo privari : ponit enim illam excæcationem Augustinus solùm in eo quod Christus loqueretur illis in parabolis, & non in verbis claris, & apertis. Quod certe non excludit omne lumen, cùm multi explicent parabolas, & illi ipsi jam de facto aliquas illius parabolas explicuerant, ut ait Matthæus cap. 21. ubi habetur, quod audientes principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas ejus, *cognoverunt*, quod de ipsis diceret. Ergo bene poterant intelligere illius parabolas, sed nolebant, in quo non est vera impotentia, sed mera nolentia.

Denique Respondeo hanc excæcationem non fuisse contra gratiam sufficientem ad salutem, cùm ibi dicat Augustinus : istos sic fuisse excæcatos, ut tamen illa excæcatio eis *ad humilem confessionem, & sollicitam inquisitionem, & obedientem conversionem, & ferventem dilectionem valeret* : quod supponit in eis fuisse gratiam orandi, seu inquirendi Deum per humilem confessionem, & orationem, eamque tam veram, seu tam vere sufficientem, ut aliqui eorum actu conversi sint, ut ibi indicat : alij autem non conversi, de quibus tamen sigillatim dicit prædicta verba quæ attulimus. *Quibus*, inquit, *non profuit illa cæcitas ad conversionem, quæ per linguam parabolarum fiebat*, ita de illis Propheta alio loco dicit, quod etiam Apostolus commemoravit, cùm de obscuritate linguarum ageret : in aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic ; & nec sic me exaudient. Non enim diceretur, inquit August. nec sic me exaudient, *nisi ad hoc fieret, ut vel sic exaudirent* (ubi

vides

des sinceram Dei voluntatem per illas parabolas illos instruendi, & illuminandi) id est: ut eis ad humilem confessionem, & sollicitam inquisitionem &c. valeret. Ex quo manifestum est, istam excæcationem non fuisse sine aliqua gratia quæ valeret ad eorum conversionem, sed alios ei consensisse, alios restitisse, quod solùm indicat difficultatem quam alij non vicerunt quia noluerunt, non vero impotentiam.

Simili modo intelligendus est hic locus, quem consequenter adducunt adversarij Ex lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 9. ante medium ubi ait Augustinus de quibusdam induratis: non intuentes, non enim possunt, cùm superstitione, & contentione excæcati sint: nec enim ibi, non posse, significat veram impotentiam, sed solam difficultatem provenientem ex libidine contendendi, & contradicendi, & resistendi veritati propositæ: sic enim sæpe usurpat Augustinus non solum in aliis libris, sed etiam in hoc ipso bis: ubi manifeste dicit non posse, quod tamen solùm est intelligendum de posse difficilè, aut de non posse sensus compositi, qui est amovibilis à creatura, quæ ibi dicitur non posse. Ut cap. 19. circa initium ubi ait: si oderis hominem, non potes velle corrigere. Quis autem dicat esse absolute impossibile, ut qui odit aliquem, velit eum corrigere. Numquid enim potest deponere odium suum, & postea corrigere fratrem suum. Certe paulo post indicat Augustinus, id sic fieri posse, dicens: primò abs te expelle odium, deinde poteris jam eum, quem diligis, emendare. Et cap. 24. non longe ab initio dicit: quamdiu quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit. Sic verissime dici potuit: non potest esse nix calida, cùm enim calida esse cœperit, non jam nivem, sed aquam vocamus. potest ergo fieri, ut quæ nix fuit, non sit, non autem potest fieri, ut nix calida sit: sic potest fieri, ut qui malus fuit, non sit malus, non tamen fieri potest, ut malus bene faciat. In quibus omnibus non est vera impossibilitas, sed tantum impropria, & sensus compositi, ut supra dixi, ab ipsomet (qui dicitur non posse) amovibilis, quomodo diceremus de sedente quod non potest currere, potest enim absolute currere; tollendo scilicet sessionem suam, & deponendo eam: ita dicit Augustinus quod prædicti contentiosi, non possunt intueri ob difficultatem contentionis, & superstitionis, quæ excæcabat eos, & faciebat aliorsum detorquere visum eorum: absolute autem possunt, deponendo scilicet spiritum contentionis, & superstitionis, qui obcæcabat eos, & impetrando à Deo spiritum pacis, & veræ religionis, qui illuminet eos, & faciat eos facile intueri, quod prius difficile intueri poterant, propter quod ipsi intueri non posse dicebantur, sumendo non posse, pro difficile posse, aut pro isto supraexplicato sensu composito, ab ipsomet (qui dicitur non posse) amovibili. Ex quo etiam rejicitur id quod postea inculcant de illa

Vide Tract. 53. in Ioan. post med. & in Psal. 118. conc. 23. sub finem.

cæcitate, ſcilicet, quod cum illa non poteſt homo videre: facilè enim concedimus, cæcum, dum cæcus eſt, non poſſe videre, ſeu intueri, ſed ſua cæcitas non impedit; quin poſſit petere, & impetrare viſum, ſeu lumen, quo videat; numquid cæcus ille qui petiit à Chriſto, & obtinuit, ut videret lumen, non erat tunc cæcus, cùm id orabat: ita & dicimus eos, qui cæci ſunt corde, & mente, non poſſe videre, dum cæci ſnnt, ſed dicimus id non impedire quominus petant, & impetrent lumen, ſeu viſum quo videant, & bene operentur, quod ſufficit ad ſalutem.

§. III.

Reliqua ſolvuntur objectiones contra ſufficientem induratorum gratiam.

QUantum autem ad illum locum ex libro de corrept. & gr. c. 11. ubi dicit Auguſtinus: ſi hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet .... non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent: nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt, quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum.

Reſpondeo, hunc locum jam ſupra ſatis explicatum eſſe de gratia proxima, quæ non debebat deeſſe creaturæ innocenti, aliàs inculpabilis fuiſſet ſecundum Auguſtinum, non vero de remota, quæ tam debet eſſe in homine lapſo, quam altera debuit eſſe in homine innocente, aliàs, & ipſe inculpabilis eſſet ſecundum Auguſtinum ut ſupra late demonſtravimus. Unde numquam negavit Auguſtinus gratiam remotam, ſeu gratiam orandi hominibus lapſis, etiam iis de quibus dicit ipſos non habere facultatem bene agendi, eos non ſufficere, & non poſſe: ſemper enim voluit illam eſſe eis reſervatam ex infinita Dei miſericordia ad ſublevandam eorum miſeriam, & infirmitatem ſuperandam, & ad ſervandam in eis indifferentiam ad bene aut male agendum neceſſariam. Sic enim ait de iſtis libro de perfect. juſtitiæ cap. 10. *orent* gemitu voluntatis, *ut impetrent donum facultatis.* Et libro de gr. & lib. arb. cap. 15. *orent*, ut habeant tantam voluntatem, quanta *ſufficit* ad implenda mandata. Et libro de nat. & gr cap. 17. aliud eſt inquit intelligere velle, *nec poſſe*, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit: *unde admonentur à Deo petere ſapientiam* (id eſt lumen neceſſarium ad proxime agendum) qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt. Ubi vides, eum ſemper ſupponere etiam in iis, qui non poſſunt, nec ſufficiunt, eſſe reliquam orandi gratiam, ſeu gratiam remotam, & mediatam, qua poſſint im-

I. p. ſect. 13. § 4. object. 9.

impetrare sufficientiam, aut potentiam ad bene agendum necessariam.

Nec vero magis urgent, ea quæ tandem afferunt adversarij pro ostendenda in excæcatis, à peccato abstinendi impotentia, cùm in iis non probent, sublatam esse ab eis orandi potentiam, quam solam contendimus tunc eis esse reliquam, quicquid sit de aliis. Imo vero in quodam loco ibi allato manifeste indicatur, eam esse eis reliquam, ut patet, cùm dicit August. lib. de nat. & gr. c. 22. quod cæcus, seu desertus à Deo, *ideo tantum* audiat vocem legis, *quo admoneatur implorare gratiam salvatoris.* Per hoc ostendens, ad hoc solùm residuam sibi esse gratiam, ut oret, & impetret auxilium, non vero ut videat, & vitet immediate peccatum. Quod volentes obscurare adversarij, notant, quod ibi dicit Augustinus recte: admoneatur: quia quamvis, inquiunt, hujusmodi admoneatur non lege solùm, sed & doctrina, & prædicatione, & correptione, non propterea reipsa invocat salvatorem: sed quia id gratis dictum, posset gratis negari, sic id volunt probare dicendo: quod legem talibus, doctrinam, & prædicationem, & correptionem proferre, officia sunt benignitatis humanæ, quæ frustra cæcis, & surdis adhibentur, nisi altius misereatur Deus. Quod libenter concedimus: sed primò hæc non sunt contra gratiam sufficientem, cùm quis posset habere gratiam sufficientem, & eam frustraneam reddere, ut & omnem prædicationem, & correptionem, quia non vult eis consentire: & deinde quæro; unde ostendent adversarij: Deum tunc altius non misereri, id est non concedere gratiam efficacem orandi, per quam obtinetur gratia videndi, & audiendi; num quia ibi tantum mentionem facit Augustinus gratiæ externæ V. G. admonitionis, & prædicationis, quæ ut sic est insufficiens ad movendum cor hominis: sed supra ostendimus, Augustinum per gratias illas externas significare solere gratias internas, easque vere sufficientes, ut patet ex libro de dono persev. cap. 14. ubi ait: homines moveri ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba (sive prædicationis, sive correptionis) vel signa conspiciant. In quibus solùm explicatur gratia externa: & tamen dicit Augustinus eam movere homines ad fidem, sine dubio ibi subintelligens gratiam internam, eamque sufficientem, imo & congruam, ut patet ex terminis. Unde non est etiam ad rem id quod adjiciunt ex Augustino in Psalmum 77. scilicet: quibus Deus irascitur; quid misericordia conferet humana: non enim dicimus ibi solam adesse misericordiam humanam, quæ re vera nihil conferret si esset sola sed adesse etiam divinam sub cortice humanæ admonitionis delitescentem & loquentem ad cor hominis, cùm soleat Augustinus per gratias illas externas prædicationis, & correptionis intelligere etiam internas à Deo, ut jam supra probavimus.

Quantum autem ad hunc locum libri de nat. & gr. cap. 23. ubi dicit Augustinus: deserti luce justitiæ, & per hoc contenebrati; quid pariant aliud, quam hæc omnia quæ commemoravi, opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant: surge qui dormis &c. hoc non negat potentiam abstinendi à peccato in induratis, sed tantum actum, quomodo sæpe diximus desertionem Dei solùm significare privationem actus, seu gratiæ efficacis, non vero sufficientis: non enim ibi dicitur, quid possunt parere, sed tantum quid pariant, quod solùm significat actum negatum, seu negatam gratiam efficacem, non vero negatam potentiam, seu negatam gratiam sufficientem. Nec vero magis urgent illa verba sequentia: ad peccatum valet mors animæ, quæ necesse est mortua opera faciat, donec Christi gratia reviviscat. Ibi enim solùm indicatur absentia gratiæ habitualis, & non actualis, quæ significatio satis patebit, si restituantur verba è medio textus abscissa, & integer Augustini locus adducatur, qui est hujusmodi. Ad peccatum, inquit, valet mors animæ, *quam deseruit vita sua, hoc est Deus ejus* (quid clarius ibi solùm significari absentiam gratiæ habitualis, per quam ipse Deus habitat in nobis, & vivificat animam nostram, propter quod ibi vocatur vita ejus) quæ necesse est mortua opera faciat (id est vitæ æternæ non meritoria, quæ sola, sine tali gratia fieri possunt) donec Christi gratia reviviscat. Id est donec recuperet istam gratiam, per quam solam vivit Deo, & sine qua, mortua est, & ideo solùm mortua tunc facere potest opera.

Tract. de indifferenti &c. parte 2. sect. 36. tota. Quantum denique ad peccandi necessitatem, quam dicunt oriri ex prædicta obduratione, & excæcatione, jam satis ei respondimus in alio tractatu, ubi ostendimus, nullum peccatum actuale esse necessitate factum, sed solùm voluntate prorsus libera, & ad utrumvis indifferenti sive bonum, sive malum.

SECTIO QUINTA.

Quæ est de parvulis, quomodo habeant sibi necessariam, & sibi sufficientem gratiam ad salutem.

6. Conclusio: omnes, & singuli parvuli habent gratiam sufficientem ad salutem, non quidem in seipsis, cùm ejus recipiendæ sint incapaces, sed in suis parentibus, & parentum amicis, qui possunt eos perducere ad baptismum, & per hoc ad salutem.

I. Pars probatur non solùm ex generalibus supra probatis principiis, ut quod Deus vult omnes salvos fieri: & quod Christus pro omnibus mortuus est, & cæteris ejusmodi, sed etiam probatur ex

ſpecialibus locis, ubi loquens Auguſtinus de parvulis, affirmat, vel indicat, Chriſtum etiam eſſe mortuum, pro illis ſicut & pro cæteris, ut patet 1. ex cap 4. libri 6. contra Julianum: ubi cùm Julianus negaret parvulos eſſe mortuos per peccatum, probat illos mortuos eſſe per peccatum, *quia Chriſtus mortuus eſt pro illis*, ſicut & pro cæteris, qui per peccatum etiam mortui ſunt. Nam cùm initio iſtius capitis adduxiſſet Auguſtinus hunc locum Apoſtoli: commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Sic ait: hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari; ubi ſi abs te quæram; ſi non ſunt inter peccatores *quomodo pro eis mortuus eſt qui pro peccatoribus mortuus eſt.* Ubi vides, illum velle, ita certum eſſe, quod Chriſtus mortuus eſt pro omnibus & ſingulis parvulis, ſicut, quod ſint illi omnes peccatores, eſt certum: atqui apud Catholicos eſt certum, quod omnes & ſinguli parvuli ſunt peccatores: ergo & quod pro iis omnibus, & ſinguli Chriſtus mortuus ſit, apud Auguſtinum eſt certum. Neque enim ibi diſtinguendum eſt inter eos; qui moriuntur ante baptiſmum, & eos qui moriuntur poſt eum. Nam fundamentum totale ob quod dicit Auguſtinus Chriſtum eſſe pro parvulis mortuum, eſt æquale in omnibus, ſcilicet; quod omnes illi peccatores ſunt, ſeu mortui per peccatum, ut patet ex his illius ſupraallatis verbis: ſi non ſunt inter peccatores habendi; qnomodo pro eis mortuus eſt, qui pro peccatoribus mortuus eſt. Ergo pro utriſque mortuus eſt Chriſtus tam decedentibus ante baptiſmum, quam decedentibus poſt eum. Et certe quod de illis parvulis, qui moriuntur ante baptiſmum, ſicut & de cæteris loqueretur Auguſtinus contra Julianum patet ex diverſis illius locis, ubi loquitur Auguſtinus ſpecialiter de illis, ut lib. 3. contra illum cap. 12. ubi ait: quarè nihil merentes tot in parvulis imagines Dei, *ſi non baptiſantur* non admittitis in regnum Dei, numquid ipſi ſibi defuerunt ut priventur regno, ut tam luctuoſo puniantur exilio &c. & lib. 5. cap. 1. ſub fin. juſtus, inquit, eſt, Deus quid mali eſt quod innocentem hanc imaginem ejus prohibet intrare in regnum ejus. Idem habet lib. 6. cap. 1. & cap. 10. & alibi communiter. Ex quo manifeſtum eſt, quod diſputatio erat inter Auguſtinum & Julianum de parvulis ſine baptiſmo decedentibus, ſicut & de cæteris, & per conſequens, quod cùm diceret Auguſtinus: Chriſtum eſſe mortuum pro iis, in quibus negabat Julianus eſſe peccatum, loquebatur Auguſt. de illis parvulis ſine baptiſmo decedentibus, ſicut & de cæteris: & proinde quod putavit Auguſtinus Chriſtum eſſe pro iis vere mortuum, ſicut & pro cæteris. Probatur 2. ex eo quod cùm diceret Julianus omnes in ſententia Apoſtoli ſumi pro multis, ita Reſpondet Auguſtinus, ut indicet omnes ibi ſumi pro ſingulis, ſive multi eſſent, ſive pauci, & neminem excipi ex iis omnibus, de quibus ibi loquitur Apoſtolus. Si enim (inquit in 2. libro operis imperf. c. 134.) ob unius delictum *multi* mortui ſunt, *quippe iſti ipſi ſunt omnes*: non

dicit quod continentur in omnibus, sed quod sunt omnes: unde & sequitur, quod ibi comparat multos omnibus, sicut singulos singulis, seu sicut id, extra quod non est aliud quod pertineat ad idem genus, ei extra quod non est aliudquod pertineat ad idem genus, id est à quo nihil exceptum est. Aliàs multi non essent omnes, ut dicit Augustinus, sed tantum continerentur in omnibus, quod non dicit Augustinus. Unde & paulo post affert Augustinus locum Apostoli; ubi omnes sumuntur pro singulis. Sicut, inquit, in Adam *omnes* moriuntur. Ubi sine dubio omnes significat singulos quandoquidem Augustinus neminem excipit à peccato originali eorum omnium qui nati sunt per Adam. Et adhuc paulo post affert alium textum Apostoli, ubi comparantur ij omnes, pro quibus mortuus est Christus, iis omnibus qui mortui sunt per peccatum, qui sine dubio sunt omnes & singuli, ut jam supra dictum est. Locus autem iste talis est. Omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est (Christus) ubi vides comparari ab Apostolo, omnes illos pro quibus Christus mortuus est, iis omnibus qui mortui sunt per peccatum: atqui omnes, & singuli mortui sunt per peccatum: ergo pro omnibus, & singulis mortuus est Christus. Non enim ratio est, cur omnes in priore parte propositionis sumantur pro singulis, & non ita sumantur in 2. cùm ibi hæc duo: mortui per peccatum, & pro omnibus mortuus est, comparentur ad invicem (ubi licet videatur Augustinus loqui tantum generaliter, & non specialiter de parvulis, tamen id solùm dicit ratione parvulorum, de quibus erat disputatio: unde & in eodem textu, inter duos locos Apostoli à nobis modo citatos ex illo textu, loquitur specialiter de parvulis dicens Juliano. Ibi videbis & parvulos quia & pro ipsis etiam te confitente mortuus est Christus) Et cap. 147. sic ait: *omnes* dicit eosdemque multos, *non multos dicendo negat*, ne sibi sit ipse contrarius, sicut vestra, aut fallit improbitas, aut fallitur cæcitas. Quia enim utrumque dixit Apostolus, & omnes, & multos, ostendit ergo non inter se duo ista pugnare, quia *ipsi omnes, ideo etiam multi sunt dicti, quia omnes aliquando dicuntur & pauci* (ubi clare apparet: omnes sumi pro singulis, cùm ad rationem omnium velit indifferens esse, quod sint multi, aut pauci, modo scilicet nullus excipiatur) tu autem dicendo non omnes, quos omnes dixit Apostolus, proculdubio convinceris Apostolo esse contrarius. Quod & repetit cap. sequente 148. dicens quomodo *non est contrarium*, sicut jam ostendimus, *ut iidem sint multi, qui sunt omnes, ideo quos multos, eosdem omnes Apostolus dicit*, non omnes autem dicis, ac per hoc Apostolo contradicis. Ubi nihil aliud contendit Augustinus, nisi omnes, & multos esse idem in sententia Apostoli, modo nullus habeatur exceptus, contra ipsum Julianum qui ex hoc quod alicubi dixerat Apostolus multos, quos alibi dixerat omnes, perperam inferebat aliquos esse exceptos. Ex quo manifestum est, Augustinum ibi sumpsisse omnes pro singulis, & proinde voluisse Christum esse mortuum pro singulis parvulis, de quibus

ibi agebat, quomodo illi singuli sunt mortui per peccatum, cùm utrumque exprimatur eadem omnino phrasi per Apostolum ibi ab Augustino citatum. Nam si quosdam parvulos ab hac generalitate mortis Christi pro omnibus Augustinus excepisset, eadem etiam ratione aliquos eorum ab hac generalitate mortis omnium per peccatum Julianus excepisset; cùm in utroque loco illi significentur ab Apostolo per τὸ omnes, nec major appareat ratio, cur in uno loco, omnes, supponat solùm pro aliquibus, & in altero pro omnibus & singulis: unde concludendum est, quod cùm noluerit Augustinus quemquam excipi ex una sententia, noluit etiam quemquam excipi ex altera, quod sine fundamento legitimo, & sine ratione ibi apparente voluisset. Tandem probatur ex lib. 2. operis imperf. cap. 132. ubi clare dicit: quod gratia Christi pertinet ad pusillos, id est parvulos, cum magnis, & *quod nullum præterit pusillorum*, qui remittit omnia omnium suorum, id est, pusillorum, atque magnorum. Ubi vides omnes parvulos significatos ut singulos, & ad eos omnes, & singulos pertinere gratiam Christi, & nullum eorum ab ea præteriri, aut negligi.

Quantum ad secundam partem, scilicet quod parvuli gratiam suam sufficientem habeant in cura parentum, & similium, clare indicat Augustinus lib 3. de lib. arb. cap. 23. non longe ab initio, dicens: hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando *in aliorum* (scilicet parvulorum) *quoque beneficium*, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduæ profuit fides sua, quam utique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris, ut resurgeret. Quanto ergo potius *fides aliena potest consulere parvulo*, cui sua perfidia non potest imputari. Et lib. 20. de civit Dei cap. 8. sub finem loquens de temporibus Antichristi, ubi omnia erant difficiliora: sic ait. Profecto *tam fortes erunt & parentes pro baptizandis parvulis suis*, & hi qui tunc primitus credituri sunt, *ut* illum fortem vincant etiam non ligatum, id est omnibus, qualibus antea numquam, vel artibus insidiantem, vel urgentem viribus, & vigilanter intelligant, & toleranter ferant, ac sic *illi etiam non ligato eripiantur*. Sed clarissime de hoc loquitur fidissimus ejus interpres ac discipulus D. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. ubi sic ait. Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines *ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus: qua utique si bene uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnium* namque exordia *parvulorum*, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ *sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest*, & consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel pravo aguntur affectu: sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate, aut dissimulatione non credunt. Ubi manifeste indicat & eos habere gratiam sufficientem, sicut & cæteros, & eam sitam esse in cura parentum, qui si bene

uterentur gratia sibi data, etiam & parvulos suos perducerent ad salutem.

Sed forte quæri posset; quomodo bene uti possunt parentes gratia sibi data ad effectum perducendi parvulos suos ad salutem. Respondeo quod illi parentes, vel infideles sunt, vel fideles: si infideles sunt, non aliter eos juvare possunt, quam ipsi credendo in Christum, ut possunt sicut supra ostendimus: unde si nolint credere in Christum, male utuntur gratia sibi data ad salutem parvulorum suorum. Si autem fideles sunt orent pro salute parvulorum suorum, ut Deus servet eos usque ad nativitatem, quo tempore solliciti debent esse, ut cito procurent eis baptismum, caveant etiam ipsi à peccatis, ne ob ea priventur parvuli sui, morte temporali antequam nascantur, cùm notum sit Deum aliquando punire parentes de peccatis suis per mortem filiorum, & filiarum suarum temporalem. Caveant etiam specialiter matres ab iis omnibus, quæ possunt sibi & parvulis suis, quos gestant in utero, esse noxia, & lethifera. Quæ si bene observent, credo parvulos eorum perventuros esse ad baptismum, & sic ad salutem æternam. Sæpe enim parvuli moriuntur in uteris maternis ob peccata parentum, aut ob alias causas quibus occasionem ipsi dederunt, ut si mater fulmine percutiatur ob peccata sua, aut quia hunc casum, aut similes non avertit per orationes suas, aut quia de loco, in quo erat, noluit transire ad alium contra inspirationem internam. Aut quia dum gestaret puerum in utero, noluit abstinere à quibusdam cibis, exercitiis, itinerationibus, recreationibus inutilibus, & noxiis. Cæterùm & si non propter has causas, sed mere naturales, imprævisas, & inculpabiles mors pueri accideret ante nativitatem suam, & baptismum, non tamen ob id providentia divina ei defuisset, cùm non teneatur provisor res in universum bene ordinatas, invertere, & mutare pro evitando aliquo accidenti cujusdam particularis: tunc enim se habet provisor ad illud accidens mere permissive, & non volitive directe, prout ostendimus in nostra disputat. de prædestin. ad gloriam: ubi etiam respondimus objectionibus omnibus, quæ contra fieri possent ex Augustino, scilicet in prima parte sect. 7. §. 2. puncto 3. 4. & 5. & parte 2. sect. 2. §. 10. puncto 1. & 2.

Certe Augustinus supponit esse aliquas causas secretas cur unus parvulus assumatur ad baptismum alter non: in Enchir. c 95 & fortasse sunt istæ

Vide Fulgent. lib 1. de veritate prædest & gratiæ.

Vide Prosperum lib 2. de vocat. Gent. c. 24. his verbis Quod utiq; erga omnes ita fieret si ita fieri &c & c. 25. æquiparat providentiam divinam circa parvulos, providentiæ divinæ circa adultos, quæ dat gratias unis efficaces, alteris autem sufficientes: his verbis. Sicut autem circa majores &c.

Quod autem diximus de parvulis dicendum etiam est de amentibus perpetuis, de possessis à diabolo, & de surdis simul & mutis, qui tales sunt à nativitate, eorum enim gratia est in cura aliorum: nisi quod surdi simul & muti à nativitate, cùm habeant usum rationis, debent uti gratiis, quas diximus esse datas infidelibus: quanquam & non puto impossibile tales instrui in vera fide, per signa quædam articulatam vocem æquivalentia, si cuipiam fideli, & devoto, & impigro viro committantur.

Et hæc de gratia sufficiente omnibus & singulis data secundum Augustinum: quæ omnia, nostro more, sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & S. Sedi Apostolicæ toto corde submittimus.

PRÆCIPUARUM INDEX RERUM.

A

B

C

Mm

L

M

N

O

P

FINIS INDICIS.

